COMMENTARIA
IN QVATVOR
INSTITVTIONVM IVSTINIANI
IMPERATORIS LIBROS


THADAEI PISONIS SOACII
GVERRINI FILII. I.V.D.
PRÆCLARISSIMI.

IN QVIBVS PRAETER EXACTAM EORVM INTERPRETATIONEM multa etiam ac difficillima Pandectarum, & Codicis loca perspicuo ordine, breuitate, & facilitate declarantur.

NOVISSIMA IMPRESSIO,


Cui ab erroribus purgata, nequid impedire valeat plenam harum INSTITVTIONVM intelligentiam, adijecimus in fine Titulum De Nuptijs, qui quodammodo dispersus ab his INSTITVTIONIBVS segregatus legebatur.

CVM PRIVILEGIO, ET SVPERIORVM LICENTIA.

S: Andrea  della Valle

BONONIÆ Typis Nicolai Tebaldini. M DC X X X X.

Sumptibus Hæredum Euangelistæ Ducciæ.



Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Præſuli

LAVRENTIO IMPERIALI

BONONIAE VICELEGATO.

CAROLVS MANOLESIVS.

LIBROS cudendi vſus, Famę inuentũ (ILLVSTRISS. PRÆSVL) quo fraudaſſe tantùm Antiquitatem noſtris eblandita temporibus viſa eſt fortuna, vt quæ Athenarum literis hoc commodum, Græciæ, Romæq. porticibus, Academijsq. inuiderat, noſtris deniq. ſæculis non denegauerit; ſi cui (nam aduerſipedes non pauci ſunt, quibus, vt aiunt, alabaſtrus putet) non placet, iſq. coaceruatam voluminum faſtidiat congeriem, vt qua obruantur potiùs, quàm inundentur ingenia; ille, inquam, mihi deſipere videtur; quando ad literarum naufragium anchoræ inſtar, non ſine Diuûm numine Præli inuentio orta eſt; dum diuulſis, fluctuantibusque barbarorum procellà voluminum codicibus, pœnèque obrutis in æui caligantis tempeſtate literis, tantùm plumbo iſto obuiam, ne raperetur eruditio vnà, ac ſapientia, itum eſt. Audimus quotidiè tot Græcorum, tot Latinorum Vatum opera, tot vtriuſque literaturæ Philoſophorum placita, quorum vix nomen in albo memoriæ retinetur, expoſci, abactaque multa ab temporis latebrà reflagitari, quæ tamen ſæculi elapſi rapacitate occupata fruſtrà deſiderantur. At in hoc commodo ſubſannabit quiſpiam, doctos, indoctoſque paſſim ſua ſcripta, prælique opportunitate, quæ potiùs obliuioni mandanda viderentur, typis committere, ac ſignari ſine delectu imperitorum quotidiè paginas; ſed non ne Temporis æquiſſimi iudicis deindè cribro pollines præclarorum ingeniorum à furfure prurientis ad Palladem petulantiæ ſecernuntur? Tot verò interim Plutarchi, Liuij, Beroſi, Trogi

Pompeij, Menandri, tot Eudoxi, Democriti, aliorumque de humana sapientiâ benemeritorum, aut integra, aut mutila desideramus opera, quæ si excepta olim literario hoc cimeliarchio essent, successiuâ traditione ad posteros perlegerentur. Mecum id cum ipse sedulò cogitarem, deliberaui semper studiosiùs, quibus possem viribus (quas iacto quidem exiguas) literariam remp. augere, pomeriaque eruditæ prouinciæ ritè prolatare, atque eorum scripta Typis restituere, quæ tempore excidissent; vsus quando libros deterit, qui nisi vitiùm ritu nouellatione prouidâ repastinentur, ephemeridem statim omnes Libitinæ subibunt. Cum itaque inter ceteros in *Institutiones* Iustiniani Principis doctum vnà, atque eruditissimum *Thadæi Pisonis Soacij Commentariũ* essem nactus, isq. exemplorum penuriâ ad studiosorum continuò exposcentium manus raro prodiret; prælis librum restitui, vt excusso senio Phœnicis more è blattis, & carie iunior exiret, pulchriorq. At quia gemina veluti matre ortum, & repetitâ obstetrice librum, quasi Liberum, non ad auras vitæ duraturum diù suspicor, nisi TV, *Præsulum Decus*, alter Iuppiter sinu exceptum ità foueris, vt vitales illi calores, qui è Tui patrocinij sinu fulgentissimo oriri possunt, communices; eum Tibi aduoluo. Et cui vnquam aptius? quoniam si partus Lucinæ, hoc est Lunæ, ethnicâ sub religione accensebantur; Ego etiam hìc rationẽ inuenio, quâ ducar, cur hunc Tibi fœtum nuncupem, quando legum libellum, legum Tibi peritissimo ritè dedico, & Imperialium *Institutionum* Opus IMPERIALIS familiæ Viro, Heroiq. iure inscribo: vt quæ ex Romana Aue fluxerunt iura, ad eandem redeant. Recurre interim TV mecum Tui nominis dignitatẽ; esse nempè animi Imperialis, & protsùs regij exigua donaria vel ab infimæ fortunæ hominibus collata recipere, exceptaq. erugatâ fronte non vt dona respicere, sed addictum vt animum recognoscere: quod si feceris, gratum Tibi futurum hoc Munusculum meum non dubito vtpotè, cui quantum ex sua dignitate decrescit, ex humanitatis, dignitatisq. Tuę cumulo augeatur. Vale Præsul Optime, & literis faue. Obserebam, Kal. Ianuarijs Strenarum vice. Christianæ Salutis Anno CIↃ IↃC XXXX.

THADÆI PISONIS SOACII GVERRINI FILII

IN PRIMVM INSTITVTIONVM IVSTINIANI IMPERATORIS LIBRVM COMMENTARIA.

IN INSCRIPTIONEM INSTITVTIONVM.

SVMMARIVM.

1 *Quàm ampla apud veteres fuerit Dñi appellatio.*
2 *An Institutiones, & Instituta idem sint.*
3 *Quid sint Institutiones.*
4 *Vnde dictæ sint Institutiones.*
5 *Quæ sit causa efficiens Institutionum.*
6 *Quæ sit causa impulsiua, & instrumentalis.*
7 *Materialis causa Institutionum.*
8 *Formalis.*
9 *Finalis.*
10 *Obiectum.*

Liber noster Institutionum ita Inscribitur.

INSTITVTIONVM DOMINI Iustiniani Sacratissimi Principis.

LIBRI IIII.

QVAM ampla, & magnifica
fuerit, Domini apud Veteres
appellatio, satis ex
eo constet, ꝙ Romano-
1 rum Principes quàquè eo
noie appellari recusarit,
ꝙ indicio esset, reliquos
seruos esse; iõ Augustus
cũ esset aliquando Dñs a
Populo noĩatus non solũ vetuit, ne quis ipsũ hoc noie appellaret, sed etiã sũmoperè cauit, vt Sueton. in Augusto auctor est; vñ Tertull. in Apolog. Augustus, inquit, Imperij formator, ne Dñm quidẽ se dici volebat; hoc. n. Dei cognomen est. Tiberius quoq. Cæsar, vt Tacit. lib. 2. scribit, acerbè increpuit eos, qui ipsum Dñm dixerant, vetuitq. ne eũ amplius hoc noĩe appellarent, subnectens dignam vero Principe sñiam se. s. seruorum tantũ Dñm, militũ Imperatorẽ, ceterorũ verò ciuium Principẽ esse; Quin Alex. Seuerus, Auctore Lãpridio, se Dñm appellari vetuit, ꝙ nimis ampla, & magnifica Dñi appellatio videretur. Huc ptinent sequentes Palladæ Græci Poetæ versus, quibus significat se nolle Dominum appellari, quod nihil dare assentatoribus possit.

Si qd amicus largitur, ꝑrinus eũ Dñm frẽm vocat,
Si nihil det fratrem tantum dicit; At ego
Qui nihil habeo, quod dem, Dominus vocari nolo.

At quidam Romani Principes sic auide illa appellationẽ arripuerunt, vt Domitianus exẽplo Caligulæ, qui primus hoc sibi Dñi nomẽ vindicasse dr̃ se Dñm, & Deũ appellari iusserit, quemadmodũ Sex. Aurelius, Sueton. & alij multi tradiderũt.

An Institutiones, & Instituta idem sint.

Institutiones, & Instituta sñ Vallum lib. 4. Elegant. c. 1. & alios, de Politici sermonis elegantia laborantes, in eo differunt; quod hæc, Instituta. s. ad bonos mores consilio, & ratione sumptos, domesticamq. disciplinã pertineat, quæ literis non mandatur, sed cõi bonorum virorũ opinione obseruatur. Vnde & apud Valerium Maximum Titulus est de Institutis antiquis, quasi de moribus antiquis: illæ vero. s. Institutiones referantur ad ipsa artis præcepta, quib. hoies erudiũtur in quolibet doctrinæ genere, vt sũt libri Quintiliani inscripti Institutiones Oratoriæ, Aldi Institutiones Grammaticæ, & ita aliorũ multorũ auctorum. Id quod
2 pleriq. doctissimi quiq. secuti, hæc Iuris Ciuilis elementa, Institutiones, & non Instituta appellari debere affirmant. Verum Iustinianus ipse in Epistolis Græcis ff. præfixis, hunc librũ, vt tradit Borcholtẽ h. e, Institutorũ librũ appellat Florentinus itẽ, Vlpianus, Paulus, & alii, vt ex ff. indice constat, Institutorũ libros suos conscripserũt. Vegetius insuper, & Probus antiquissimi Grammatici, Instituta, & Institutiones pro eodem, vt idẽ Borcholten tradit, accipiunt. Nimirũ igitur etiam erit, si distinctio hęc apud nostros Iuris auctores, locũ non habeat, sed promiscuè in allegandis ijs libris, hæc noĩa, Institutiones, & Instituta vsurpentur, quamuis Institutiones magis appellãdas esse, multa maximæ auctoritatis sentiant, quibus non possum non libenter subscribere, & eorũ auctoritati adhærere.

Quid sint Institutiones.

Institutiones nihil aliud sunt, quã totius iuris
Ciuilis erudita quędã, & cõpendiosa methodus
in quibus breuiter, & iusta ratione compræhen-
3 sum est, quidquid in summa pertinere videtur ad
cognitionem eorum, quæ in vniuerso corpore
Iuris copiosissimè tradita sunt; Ideo Imperator
prima legum Cunabula, & totius legitimæ scien-
tiæ prima Elementa in ijs libris contineri dixit
infra in Procem. nostro §. cumquè hoc, & seq.

Vnde dictæ sint Institutiones.

Institutiones ab instituendo dictæ sunt, quo-
niam in ijs libris simplicissimè traduntur ea, quæ
4 pertinent ad generalem iuris cognitionem, qui-
bus tanquam elementis instituti adolescentes,
facilius postea ad grauiora aspirare, & ratem va-
sto, ac periculoso Iuris Oceano committere pos
sunt; nihil enim vtile, & rebus, quæ præsenti æuo
in vsu vertuntur, accommodatum inuẽtum fuit,
quod in ijs quatuor Institutionum libris reposi-
tum nõ sit, adeo vt qui in ijs libris aliquid insum-
pserit, facilè postea possit, & tuto Iuris arcana pe
netrare, ac tantæ scientiæ molem sustinere.

Quæ sit causa efficiens Institutionum.

Efficiens causa Institutionum, est ipse Iustinia-
5 nus Imperator, qui Iustini Imperatoris adopti-
uus filius, ex sorore nepos, & consors Imperij
fuit. Impulsiua causa est Iustiniani amor, quo di-
scentium studijs consulere voluit, §. omnes, inf.
6 Procemio nostro. Instrumentalis sunt Tribonia-
nus, Theophilus, Dorotheus, & alij, quibus Im-
perator hoc negocium dedit, §. cumq. hoc, infra
7 eodem. Materialis veterum Iuriscõsultorum, &
præcipuè Caij Institutiones, aliaq. multa tã Iu-
riscõsultorum, quàm rerum quotidianarum cõ-
8 mentaria, §. quas, cod. Procem. Formalis ipsa li-
brorum, Titulorum, ac Paragraphorum series, &
dispositio, quæ breuiter, & methodicè compræ-
hendit quicquid in vniuerso corpore Iuris habe-
tur. Finalis, vt sint prima legum Cunabula, &
9 totius legitimæ scientiæ prima elementa, quibus
iuuenes instructi, possint postea ad penetralia
Iuris intrare, & formam legum pulcherrimam,
(non conniuentibus oculis) aspicere, d. §. cumq.
hoc, & §. igitur. Item, vt tàm in foro, quàm in
scholis vim legis habeant, d. §. Quas, cod.

Quotuplex sit obiectum Institutionum.

Obiectum Institutionum triplex est. Persona,
Res, & Actio. Omne enim ius, quo vtimur, vel
ad Personas pertinet, quibus ius redditur: vel ad
10 Res, de quib. redditur: vel ad Actiones, per quas
redditur, §. fin. inf. de iur. nat. gent. & ciuil. in ho-
rumquè trium obiectorum explicatione, omnes
Institutionum libri absoluũtur. Verum quia Re-
rum causa duplex est, altera dominij, altera
obligationis; Ideo quatuor postea sunt Institu-
tionum libri, exemplo quatuor elementorum,
ex quibus res naturales cõstant. In primo libro
tractatur de Personis, in secundo de Rebus re-
spectu dominij, in tertio de Rebus respectu obli-
gationis, in quarto, & vltimo, de Actionibus.

IN INSCRIPTIONE
Procemij Institutionum.

SVMMARIVM.

1 *Procmij inscriptio.*
2 *An inuocatio Diuini nominis sit de substantia instrumenti.*
3 *An dignitates propriæ à seipso, absque ambitionis nota scribi possint.*
4 *Imperator vnde dicatur.*
5 *Vnde dictus sit Cæsar.*
6 *An Flauius, vel Slauius dicendum sit.*
7 *An Anticus, vel Atticus.*
8 *Augustus vnde dicatur.*
9 *An donatio facta à Constantino Summo Pontifici Romano valeat.*
10 *Iura vigilantibus scripta sunt.*
11 *Iuuenilis ætas ad studium Iuris magis apta, & idonea creditur.*

PROOEMII INSCRIPTIO.

IN nomine Domini nostri Iesu Chri-
sti. Imperator, Cæsar, Flauius, Iu-
stinianus, Alemanicus, Gothicus,
1 Francicus, Germanicus, Anticus,
Alanicus, Vãdalicus, Africanus, Pi-
us, Felix, Inclitus, Victor, ac Triumphator sem-
per Augustus, Cupidæ legum iuuentuti salutem.
Tria continet hæc Inscriptio, primo inuocatio-
nem diuini nominis, secundò, nomina, & titulos,
quos à Nationibus, & Regnis deuictis, & à reb.
fęliciter gestis sibi vsurpauit. Tertiò nomẽ eorũ,
quibus scribit, & Institutionum libros dedicat.
In primis, & ante omnia (vt optimum, & Chri-
stianũ Principem decet) auspicatur Iustinianus,
Imperator noster, libros Institutionum ab inuo-
catione Diuini Nominis: quia vbi Christus non
est fundamentũ, ibi nullum boni operis fieri pôt
ędificiũ, cap. cũ Paulus 1. q. 1. Hinc quęrũt Doct.
An inuocatio diuini nominis sit de substantia in-
strumenti, ita vt (ea omissa) instrumentũ vitietur.
2 Et cõmuniter concludunt, quod licèt honestũ, & piũ
sit eã semper adhibere, tñ si fuerit omissa, instru-
mentum propterea nõ vitiatur, nec redditur nul-
lum, nisi hoc, quod inuocari debeat, sit de cõsue-
tudine, ità Alex. Iason, Socin. Iun. Alciat. Bolo-
gnet. & alij in Rubr. ff. de Noui oper. nunciat.
Secundo loco, præmissa inuocatione Diuini no-
minis subijcit Imperator Nomina, & Titulos,
quos à Nationibus, & Regnis deuictis, & à reb.
fœliciter gestis, sibi vsurpauit. Ex quo obseruant
DD. quòd dignitates propriæ à seipso absque
ambi-

3 ambitionis nota ſcribi poſſunt. Vnde Comes, ſe Comitem, & Doctor, ſe Doctorem profiteri, & ſcribere poteſt. Illis titulis conſtat Iuſtinianum maximum fuiſſe Imperatorem; vt meritò ob deuictas tot gentes, pluribus nominibus inſigniri meruerit: Illudq. Ouidianum carmē de ipſo dici poteſt, quod de Germanico ille ſcripſit 1. Faſt.

Si petat à victis, tot ſumet nomina Cæſar.
Quot numero gentes maximus orbis habet.

Imperator.] Imperator hic nō Ducem belli, vt olim apud Romanos qñq. vſurpatum ſcio, ſed ſacroſāctam Romani Principis dignitatē ſignificat. Diciturq. Imperator à ſuprema poteſtate imperandi, q̃ ſupra oēs in temporalib. habet, in quib. neminem ſuperiorem recognoſcit. Felin. in c. nouit de iudic. Pater meus in ſuo tract. de Roman. & Venet. Magiſtr. inter ſe comparat. nu. 16. ante coronationem non dicitur Imperator, ſed Rex Romanus c. venerabilem, & ibi not. Doct. extra de elect. in coronatione poſtea triplex corona ei imponi ſolet; Prima eſt ferrea, quæ fortitudinem denotat, qua rebelles vincere debet, & hanc recipit ab Archiep. Colonienſi. Secunda eſt argētea, qua deſignatur mundicies, & claritas, quę in ipſo eſſe debet, & hanc Italiam ingreſſus recipit ab Archiep. Mediolanenſi. Tertia eſt aurea, qua demonſtratur, ꝙ ſicut aurum eſt excellentius omnibus metallis, ita ipſe Imperator debet eſſe excellentior omnib. alijs Regibus, & Principibus in poteſtate, & iuſtitia, & hanc recipit à Sum. Pont. Romæ. glo. in clem. 1. ſuper verbo; veſtigijs de iureiur. & Doct. in d. c. venerabilem de elect.

Cęſar.] Dictus eſt Cęſar Imperator noſter, nō ab Auguſto, nec ꝙ ex matris vtero fuerit cęſus, ſicuti gloſſator interpres ſomniat; ſed à Iulio Cęſare, à quo Imperium cępit auctore Dione. Cęſarem ēt dicimus eum, qui deſignatus eſt Imperator Auguſtę Maieſtatis hęres, Imperijq. ſucceſſor, quo ſenſu ēt in libris noſtris aliqñ accipitur, vt in l. 6. §. vlt. ff. de iu. fiſc. & in l. ſi excepta. C. de malef. hodie à nobis Rex Romanorum dicitur.

Flauius.] Alciat. lib. Parerg. 5. c. 3. non Flauius, ſed Slauius legendum putat, à Slauis nempè Barbaris populis deuictis; quos (vt ait ille) veriſimile eſt fuiſſe Baſternas. Nihilominus ego Flauium legendum, ſicque primam lectionem, &
6 vulgatam admitti poſſe (venia tāti viri) arbitror, eo nempè argumento, quòd in antiquis codicib. ita ſcriptum reperitur, quodq. idem cognomen multi veteres habuerint, inter quos Cōſtantinus Magnus, in cuius memoriam Imperatores Orientis Flauij appellari, poſtea conſueuerunt.

Iuſtinianus.] Hoc nomē illi fuit propriū primitus inditū, niſi me fallit opinio, à Iuſtini patris adoptiui nomine deductū, vt Octauianus à nomine patris Octauij. nō aūt à Iuſtitia coluit, & alijs mādauit colendam, vt innuere vr̄ gloſſa, ineptè q̧dē. nam cū ſit nomē propriū, appellatuſq. ſit Iuſtinianus antequā loqueretur, & dum ſub nutrice eſſet, nullo pacto hæc deriuatio ei conuenire poteſt.

Alemanicus.] Hoc nomen, & aliqua ſequentia Iuſtinianus à deuictis gentib. obtinuit ad veterū Romanorū imaginē, quib. deuicti hoſtes, non ſemel cognomēta dedere. pro Alemanis intelligere debemus ſm̄ Myſing. hic populos, q̧ Rhętis proximi ſunt, & ſupra Acroniū, Rhenumquè, tum, & in Occaſum ad Tigurinū lacū, & Limagum habitāt; vbi hodie longe lateque Heluetij dominantur.

Gothicus.] Gothi propriè dicti ſunt populi, q̧ Germanici maris inſulam Scandiam incoluerūt; Hi victricia Romanorum arma, tp̄e Decij Imper. circiter annum Chriſti 259. inſigni victoria ſuperarunt; Inde circa annum 407. Italiam inuadere tentarunt, & ante quinquennium Romam gentium, & populorum oīum victricē, totiuſq. orbis terrarum dominā immani Barbarie deuaſtarūt; ſed hos poſtea, circa annum 560. (occiſo eorum Rege Totila) Iuſtinianus noſter Romanarum miſeriarum vindex, (Narſete Duce) profligauit.

Franciſcus.] Ne glorientur (inquit Io. Fab.) Imperiales ex hoc arguere, ꝙ regnum Franciæ eſſet ſubiectum Imperio, quia hic loquitur de quadam Francia, quæ eſt in Alemania ſupra Coloniā, quę nunc Haſſia dr̄, de qua in cap. 1. extra de ſponſa. Hi (duce eorū rege) vno die magna virtute fuderūt duos inſtructiſſimos exercitus, Iuſtiniani nēpe, & Gothorum, q̧ in ꝓcinctu erant, vt inter ſe dimicarent de Mediolani poſſeſſione, anno Chriſti 536. ſed (annis 22. elapſis) cùm ꝑ Italiā infeſto vagarentur exercitu, prope Tarentum à Narſete Iuſtinianei exercitus Imperatore ſuperati fuerūt.

Germanicus.] Poſt Druſum Claudij Cęſaris patrem, q̧ ob res in Germania ꝑclarè geſtas Germanici cognomē primus meruit: Romani Principes ſi quicquam ex Germania attriuerūt, Germanici dicti ſunt Strabo Germanos populos hoc noīe à Romanis appellatos ſcribit, ꝙ corpore, morib., vitę conuerſatione Gallis ſimillimi eſſent. Sunt & q̧ ſic dictos arbitrent, ꝙ ſe in bellis mutuo fratres vocarent. Alciat. Parerg. iur. lib. 10. cap. 20. eorum opinionem probat, qui patrio ſermone Germanos ita vocatos autumant, quaſi omnino viriles à Germanica voce, Garman, quæ fortem denotat.

Anticus.] Ita legendum eſſe exiſtimo, & non Atticus, vt falsò quidā putant, & vulgati codices habent. Atticus. n. nullo modo Imperator noſter appellari pōt, cum nullum cum Athenienſib. bellum geſſerit, quinimò fidos, & imperio parētes, ſemper habuerit. Erant Antæ, vt Alciat. tradit Parerg. iur. lib. 5. c. 3. Hiſtri fluminis accolę, cōgeneres Sclauinis, quos in Romanas Prouincias incurrentes, Iuſtinianus ꝑ Childibium Ducem repulit, & poſt aliquot annos duce Germano ſororis ſuę filio vſq; ad internecionē ferè deleuit, vt Procop. lib. Gothici belli. 3. ſcribit. Hi Antæ, vt eorum inſtitutis, & morib. apparet, non videntur multum diuerſi ab ijs, quos nūc vulgò Cingalos vocamus. Antæ enim à veteribus Spori, vt inquit Procopius, appellabantur, quaſi ſparſim, & vulgò errantes, qualem vitam, & Maurusij degunt.

Alanicus.] Alani cum Vandalis iuncti erant, nec minus efferæ naturæ: ideò Lucanus libro 8. vocat duos æterni martis Alanos.

Vandalicus.] Vandali ſunt populi Europæ Septentrionalis omnium ferociſſimi, qui cum Africam annis iam centum, & quinque occupaſſent; per Imperatorē noſtrū, Duce Beliſario, ſuperati fuerunt; horum rex erat Gulimerius, qui cū Beliſarij ducis ſuaſu Imperatorē eſſet Iuſtinianū adorare iuſſus, toto ore riſiſſe dicitur: cauſamq. rogatus dixiſſe ferunt, Fortunę ſe humanę ridere viciſſitudinem; vt qui modo rex fuerit, iam ſeruiret.

Africanus.] Africanum ſe appellat Imperator noſter, quia ex Africa (Duce Beliſario) Vandalos pepulit, vt iam dictum eſt. Hic poſtq̃ mentionem de Beliſario feci, omittere nō poſſum, ꝙ hac in re Petr. Crinitus de honeſta diſciplina lib. 9. c. 8. ſcribit. Is Iuſtinianum noſtrum pudenda nota accuſat, ꝙ ſummum ducem Beliſarium rerum geſtarum fama clarum, virtuteq. nulli veterum cedentem, præ liuore obcæcarit, eoq. redegerit, vt mēdicus numulos ad victum quęreret, viatoresq. ijs verbis compelleret: obolum viator Beliſario concede, quem liuor, non error afflixit. Defendit Alciat. Parerg. iur. lib. 4. c. 24. Iuſtinianum, pijſſimiq. & maximi principis noſtri partes longe probabiliore, fauorabilioreq. cauſa, q̃ Crinitus ipſe accuſarit, ſuſtinet. Crinitumq. ipſum in primis interpellat, vnde hanc fabulam cōmētus ſit, multiſq., tum rationibus, cum auctoritatibus, nec verum, nec credibile eſſe oſtendit: Pontanumq. & Volaterranum damnat, qui tantam fidē Crinito adhibuerint, vt & ipſi in eundem errorem inciderint, nec multum curæ poſuerint, An Crinitus ex certis auctoribus, an verò commentitijs acceperit.

Pius.] Pius inter alia eſt, qui erga ſuos, nō ſecus, q̃ parens erga liberos paternum, adeoq. officioſum gerit animum, & hoc cognomētū Antonius Imperator à ſenatu primus accepit, ꝙ princeps natura clemētiſſimus, & pacis amātiſſimus eſſet, eouſq. vt Scipionis ſētētiā, (authore Capitolino) ſemper in ore haberet, qua, ille dicebat, Malle ſe vnum ciuē ſeruare, quàm mille hoſtes occidere.

Felix.] Duplicem deriuationem, ponit gloſſa, vel ab animi, ſcilicet, virtute, vel à proſpera fortuna. Pro prima expoſitione facit illud Vergilij.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Sed ſecunda verior eſt. Felix. n. dicitur Imperator noſter, eo quòd multa feliciter, & nō ſine magno fortunæ ſucceſſu domi belliq. geſſerit. Poeta

Viuite felices, quib. eſt fortuna peracta iā ſua.

Enimuero, perſuaſum habebant & fortunam imperium non nihil iuuare, cui Iulius Cæſar quantum tribuerit, argumento eſt, quòd nautæ, per quem modica cymba traducebatur, ſæuientibus vndis perterrito, dixerat. Noli timere, hac ego manu fortunam fero, Cęſarem tecum habes. quo factum eſt, vt poſt eum Cæſares ſimul atque diademate decorati eſſent, fortunæ ſignum acciperent, ſic fore rati, vt felicius imperarent.

Inclytus.] Inclytus dicitur à rebus magnificè geſtis. Eſt enim inclytus, glorioſus, excellens, atque inſignis, quia quodam ſplendore gloriæ, & famæ coruſcat, & ſplendet.

Victor.] Quia fugauit, et vicit hoſtes. Ver. Aen. 1.

Nec prius abſiſtit, quam ſeptem ingentia victor
Corpora fundat humi.

Triumphator.] Triumphatorē Iuſtinianum noſtrum dicimus, quia de Perſis, quos per Meſopotamiam, Cæleſyriam, et Syriam prędantes, pręlio fudit: necnon Vandalis populis ferociſſimis ex Africa, quam annis iam cētum, et quinque occupauerant, pulſis ſolemnem de vtriſq. triumphum duxit. Erat triumphus omnium honorum, qui à pop. Rom. dari ſolebant, maximus: ſic dictus (auctore Tranquillo) quia triumphans triplici iudicio honorabatur. ſ. exercitus, ſenatus, et populi. Primò. n. exercitus de triumpho decernendo iudicabat. Secundo, ſenatus. Tertio, populus. Ceterū triūphādi modus talis olim apud Romanos fuit. Confecto bello, et hoſtib. deuictis, duces exercitus, quib. triūphus decretus erat, inaurato curru, quem quatuor equi albi trahebāt, inſidentes, Romam ingrediebantur capite primum laurea, poſt deinde aurea corona redimito. Præcedebat ſenatus; ſequebat populus, et poſt eum milites. Ante currum verò Duces victi catenam ferream collo geſtantes ſtabant. Hoc ordine procedētes, in primis ad Iouis tēplum, qđ in Capitolio erat, aſcēdebant, ibiq. triumphans immolato tauro albo, et votis, ſi qua ſuſcepta fuiſſent, peractis, domū poſtea reducebatur. Ne tn̄ ob qualēcunq. victoriæ ſucceſſum, quiuis ſtatim triumphare in animum ſumeret, lege ſtatutum erat, nulli niſi quinque hoſtium millia vna acie occidiſſent, triumphum decernendum, non. n. numero, ſed gloria triūphorū, excelſum vrbis futurum decus, Romani arbitrabātur; quare oportebat Imperatores prius quàm triumphus decerneretur, et hoſtium in acie occiſorum, et amiſſorum ciuium numerum literis ad ſenatum referre. Plebiſcitoq. cautum erat, ſimul atq; vrbem ingreſſi eſſent, ſtatim apud Quęſtores Vrbanos iurare debere, ſe vera de vtroq. numero ad ſenatum ſcripſiſſe. Reliqua apud Blondum in 10. triumphantis Romæ libro videre licet.

Semper Auguſtus.] Auguſtus dr̄ Imperator noſter, quaſi ſacroſāctus maieſtatis plenus, veneratione dignus, et bonis augurijs cōſecratus; vnde et tēpla, mœniaq. auguſta dicuntur. Ouid. 1. Faſt.

Sacra vocant Auguſta patres: Auguſta vocantur.
Templa, ſacerdotum ritè dicata manu.

5 Et Virg. lib. 7. Aeneidos.

Centum Oratores Auguſta ad mœnia Regis
Ire iubet.

Hoc nomine primus Octanianus ex ſorore Iulij Cæſaris nepos a ſenatu appellatus fuit, (auctore Tranquillo) eo quia magno ſucceſſu, et felicitate in rebus gerendis vtebatur, à quo poſtea omnes alij Auguſti appellati fuerunt, vt omnium rerum

pote-

potestatem, quàm hoc nomine exprimi crediderunt, sibi quasi vendicaret, ita vt sunt soliti velle in auspicando Imperio sibi Augusti felicitatē acclamari. Alter Accurs. hic Augustum ab augendo imperio dictum esse exponit, q saltē eius propositi, & intētionis quilibet Imperator esse debeat, vt imperium suum augeat, nō autē minuat, sicut & reges in coronatione iurare solent cap. intellecto de iureiur. Hinc orta est inter interpretes cōtentio de donatione Imper. Cōstant. facta D. Syluestro Pont. Rom. de qua in c. Constant. 96. dist.
9 An ille potuerit donare, & an huiusmodi donatio sm leges valeat, & coiter Canonistæ in c. Venerabilem de elect. Bal. & Salyc. in procemio Codicis, glo. & DD. hic concludunt hanc donationem valere, tum quia semel Deo dicatum humano iudicio reuocari nō pōt c. semel Deo de reg. iur. in 6. c. de rebus 12. q. 2. & c. ligna de consecrat. dist. 1. Tum etiam, quia potius reddidit qđ erat subtractum, cum Dñi sit terra, & plenitudo eius, q̄ dederit qđ erat Imperij; Hac de re etiam Iurisconsult. eloquentissimus Alciat. lib. Parerg. 7. cap. 19. eleganter, & subtiliter aduersus Laurentium Vallam disputat, cum nunquam hāc donationem factam declamasset, sed commentitiam assereret.

Tertio loco dedicat Imperator libros hos Institutionū cupidæ legum iuuētuti. Ex quo Doct. nostri obseruant. Primò, q iuris studiosus auidus, & cupidus esse debet huius studij, qm vigilantib.
10 iura scripta sunt l. pupillus. ff. q̄ in fraud. credi. Secundò, q debet esse iuuenis; nā licet senectus venerabilis sit, & melior sit vmbra senis, q̄ gladius, & eloquentia iuuenis, sm Bald. post tex. in c. 1. de renunciat. tñ iuuenilis ætas ad studium iuris ma-
11 gis apta, & idonea creditur; quo. n. quisq; est iunior, eo perspicacior, & docilior est a iure psumitur. l. pcipiunt. ff. de edil. edict. propter rationes ab Aristot. in Problem. sect. 30. q. 4. redditas. Nec propterea, qui prouectioris, & grandioris ætatis sunt, & ad studium iuris animū applicant, disperare debent; quia habemus, q Accurs. quadragenarius iuri operā dare cœpit, & Seruius Sulpitius prouectior ætate ad studiū iuris accessit. in quo tamē ita profecit (si Marco Ciceroni credimus) vt oēs, q ex omni ętate in Vrbe Romana iuris intelligentiam habuerunt, si vnum in locum conferantur, non fuerint cum Seruio Sulpitio comparandi. Nulla. n. ætas ad discendum est sera, vt D. Aug. in quadam epist. ad D. Hiero. scribit, nihilq; difficile est, qđ volenti, & cupienti facile nō reddatur. Marcus Antoninus Imp. (quem Papinian. in l. vnum ex familia. §. vlt. ff. de legat. 2. prouidentissimum Principem, & virum religiosissimum vocat, & Iustinianus in l. cum Syllanianum. C. de his quibus, vt indig. prudentissimum, sacratissimum, & philosophiæ plenum) dum senex esset, & Imperator scholā Sexti Cheronensis frequentabat: & cum illi occurreret. L. sapiens, & interrogaret. Quò nam iret? Imperator respondit, ad Sextum Cheronensem percepturus, quæ nondum didici.

SVMMARIVM.

1 *Proœmij diuisio.*
2 *Arma, & leges Imperatori, & Regi maximè necessaria sunt.*
3 *Armis, & legibus res pub. detinetur, & gubernatur.*
4 *Principis nomen, quomodo accipiatur.*
5 *Calumniatores, qui dicantur.*
6 *Iurisconsulti sacerdotes dicuntur.*

Procemium.

SAlus, & tranquillitas reipubl. consistit, & in prudenti guberuatione, & in iuris certa constitutione; vtrumq. tum temporum tum personę cōsideratione æstimatur. Temporum, veluti belli, & pacis. Belli, vt armorum sit peritus; Pacis, vt iustitiam tueatur, & iniquitates calumniātium expellat, in vtroq. tempore diuino auxilio, & summa animi sollicitudine, & vigilātia opus est. personæ, seu principis consideratione æstimatur, veluti, vt & ipse bene sit instructus, & Consiliarios bonos habeat. Bene instructus sic esto, vt virtutis studio, & iustitię laude, maiestatem Imperij tueri possit. Consiliarios bonos habeat, qui sint periti legum, solertes, & fideles. Hæc omnia se præstitisse demonstrat Imperator hic in procemio nostro, quod antequam iuris ciuilis elementa expli caret, præponere operæpretium duxit, sic fore ratus, vt cupida legum iuuentus, & principalem operā boni cōsulat, & ad Institutionum ciuilium prælectionem libentius inuitetur. Diuiditur hoc
1 procemium in tres partes principales; In prima ponitur officium Imperatoris, quod tā circa arma, quam circa leges versatur; dum arma audis, vsum armorum etiam percipis, idest, victoriam; & triumphum, dum leges audis, vsum legum intelligis. s. calumniæ pulsionem, & iuris religionē. In secunda, quæ incipit in §. quorum vtrāq. viā. Ostendit Iustinianus qualiter hoc adimpleuerit, & sic qūo prius arma tractauerit, deinde leges cō posuerit, & in vnum redegerit. In tertia postea, q̄ est in §. fi. non modo iuuentutē ad studium iuris hortat, verum vbi se eruditam ostēderit, præmia optimus princeps pro liberalitate sua pollicetur, Reipub. s. gubernationē, q̄ nos Imperij participes facit, & principis socios quodammodo reddit.

Incipit, Imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: vt vtrunq. tempus, & bellorum, & pacis rectè possit gubernari, & Princeps Romanus non solum in hostilibus prælijs victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniātium iniquitates expellat: & fiat tā iuris religiosissimus, quàm victis hostibus triumphator magnificus.

Imperatoriam maiestatē.] Per Imperatoriam maiestatem intelligimus Principē Romanum, in quo vniuersa Romani populi maiestas residebat.

Non solum armis decoratam, sed etiam legib. oportet esse armatā.] Obseruant Doct. ex hoc, q arma, & leges Imperatori, & Regi maximè necessaria sunt pro sustentatione, & gubernatione

3 Reipubl. suæ. Secundò, q̄ Imperator illud, quod est legum, tribuit armis, & q̄ est armorū tribuit legibus: vt ostendat vnum alterius auxilio egere. confert tex. in l.1.C. de Iustin. Cod. confirmā. ibi, istorū.n. alterum alterius auxilio eguit, & tā militaris res legibus in tuto collocata est, q̄ ipsę leges armorum præsidio seruatæ sunt. Et quatenus Io. Fab. Plat. Ang. & alij hic disputant, an Doctor sit militi pferendus. Dic, vt in addit. ad ipsum Ang. s. q̄ in actib. bellicis miles, in ciuilib. Doctor prefertur. In promiscuis verò Doctor ēt militi pfertur. Executores.n. pceptorum sapientum milites esse debent; Ideo Dioclet. & Maxim. Imper. in l. ab hostibus 1a 2. C. de capt. & postlim. reuers. dicunt. milites nostros defensores esse oportet, nō domi nos; æquiparationem etiā intellige de militibus, qui in castris degunt, non de ijs, qui per vicos, & plateas tota die discurrunt, quorū nulla est æquiparatio, nec digni, vt in hoc numero habeantur.

Vt vtrumq. tempus bellorum, & pacis rectè gubernari possit.] Si armis, & legib. respub. floreat, rectè v troq. tempore belli, & pacis gubernari potest, nam sicut tempore belli vsus armorum, ex quo victoria sequitur, & triumphus, ita tempore pacis, legū vsus, ex quo calumniæ pulsio, & iuris religio maximè cōuenit. Quidam existimant superflua esse verba illa; Bellorum, & pacis, cū hoc satis constet ex verbis vtrumq. tēpus, sed dic superfluum non esse, nec frustra fieri illud, quod ad maiorem declarationem venit gl. in c.1. de sum. Trin. & fid. cathol. Host. Io. Andr. Butr. & alij in c. nimis, el 1. de excess. prælat. nec expressio eius, qđ tacitè inest dr̄ superflua. Dec. cons. 77. col. fin. Cum igiť, q̄ hic erat dictū implicitè replicetur, & addatur explicitè, superfluū dici non potest; sicut superfluū non dr̄, si qđ in genere erat expressum, exprimatur in specie, Dec. cons. 517. col. 2.

Et princeps Romanus.] Princeps per quandā excellentiā dr̄ Imper., ideo quotiescunque nō circumscribitur, sed absolutè ponit p noīe dignitatis, principis appellatione venit Imper. intellige verū, dummodo nominatio fiat à subiecto, aliàs si à non subiecto, puto venire principem eius loci, & propriæ psonæ illius quemadmodū in simili dicimus; si causa de iure decidēda cōmittať, qđ intelligit de iure illius loci. Ias. in l. oēs populi col. 3. ff. de iusti. & iur. Abb. in c. 1. vt lite pendēte. Principis nomē, quo vtitur Imperator noster hic, multo lenius est, ac vilius, quàm aut regis, aut dictatoris, aut Imperatoris; Nam si vim vocabuli spectes, nulla eo significatur potestas in alios.
4 Princeps.n. nihil aliud est, quā primus; Lucretius,

Quod patrio princeps donarat nomine regem.

& princeps senatus nō plus potestatis habebat, quàm cęteri senatores; sed tantum primus sententiam dicebat.

Nō solum in hostilibus prælijs victor existat.] Victoriam ex hostibus reportare, quod valde reipubl. vtile, & principi gloriosum est, hoc armorum vsus tribuit.

Sed etiam per legitimos tramites.] Hoc est, vt exponit Aldobrandinus, & rectè, per modos à legibus inuentos, & traditos, & sic non via regia. sic volo, sic iubeo, sufficit pro ratione voluntas.

Calumniantium iniquitates expellat.] Calumniantium nomen generaliter hic Imperator accipit pro delinquētibus, aliàs propriè calumnia-
5 tores sunt, qui scienter falsa crimina intendunt. l. 1. §. 1. ff. ad S.C. Turpill.

Et fiat tā iuris religiosissimus.] Religiosus iuris est, qui fidelis, & diligēs obseruator est earum rerum, q̄ ad ipsas leges pertinent. Is.n. religiosus dr̄ (vt inquit Cic. lib. 2. de nat. deor.) qui omnia, quę ad deorum cultum pertinent, diligēter, & fideli-
6 ter tractat; hinc etiā Iurisconsulti sacerdotes dīr, qa quasi ipsius iustitiæ oracula, cæteris hominib. respōsa pbent. l. 1. ff. de iust. & iu. quem locum ita declarandum, primus omnium Budeus tradidit.

Quàm victis hostib. triumphator magnificus.] Æquiparat Imper. noster triumphum armorum, omnium honorum, qui a pop. Rom. dari solebāt, maximum, cum legum religione, & obseruātia, adeo quod tantum gloriæ, & splendoris est, obseruatorem legum esse, quantum victorem, & triumphatorem hostium, & sic habemus, q̄ sicut in bello se habent arma, vsus armorum, victoria, & triumphus: Ita in pace leges, legum tramites, siue vsus, calumniæ pulsio, & iuris religio.

SVMMARIVM.

1 *Bene facta non principaliter ingenio, aut viribus nostris, sed soli Deo accepta referenda sunt.*
2 *Laus in ore proprio, quando licita sit.*
3 *Iuris cognitio continuum, & indefessum studium requirit.*
4 *Olim Barbari quales, & hodie qui sint.*
5 *An statuta pœnalia peregrinos in delictis obligēt.*
6 *Quid in contractibus.*
7 *Differentia inter promulgare, & cōponere legem.*

§. Quorum vtramque viam.

IN hac secunda parte Imperator se viam bellicam, & legalem perfecisse ostendit, modesteq. commendat officium suum a rebus gestis, tribuens gloriam Deo; Bene .n. facta non principaliter ingenio, aut viribus nostris, sed soli Deo accepta referenda sunt. l. 1. C. de offic. præfect. præto. & primum quidem labores suos circa res bellicas ostendit; Deinde quanto studio in restituendo iure ciuili vsus sit, recenset.

Verba sunt hæc.] Quorum vtramq. viam cum summis vigilijs, summaq. prouidentia (annuente Deo) perfecimus, Et bellicos quidem sudores nostros Barbaricæ gentes sub iuga nostra redactæ, cognoscunt; & tam Africa, quam aliæ innumeræ Prouinciæ post tanta temporum spatia nostris victorijs a cęlesti nomine pręstitis iterum ditioni Romanæ, nostroq. additæ Imperio protestātur.

Omnes

Omnes verò populi legib., tā a nobis promulgatis, quam compoſitis reguntur. Et cum ſacratiſſimas conſtitutiones antea confuſas in luculentam ereximus conſonantiam, tunc noſtram extendimus curam ad immenſa veteris prudentiæ volumina, & opus deſperatū, quaſi per medium profundū euntes, cæleſti fauore, iam adimpleuimus. Ex ijs obſeruant Doct. ꝙ propria laus licita eſt. Ang. diſtinguit inter neceſſariam, vtilem, & voluntariam laudem, cui diſtinctioni nihil addēdū eſſe, putat Aldobran. hic, Tu dic licitam eſſe, & preſertim apud tria hominum genera nō eſſe reprehendendam. ſ. apud ignotos. Vnde illud Vergilij.

Sum Pius Aeneas

Apud ingratos Achilles ad Græcos. Iliad. t.

Cepi bis ſenas comitatus nauibus vrbes.
Non etenim galeæ fulgorem cernere noſtræ
Comminus audebant. &c.

Et apud eos, quibus ſpes auxilij afferenda eſt. Vlyſſes ſocijs ad fluctus, & ſtrepitum circa Charybdin animos deſpondentibus.

Non tū hocce malū, nunc grandius ingruit illo,
Cum nos vi tenuit vaſto Polyphemus in antro.
Et tamen hinc virtute mea nos conſilioque
Fugimus.

Sic & Cyrus in periculis, & prælijs magnificè de ſe loquebatur, & Antigonus ſecundus cętera faſtu vacuus, & moderatus, in nauali ad Cōn pręlio amicorum quodam dicente. Non vides quanto plures ſint hoſtium naues? Me verò ipſum, inquit quot nauib. opponis? Apud alios autem, & ſemper licita eſt, ſi gloriam Deo acceptam feramus, vt hic Imperator noſter facit. Et Plutarchus tradit in libello de ſui laude, nu. 30.

Illis verbis ſummis cum vigilijs.] Innuit Imp. iuris cognitionem, ſtudium continuum, indefeſſumq. requirere, nec laborib. quantumuis duriſſi-
3 mis, in tam præſtanti diſciplina, parcendum eſſe.

Barbaricæ gentes.] Barbari apud priſcos Romanos dicebantur omnes præter Græcos, & Ita-
4 los; At ſub recentioribus Imperatoribus Barbari ſolum dicti ſunt, qui ſub Imperio Romano non erant, vt ex Ammiano Marcellino docet Alciat. in tit. C. de Palat. ſacrar. largit. lib. 12. Hodie apud graues viros Barbari exiſtimant, qui Chriſtianæ legis non ſunt, vel ſanguinarij, & impij, quales milites gregarij plerunque ſunt.

Sub iuga.] Iugum ponitur pro Imperio, & poteſtate. Lucan. lib. 1.

Sub iuga iam Seres, iam Barbarus iſſet Araxes.

Inde ſubiugare pro debellare, dictum eſt. Liu. lib. 3. ab vrbe condita.

Innumerę Prouincię.] Appellat innumeroſum Imperator id, quod multiplex eſt, quāuis numerari poſſit; dñr. n. innumeræ. i. plurimæ, qua ratione vſus eſt etiam hoc verbo Plin. lib. 10. c. 65.

Omnes verò populi.] Subaudi, qui de facto obediunt, nam quamuis Imperator ſit dñs in temporalib. totius mundi, vt in l. depcatio. ff. ad l. Rhod. de iact. tñ leges ipſius non ſe extendunt, niſi ad illos, qui de facto ei obediunt. Hoſt. in c. 1. de conſtitut. Hinc argumentum elicitur: Quòd ſtatuta, & conſuetudines non ligant non ſubditos; ſed an non ſubditos contrahentes, vel delinquentes in territorio, dubiū eſt apud Doct. De delictis, dic,
5 quòd, Aut peregrinus ignorans pœnā ſtatutariā delictum cōmittit, quod eſt etiā de iure cōi prohibitum, & tunc puniri debet ſecundum ſtatuta, & conſuetudines illius ciuitatis, in qua delictum cōmiſit, & hoc quamuis etiā maior pœna imponatur per ſtatutum, videtur. n. iuſta cauſa, vt talis pœna imponi debeat, ex quo delinquens attētat factum damnatum, ita Bart. in l. cūctos populos. C. de ſumm. Trin. & fid. cath. Boſſ. in tit. de pœn. nu. 18. Marſil. in l. fin. nu. 81. ff. de iuriſd. omn. iud. communem dicit Gandin. in tit. de pœn. reor. nu. 16. & Marian. Socin. in cap. poſtulaſti, num. 16. de foro compet. Aut verò delictum a peregrino cōmiſſum nō eſt de iure cōi prohibitum, & tunc diſtingui debet; nam aut peregrinus ibi tantam moram traxit, quod veriſimiliter debet ſcire ſtatutum, & hoc caſu tenetur. l. 1. & 2. C. vbi de crimin. agi opor. Aut non contraxit tātam moram, & rurſus ſubdiſtingui debet, quia aut factum illud eſt per omnes ciuitates prohibitum, puta, vt non extrahatur frumentum extra territoriū, quod eſt prohibitum per totā Italiam, vt dicit Bar. in loco ſuperius allegato. & iſto caſu, ignorantiā allegare non licet. l. fin. §. licet quis. ff. de public. iud. Conſuetudines. n generales ignorare non licet. Bald. in rubr. de conſuet. rect. feud. & in hoc Doct. omnes conueniunt, vt dicit Corn. conſ. 64. in fi. lib. 3. Aut non eſt generaliter prohibitum, & non tenetur, niſi fuerit ſciens, vel ignorantia craſſa, & ſupina, ita Doct. omnes, de quib. ſupra mentio facta eſt, tenent. De contractibus verò, dic, quòd Peregrinus, qui contrahit cum aliquo, ligatur ſtatuto loci contractus, nec propter ignorantiā ſe tueri
6 poteſt. Bart. & omnes vbi etiam Pariſius in addit. in l. 1. C. de ſumm. Trin. & fide cath. Innoc. Imol. & Barbat. in rubr. de conſuet. Anch. ibid. col. 2. Bald. conſil. 461. vol. 1. Anchar. & Imol. in cap. 1. de empt. et vendit. Rochus de Curte in cap. cum tanto de conſuet. ſection. 9. nu. 2 et 3.

Legibus, tam a nobis promulgatis, quā cōpoſitis.] Leges promulgatas vocat, quas ipſe edidit, atq; diuulgauit. promulgari. n. aliqd appellamus, cum primum in publicum edictū promulgatur. Cic. ad Q. Fratr. li. 2. Caro legē ꝓmulgauit de imperio Lentuli abrogādo, Compoſitas verò, quas retro quidē Principes, et Iuriſconſulti ediderūt, ipſe tamen in ordinem redegit, et compoſuit.

Et cum ſacratiſſimas conſtitutiones.] Loquitur de prima editione Codicis.

Tunc noſtrā extendimus curā ad immenſa veteris prudētiæ volumina.] De cōceptione Digeſtorū loquitur, qđ ex infinitis veterum Iuriſconſultorū reſpōſis fuit cōpoſitū, q̄ duo penè millia librorū, et plus, quā tricies centena millia verſuū continebant, vt eodem loco declarauimus.

Opus

Opus disperatum] Dicit propter Iulium Cæsarem, qui (auctore Tranquillo) cogitauit de iure ciuili in vnum redigendo, & Cicero de se ipso in persona Crassi.

SVMMARIVM.

1 *Tribonianus quis fuerit.*
2 *Exquæstor, & Quæstor an sint vnum, & iedm.*
3 *Tribonianus Theophilus, & Dorotheus tres Institutionum compilatores.*
4 *Doctores legentes illustres.*
5 *Antecessores, qui sint.*
6 *Legum Cunabula Institutiones.*
7 *Antiqua fabulæ quæ.*
8 *Ratio iuris studij rectè instituendi.*

§. Cumque hoc.

DEmonstrat in hoc §. Imperator authoritate, & suasionibus suis, has Institutiones a Triboniano, Theophilo, & Dorotheo cōpositas fuisse, quorum solertiam, legum scientiam, & fidem, se ex multis rerum argumentis accepisse refert, eosquè Antecessores, & viros illustres appellat.

Verba sunt hæc. Cumq. hoc Deo propitio peractum est: Triboniano viro magnifico, magistro, & exquæstore sacri Palatij nostri, & exconsule, necnon Theophilo, & Dorotheo, viris illustribus, & antecessoribus (quorum omnium solertiam, & legum scientiam, & circa nostras iussiones fidem iam ex multis rerū argumentis accepimus) conuocatis, mandauimus specialiter, vt ipsi nostra authoritate, nostrisq. suasionibus Institutiones componerent, vt liceat vobis prima legum cunabula non ab antiquis fabulis discere, sed ab Imperiali splendore appetere; & tam aures, quā animi vestri nihil inutile, nihilq. perperam positum, sed quod in ipsis rerum obtinet argumentis, accipiant. Et quod priore tempore vix post quadriennium priorib. contingebat, vt tunc constitutiones Imperatorias legerent; hoc vos à primordio ingrediamini, digni tanto honore, tantaq. reperti felicitate, vt & initium vobis, & finis legum eruditionis à voce principali procedat.

Triboniano.] Fuit hic Tribonianus genere Pāphilus, Macedoniani cuiusdam filius, vir, qui naturæ dotibus, ingenioq. pollebat, vt suę ætatis nemini secundus esset blādo, & miti sermone. Eum tamen omnis religionis contemptorē, auaritięq. eousque deditum fuisse scribit Suidas Græcus auctor, vt omne ius, & fas venale haberet, leges.n. inquit ipse, singulis diebus ferebat, & latas reuocabat, vti indigentium vsus a quib. pecuniā acceperat, postulare videbatur. nō absimilem illi Virgiliano, qui leges fixit pretio, atq; refixit: sunt tn̄ qui aliter de Triboniano sentiant, nec temerè Grammaticis de Iurisconsulto credendum esse, existiment quandoquidem in suis studijs sibiipsis nimium complacentes, alios omnes contemnere, & præsertim Iurisconsultos nostros gennino quodam odio insectari soleant, inter quos est Alciatus vir magni nominis dispunct. lib. 4. cap. 7. & Mysing. hic nu. 1. cui iure optimo persuaderi nō potest, Iustinianum nostrum, vel ipsius Suidæ testimonio, Optimum & religiosissimum principē, tam iniquum monstrum passurum fuisse, nedum in tanto honore, & æstimatione habiturum, si talis, qualis ab ipso Suida describitur, fuisset.

Magistro.] Magister officiorum erat Tribonianus, vt habemus hic, & in tit. de confirm. digest. in princ. de quo officio extat tit. in Cod. de offic. magist. offic.

Exquęstore, & Exconsule.] Quærunt Doct. An Exquæstor, & Quæstor, Exconsul, & Consul sint vnum, & idem. Alcia. lib. 4. dispunct. cap. 3. & Mysing. hic idem esse putāt, tēporisq. vitio hanc Latini sermonis corruptelā inductā fuisse credunt, eo magis, cum videāt Tribonianum ipsum nunc Exquæstorem, nunc Quæstorem indifferēter appellari, vt in l. tanta in principio. C. de veter. iur. enuclean. Accursius, & Borcholten hic volunt Exquæstorem, & Exconsulem esse, qui iam Quęstura, & Consulis officio functus est, quasi extra Quæsture, & Cōsulis officium, sicuti Exarchiatri, & Excubicularij dūr, qui Archiatri, & Cubicularij munere functi sunt. l. medicos. C. de profess. & medic. l. maximarum. C. de excusat. li. 10. sicq. omnia alia officia, quæ similem adiectionem habent, eādem interpretationem recipere. Ant. August. lib. 3. emendat. cap. 3. refert. huic accedit tertia, & media quædam opinio. s. q̄ Excōsul, et Exquæstor idem sit, quòd olim Proconsul, et Proquæstor, hoc est, qui a magistratu quidem abijsset, eius tamen vice, ac nomine, aliquam Reipubl. partem, puta prouinciam administraret.

Theophilo, et Dorotheo.] Tribonianus ergo, Theophilus, et Dorotheus, tres illi fuerunt, quorum opera, et industria Iustinianus Imper. nr̄ in his Institutionū libris cōponendis principaliter vsus fuit; Quorum oīum solertiam, legum sciētiā, et fidem, ex multis rerum argumentis, hoc est, vt ego interpretor, experimentis accepit, et cognouit; argumētum.n. hoc in loco pro effectu ipsius, et sic pro rei probatione accipitur, vt etiam in §. 1. inf. de empt. et vendit. in verb. argumentum.

Illustribus.] Vocat eos illustres nō solum propter eminentiam doctrinæ, vt aliqui volunt, sed etiam propter gradum dignitatis, vnde et Doct. legentes illustres dicuntur, quod tamen restringitur ad eos tantum, qui per 20. annos legerunt, vt not. Bart. in procem. Digestorum, et Dec. in l. 1. ff. de offic. eius; cuius opinio communiter est recepta, licet contrarium ibi teneat Alex. et Ias. sic in l. 4. C. de contrah. stipul. nominat Vlp. suum amicum, et in l. ex diui. C. locati appellat eum suum patrem, vnde Cynus ibi dicit: Vides studiose, quantum possit scientia, quæ facit legum peritum, patrem, et amicum Principum.

Antecessoribus.] Hoc est, vt ego interpretor, iuris professoribus: ex Doctorib. n. qui forum sequuntur Togati, qui scholas, Antecessores dicuntur, quasi scilicet reliquis Doctoribus antecedāt.

Sic

Sic Turneb.aduerſ.lib.8.cap.19.ſcribit.ī quolibet doctrinę genere ab honore Anteceſſores dici eos,
5 qui alijs antecedunt,& ſic non vt Ferrarius Montanus doctiſſimus vir putat,quia Principem functionis cauſa in publicum antecedebant, nec vt gloſ.refert, quod ante Imperatorē pro tribunali ſedentem ex latere ſederent. licet enim hoc non inficiar, maximè cū Iuriſconſulti circa latus principis ſemper eſſe debeant,vt inquit Bal.poſt tex. in l.iuriſperitos.ff.de excuſat.tutor.tamen ex hoc anteceſſores dici nō admitto; Alij vt Borcholten hic,anticenſoribus, nō anteceſſoribus legendum eſſe putat,ex eo quod loco Cenſorum fuerint,& coerctionē morum habuerint,&ita The..philum, & reliquos Græcos interpretes, necnon Iuſtinianum ipſum in epiſtolis Græcis.ff.præfixis legere idem auctor refert,à quo non multum diſſentire videtur Alc.lib.3.diſpun.c.12.licet ſi litera mutāda ſit, de quo tñ valde dubitat, ei magis placeat, Aſſeſſoribus legendum eſſe ex Procopio Parthici belli lib.1.qui ita Tribonianum Aſſeſſorē vocat.

Mandauimus ſpecialiter.] Hoc dicit,quia licet condere leges à Principe delegari poſſit, id tamen ſpecialiter fieri debet,tex.eſt in l.2.§.poſtea ne diutius.ff.de origin.iur.

Noſtra authoritate,noſtriſq. ſuaſionib.] Alias quod ab ipſis compoſitum fuiſſet, legis vim non habuiſſet,ſed probabilis deciſio tātum,prout omnium aliorum doctorum fuiſſet. gloſ.in l.1.C.de legibus; nemo enim legem vniuerſalem condere poteſt, niſi poteſtatem ab Imperatore habeat, cuius nomine leges ſunt promulgandæ. l.2. §.1. D.Auguſtus.ff.de origin.iur.

Inſtitutiones componerent.] Sic dictas ſecundum gloſ.quia in ſtatum Romani iuris, noſtram erigunt intelligentiam.

Vt liceat vobis prima legum cunabula.] Appellat Inſtitutiones cunabula.i.initia. Vir.Aen.3.

Mons Idæus, vbi & gentis Cunabula noſtra.

6 A ſimili,quia ſicut in cunis infantes primo morari,ita iuris ſtudioſi Inſtitutiones à principio audire debent, & ſicut infans lacte malè nutritus progredi,& ad legitimam ætatem peruenire non poteſt, ita iuuenes Inſtitutionum ſcientia malè imbuti,nihil in legalib. ſtudijs acquirere poſſunt; quàm ergo ætatis noſtræ miſerendum ſit, in qua iuuenes vix quatuor,quinque, aut ſex Inſtitutionum Titulis cognitis in ipſo ſtatim ſtudiorum limine ordinarias lectiones omni difficultatum congerie oneratas audiunt,nemo eſt qui videat.

Non ab antiquis fabulis.] Antiquas fabulas appellat Montanus, cui conſentit Aldobrandinus etiam, prima illa exercitamenta iuuenum, quib. præceptores in hac legali ſcientia vti ſolebant. Caſus enim, & exēpla legum à fabulis deſumpta tradebant, vt hac dulcedine illecti iuuenes facilè difficiliora legum cunabula addiſcerēt; ſicut & in Rhetorica,huic legali ſcientiæ cognata,auctores eius facere ſolent. Sed cum hoc inſtitutum pręter quàm cęptum eſſet,cedere appareret,& iuuētus non vt primum iuſſa erat,fabulis præluderet tantum, ſed ad eas tanquam ad ſcopulos ſirenum conſeneſceret,non alienum ab eo, qđ Doctores noſtri hodierna die in rubricis facere ſolent, malum certè viuis lachrymis deplorandum, operæpretium viſum fuit modum huic rei præſcribere, & fabulis iuuentuti in poſterum non ita moram facere,ſed pręſtare in initio ſtatim vera iuris elementa, nequaquam nebulis illis antiquis obumbrata,ſed à principali opera profecta; Eguinarius autem Baro antiquas fabulas vocat veteres inſtitutiones bona ex parte deſitas, & antiquatas, & tanquā fabulas,fictaſq. res ſuo ſeculo habendas.

Et tam aures,quàm animi veſtri nihil inutile.] Nihil quod ad deciſionem cauſarum non ſeruiat, & quod hodie non obſeruetur.

Et quod priori tēpore vix poſt quadrienniū.] Si conqueritur Iuſtinian.de quadriennio;quis hodie non cōquerat de ſexennio, qđ ad huiuſmodi libellum perdiſcendum vix eſt ſatis. In cuius rei cauſa eſt vana Doctorum noſtrorum oſtentatio, qui in quacunq. re adductis rationibus, & legib. ex horrendo illo, & tenebroſo Commētariorum chao depromptis, oīa quæcunq. occurrunt, ſæpe neq; iuris ciuilis propria,neq; ad id, ꝙ in manib. habent vllo modo pertinētia prolixè,& verboſe diſputant. quo facto arcem doctrinæ ſe tenere exiſtimant, ſubtilis nomen ſibi ſomniant, ſupercilia ſuſtollunt,intument vultu,& ventilant humeros, ac ſi cum Atlante cœlum ferrent. id tantum non aliter audientib. poſtea contingit,quàm egenis,& inopibus hominib.interdum ſolet,qui cum totam noctem ſomniarunt,ſe diuites repentè factos eſſe,vbi diu gemmas,aurum,purpuram,dormientes contrectarunt, experrecti omnia domi ſuæ obtenta telis aranearum vident.

Vt & initium vobis,& finis.] Colligit Angelus ex hoc, quòd hæc ſcientia iuris habet initium,& finem;ſed ineptè quidem, vt animaduertit Aldobrandinus hic,nam cum infinito modo,vt inquit ipſe,varietur, pro morum, & negotiorum varietate,ita infinita eſt,& hoc eſt, quod dicitur in l. non poſſunt.ff.de legibus,non omnia legib.comprehendi poſſunt.Dicamus igitur nos,ꝙ per illa verba,vt & initium,& finis,Iuſtinianus demōſtrare vult nobis veram rationem iuris ſtudij rectè inſtituendi: vt.ſ.initium fiat ab Inſtitutionibus, Medium detur Pādectis,vltimū lectioni Codicis, & Nouellarum,de qua re etiam plura in Procem. Digeſtorum tradit, vbi inter alia quinquennium abſoluendo iuris ciuilis ſtudio præfixit. Primo.n. anno ſtudioſos diſcere voluit Inſtitutiones,& quatuor priores Pandectarum libros,quod vtinā obſeruaretur, & inſtitutiones ſaltem audirentur ſecundo ann.lib.ſeptē de Iudicijs cum quatuor ſingularibus.Tertio anno,octo de rebus,& tres ſingulares, quarto libros ſingulares decem, quinto poſtea, & vltimo anno reliquos quatuordecim Digeſtorum libros cū duodecim Codicis, & Authenticis legibus,eoſquè non in parte,ſed totos,

non

non per transennam, sed per suam cōsequentiam nullo penitus ex eis derelicto, & omnibus perfectis. §. Nos autem cum plurib. sequētib. Procem. Digest. sed in hoc, sicut & in alijs lusit operā Princeps optimus; Videmus enim hodie paucos hoc consilio versari in studijs, vt in primis, & maximè Institutiones eligant, ibiq. discēdas eas fideliter proponant, sed plerique, per omnes iuris ciuilis partes, volitant; Institutiones breuiter degustāt, nec in ijs aliquid immorantur. Atque ita fit, vt pauci ad veræ eruditionis fastigium perueniant.

SVMMARIVM.

1 *Quatuor sunt Institutionum libri.*
2 *Caius, cur noster, ab Imperatore nominetur.*
3 *Quis fit Caius, cuius duo Institutionum libri hodie circumferuntur.*
4 *Confirmatio statutorum, & legum, quando necessaria sit, & quando non.*

§. Igitur, & §. Quas.

PRosequitur Imperator demonstrare, qualiter ij quatuor Institutionum libri, per Tribonianum, Theophylum, & Dorotheum, viros illustres, & facundissimos, compositi fuerint, quibus compositis, & ab ipso lectis, & recognitis, plenissimum robur se accommodasse dicit. Verba sunt hæc. Igitur post libros quinquaginta Digestorum, seu Pandectarum, in quib. omne ius antiquum collectum est, quod per eundem virum excelsum Tribonianum, necnon cæteros viros illustres, & facundissimos, confecimus: in quatuor libros easdē Institutiones partiri iussimus, vt sint totius legitimæ scientiæ prima elementa, in quibus breuiter expositum est, & quod ante obtinebat, & qđ postea desuetudine inumbratū, Imperiali remedio illuminatum est. Quas ex oib. antiquorum Institutionibus, & præcipuè ex commentarijs Caij nostri tàm institutionum, quàm rerum quotidianarum alijsq. multis commentarijs cōpositos, cum tres viri prudentes prædicti nobis obtulerunt; & legimus, & recognonim*, & plenissimum nostrarum constitutionum robur, eis accōmodauimus.

In hos quatuor libros.] Diuisio Institutionum est in quatuor libros, numerus elemētis dicatus, & ideo iuris ēt elementa dñr. vnde sicut elementa rebus naturalibus, & humanis, ita Institutiones toti iuris ciuilis corpori vigorem præstant.

Caij nostri.] Hunc Caium pleriq. Iustiniani familiarem fuisse putant, propterea ꝙ eum nostrū appeller, & hic, & in §. item lex Cornelia, infra de publ. iud. sed inane est hoc argumentum, cum & à Pomponio, qui sub Imperatore Hadriano, multo ante Iustiniani tempora vixit, Caius noster in l. cum seruus. ff. de stipulat. seruorum. nominetur. Alij igitur nostrū, Caij cognomen fuisse credunt; Alij etiam S. Sulpitij discipulum fuisse cōtendunt. Connan. com. iur. ciuil. lib. 2. cap. 4. nu. 2. Ant. Augusti. lib. 1. cap. 5. sed vtcumq. sit, apparet satis, virum eruditione, & doctrina præstantem fuisse, &
2 ideirco cum à Iustiniano, tum à Pomponio nostrum beneuolentię causa nuncupari, sic etiā plerunq. prædecessores, qui nostræ fuerunt professionis, hoc nomine, nostros appellare solemus.

Tam institutionum, q̄ rerum quotidianarum.] Tres libros Institutionum, & rerum quotidianarū septem scripsit Caius iste, de quo hic mētio habe
3 tur. Duo autē libri Institutionū Caij, q̄ circunferūt, alterius, & cuiusdā Caij Christiani esse vidēt, quem ob id iuniorem Caium appellat Baro hic.

Et legimus, & recognouimus, & plenissimum nostrarum constitutionum robur eis accōmodauimus.] Memorat confirmationē harum Institutionum, q̄ extat etiā in l. 2. §. leges. C. de veter. iur. enuclean. ex quo inferunt DD. ꝙ si Princeps, vel populus cōmittit aliquibus, vt statuta cōdant super certa re, necesse est, vt ipsis cōditis, postea approbentur. Sed tu dic, ꝙ aut committitur ipsa legum, vel statutorum editio, & compilatio, prout est factū, & tunc necesse est, vt iterum ad popu
4 lum, vel Principem reducatur, & per eum approbetur, & ita procedit tex. noster, & tex. in l. 1. §. omnia. C. de veter. iur. enuclean. aut committitur ipsa authoritas statuendi, & tunc necesse nō est, vt iterum approbentur. l. 2. §. postea ne diutius. ff. de origin. iur. & ita Doctores omnes residēt, post Bart. in l. omnes populi. ff. de iust. & iur.

SVMMARIVM.

1 *Summus labor, alacritas, & delectatio in studendo requiritur.*
2 *Præmia, & pœnæ duæ rerum publicarum anchoræ.*
3 *Gubernatio Reip. verus est iurisprudentiæ scopus.*
4 *Quid sibi velint dictæ literæ PP. A.*
5 *Principes olim Consulatum, & alia publica munera gerere non erubescebant.*

§. Summa itaque ope.

IN hac tertia, & vltima parte Imperator intelligēs honore ali artes: Iuuenes ad studium iuris hortatur, & excitat, eis magna laborum præmia, pulcherrimum finem, & rerum publicarum regendarum dignitatem pollicendo. Ait enim.

Summa itaque ope, & alacri studio has nostras leges accipite, & vosmetipsos sic eruditos ostendite, vt spes vos pulcherrima foueat, toto opere perfecto, posse etiam nostram Rempub. in partibus eius vobis credēdis gubernari. D. CP. xi. Kal. Decemb. D. Iustiniano PP. III. Cos.

Summa itaq. ope, & alacri studio.] Colligunt Doct. ex hoc primò, ꝙ non mediocris, sed summus labor requiritur, hinc illud Horatij extat.

Qui studet optatam cursu contingere metam
Multa tulit, fecitq. puer, sudauit, & alsit.

Secundò, quod in studendo, alacritas, & delectio inesse debet.

Has

Has noſtras leges accipite.] Appellat leges ſuas, non quod eas confecerit, ſed quia eis authoritatem ſuam accõmodauit: omnia enim noſtra merito facimus, quibus authoritatem noſtram impartimur. l. 1. §. omnia. C. de veter. iu. enucleã. Hinc reg. illa, qui per alium facit per ſeipſum facere videtur cap. qui per alium de reg. iur. in 6. qui mandat ſolui ipſe ſoluere videtur. l. qui mandat, & l. cum iuſſu. ff. de ſolut. ſic & in delictis, qui per alium albũ prætoris corruperit, vel vi armata poſſeſſorem deiecerit, vel manus violentas in Sacerdotẽ coniecerit, perinde conueniuntur, ac ſi ipſe ſua mann hoc fecerit. l. ſi quis. ff. de iuriſd. omn. iud. l. 1. ff. de vi, & vi armat. cap. mulieres, de ſentent. excommunicat.

Sic eruditos oſtendite.] Eruditis optimus princeps præmia pollicetur, non alijs, hinc Abb. in c. clerici de iudic. ſcribit quòd imperiti Doctores non gaudent priuilegijs Doctorum.

Vt ſpes vos pulcherrima foueat.] Obſeruant Doct. ex hoc, quòd ſpes, ambitio, ac deſiderium honorum, & magiſtratuum, ſi virtute eſt innixa, nõ damnatur; Facit tex. in l. 1. ff. de iuſt. & iur. ibi. Bonos non ſolum metu pœnarum, verumetiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes. Sic Solon dicere ſolebat (vt Cic. in quadi epi. ad Bru. ep. 15. refert) præmia, & pœnas eſſe duas rerum publicarum anchoras, Et Demoſthenes contra Leptinen, non facile Rempubl. conſiſtere probat, vbi non eſt præmium virtuti propoſitum, & pœna ſceleri. Vnde Horatius.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Valer. Max. lib. ſecundo honorem, & laudẽ vnicum virtutis alimentum eſſe dicit, id quod Ariſt. ethic. 4. præmium virtutis appellat. Cic. offi. 1. inquit. Natura comparatum eſt, vt vix inueniatur, qui laboribus ſuſceptis, nõ quaſi debita mercede laudis, & gloriæ cupiditate ducatur. Theodoſ. & Valent. in l. & virtutum. C. de ſtatuis, & imaginib. dixerunt. Conueniens eſſe virtutum præmia tribui merentib. Card. in clem. 1. §. excellẽtiſſimum de reliq. & vener. ſanct. inquit, quòd Doctor perdit memoriam in cõſulendo, & legendo, ſi ei debitum ſalarium non ſoluatur: Vnde verſus.

Muneris infundas oleum, fuge nomen auari

Sic ægræ menti poterit medicina parari.

Verum principalis finis, nõ ſpes lucri eſſe debet, ſed vt gloria Dei in adminiſtratione Reipubl. il-
3 luſtretur, & humanæ vitæ ſocietas conſeruetur; Gubernatio enim Reipubl. verus iuriſprudentiæ ſcopus, & finis eſſe debet.

Toto opere perfecto.] Totũ, & ex omni parte perfectum, Inſtitutionũ opus pcurrere, audire, & legere debent iuuenes, ſi eruditi euadere volunt, vt gubernatio Reipubl. eis poſtea credi, & committi valeat, & ſic non vt multi facere ſolẽt, qui aliquot Inſtitutionũ titulis percurſis, in ipſo ſtatim ſtudiorũ limine ordinarias lectiones omni difficultatum congerie oneratas audiunt.

D. C. P. xi. Kal. Decẽb.] Lege datũ Cõſtantinopoli, vrbe Thraciæ ad Propontidem, vbi olim fuit ſedes Imperatorum Orientis xi. Kal. Decemb.

D. Iuſtiniano.] Sicut olim in libera Repub. per Conſules adnotari tempora ſolebant, ita poſtea per Imperatores adnotari cęperunt, tot. titulo, vt præponat. nomen Imper. in Authen.

P. P. A.] Quidam per dictas literas. P. P. A. patrẽ Patriæ intelligũt, quod cognomẽ Cicero primus meruit cõiuratione Catilinæ detecta, & vrbe incendio liberata, ſecundum Appian. lib. 2. de bello ciuili, lib. 7. cap. 30. poſtea hoc cognomẽ Ciuitas vniuerſa Auguſto detulit, & cũ p̃ modeſtia id nõ reciperet, rurſus per Valerium Meſſalam cunctis id mandantibus ei delatum fuit, vt Suetonins in
4 Octauiano Auguſto, cap. 58. ſcribit. Sed hic legendum eſt. P. P. A. hoc eſt, Perpetuo Auguſto, vt Borcholten legit. non Patre patriæ, vt alij.

III. Conſule.] Tertium Conſule, qui annus fuit Iuſtiniani ſeptimus, non erubeſcebant enim olim principes ambire, & gerere Conſulatus, ſicuti & alia publica munera.

SVMMARIVM.

1 *Omne ius, vel ad Perſonas, vel ad Res, vel ad actiones pertinet.*
2 *Iuriſprudentiæ finis, eſt ipſa Iuſtitia.*
3 *Vera Iuſtitiæ declaratio traditur.*
4 *In Iuſtitia ſpectatur voluntas, non factum.*
5 *Quotuplex ſit Iuſtitia, & vnde dicta.*
6 *Quid Iuriſprudentia.*
7 *Quid ſignificent verba illa. Diuinarum, & humanarum rerum notitia, vltra alios exponitur, & declaratur.*

DE IVSTITIA, ET IVRE Tit. I. Libri primi Inſtitutionum.

OMne ius quo vtimur, inquit Iuſtinianus Imperator noſter, in §. fi. infra de iur. nat. gen. & ciu. vel ad Perſonas pertinet, quibus ius redditur, & quarum gratia conſtitutũ eſt. l. 2. ff. de ſtat. hom. vel ad Res, de quib. redditur, vel ad Actio-
1 nes per quas redditur. De Perſonis, agitur in hoc primo libro. De rebus reſpectu dominij, in ſecũdo. De Rebus, reſpectu obligationis in tertio. De Actionibus poſtea in quarto, & vltimo. Verũ, quia finis, & ſcopus Iuriſprudentiæ ſecundũ Cic.
2 lib. 1. de Orator. eſt ipſa iuſtitia, ad quam omnia legum iuſſa diriguntur, & omnes ſtudiorum noſtrorum rationes referri debent, Medium autem quo id obtineri poteſt eſt ius cognoſcere, & quid in qualibet re iuſtum, & iniuſtum, æquale, & inæquale ſit ratione, & ſtudio exquirere: idemq. exquiſitum atque cognitum ſcienter reddere. Ideo meritò in primis, antequã ad explicationẽ Perſonarum deſcendat Imperator, ponit de iuſtitia, & primis ac vniuerſalibus principijs iuris, tam in hoc Tit. de Iuſt. & Iur. cum quo concordat. Tit. ff.

de

de Inst.& Iur.quã in Tit.sequenti de iur.nat.gent. ac ciui. vbi de multiplici iure differitur.& hoc optima quidé ratione; nam sicut viatores,qui certam metam propositam,& semitã, quæ eo recta ferat,probè cognitã habent,aberrare minus possunt; sic in disciplinis tradendis, cum initio finis proponitur, deinde media ad ipsum cõducentia inuestigantur, fit vt minus hallucinari discentes possint. Pro explicatione igitur,& vera huius tit. cognitione septem capita sunt à nobis constituenda.In primo capite videbim', Quid sit Iustitia. In secũdo,Quotuplex sit. In tertio,Vnde dicta sit. In quarto, Quid sit Iurisprudẽtia. In quinto,Quo ordine tradenda.In sexto,Quot sint pcepta iuris. In septimo,& vltimo,Quotuplex sit ipsum ius.

Quid sit Iustitia.

Iustitia est constans,& perpetua voluntas ius suum vnicuiq. tribuendi. tex.est hic in principio tit.nostri,& in l.Iustitia.ff.eod. Dicit voluntas,qa nulla virtus est,præter Iustitiam,quę mera volun tate feratur, cũ ceteræ aliunde principaliter moueantur cõcurrenti etiam voluntate, Arist. eth.5. c.3.& D.Tho.2.2.q.58.art.fi. Volũtas ergo in iustitia sufficit, vt quis iustus esse dicatur, & sic iu-
3 stus est,qui vult,non qui simpliciter iusta facit;nã iniusti etiam iusta quandoq. faciunt,& tamẽ quia non iusta volunt,iusti non dicuntur,sicut è conuerso,Iusti non iusta quãdoq. faciunt, & iusti nihilominus sunt,quia iusta volunt. Voluntas igitur
4 in Iustitia inspicitur,non factum. propterea licet non omne id, qđ à bona, & iusta voluntate procedit,propter imbecillitatem humanã; quæ sæpè errare homines facit;non semper iustè factũ dici possit;tamen spectatur voluntas,quæ si nihil nisi bonum,& iustum cupiat, quod ex ea producitur non iniustum,sed iustum,& bonũ dicitur,quemadmodum è contra ea,quę à tirannis proueniũt, siue noceãt,siue nõ,inspecto eorũ animo,iniusta dicuntur,vt Plato lib.9.de legib.tradit. Voluntatẽ ergo,non aliud in nobis optimus Princeps requirit, & tñ hanc volũtatem hodierna die vix inuenimus, licèt multi se iustos esse fingant, & specimẽ iustæ voluntatis foris ostendant. Eodem modo Arist.ethic.5.in principio. Eum animi habitum, quo res iustas facimus,& volumus facere iustitiã appellat,nota verba illa,& volumus facere.Dicit. Constans, & perpetua, quia iustus non est,qui modò aut vni vult, modò & alteri non vult ius suum cuique tribuere, sed is demum iustus est, qui sic ab animo cõparatus est,vt perpetuò semper,& omnibus ius cuique suum velut tribuere. sic Cicero philipp.1.Mea perpetua,inquit,& cõstans voluntas in Rempubl. Abeant modo qui suis cauillationibus optimi Principis nostri definitionem impugnare contendunt. Sileat Accurs. & alij,qui eum sequuntur,quorum omnium obiectiones sola hac declaratione diluuntur.

Quotuplex sit Iustitia.

Humanam Iustitiam, de qua nos hic agimus, veteres Sapientes in vniuersalem, & particularẽ distribuerunt.Vniuersalis est,quæ in se oẽs virtutes complectitur, de qua philosophorum munus est tractare. Particularis est ciuilis, & Politica quædam,quæ Iurisconsultorũ propria est,& hæc a Doct.nostris diuiditur in distributiuam,& commutatiuam. Distributiua vtimur in honoribus,in pęnis,muneribus,& alijs id genus, in quorum distributione personarum,& rerum qualitas atten-
5 ditur. Commutatiuam adhibemus in cõtrahendis vltro citroq. negotijs,in damnis sarciendis,in iudicijs, & cęteris eiusmodi, in quibus nulla gradus,aut personarũ ratio habetur;sed res rei simpliciter confertur,quod cũ ignoraret Cyrus adolescens præpostero iudicio vsus est. Cum.n.puer grandior breui tunica indutus,longiorem alteri minori eripuisset data breuiore, tanquam grandiori,oblonga vestis magis conueniret. Cyrus ad cuius iudiciũ puerile certamen delatũ erat, benè actũ pronunciauit.Perperam ille quidẽ,ac proinde à magistro reprehensum fuisse, quòd contra legem iudicasset, quæ præcipit, vt suum quisque teneat, Xenophon in Cyri Pędia author est.

Vnde dicta sit Iustitia.

Dicta est iustitia, quasi vim sistat, vel, vt alij, quasi ius sistat.aut vt Isidorus in c.forus,de verb. signific.quasi iuris status, eo quòd in ea ius stet. Ideo definitur etiam Ius Ars boni, & æqui, hoc est, exercitium boni, & æqui viri in colenda Iustitia. In iure enim veluti in quodam sacro Iustitiæ templo versamur i propterea Iustinianus Digestorum librum in vnum colligens se sanctissimum Iustitiæ templum consecrare dicit in l.1.§. cumque. C.de veteri iur.enucleand. & deinde se Iustitiæ gloriatur in proœmio Digestorum.

Quid sit Iurisprudentia.

Iurisprudentia est scientia illa, quæ docet qualiter ius suum cuiq. tribuatur, secundum Accurs. hic in verbo, Itẽ,quæ est differentia,qui ait, quòd
6 iustitia vult vnicuique suum tribuere, ius coadiuuat, & Iurisprudentia docet, qualiter illud fiat. Definiturq. diuinarum,& humanarum rerum notitia,iusti,& iniusti scientia.§.1.hoc Tit. & l.Iustitia.§.Iurisprudentia.ff.eod. Dicit,diuinarũ,& humanarum rerum notitia, hoc est,iuris publici,& priuati. Ius enim publicum in diuinis,& sacris.
7 Priuatum in humanis rebus consistit, vt infra videbimus.sic Velleius Paterculus Domitium Sceuolam diuini,& humani iuris authorem celeberrimum appellat.Dicit Iusti,& iniusti sciẽtia,quia iusta ab iniustis,& licita ab illicitis discernere docet.l.1.ff.eod. Quandoque etiam Iurisprudentia alio nomine dicitur sciẽtia iuris,vt in l.si seruũ.§. sequi-

sequitur.ff.de verb.oblig. & quandoque appellatur ars boni, & æqui, vt in l.1.ff.eod.quæ verba boni, & æqui pertinent ad explicationem illius, quod est proprium huius artis, quo tanquã propria sua nota à reliquis omnibus disciplinis, & facultatibus seiungitur, vt alibi etiam diximus.

SVMMARIVM.

1 *Iurisprudentia à principio leui, & simplici via tradi debet.*
2 *Difficilis est via iuuenis in adolescentia sua.*
3 *Quatuor sunt hostes scholasticum iuuenem impugnantes.*

§. His igitur.

IVrisprudentia tradenda est à principio leui, & simplici via,& postea diligẽtissima,ac exactissima interpretatione,& hoc ne iuris studiosus varietate rerum oneratus studia deserat.§.his igitur hoc Tit. Multos.n.diffidentia ab huiusmodi studio plerunq; auertere solet. Nam vt refert Accurs. hic in verbo auertit, Salomõ dicere solebat. Tria sibi incognita esse,& quartum penitus igno-
1 rare.Via colubri super lapidem, Via auis volantis in aere , Via nauis in medio maris, & quartum
2 difficilius, Via iuuenis in adolescentia sua; Refert Faber quattuor esse hostes,qui scholasticum iuuenem impugnant; Timor difficultatis,terror prolixitatis,pauor aduersitatis,& tremor instabilita-
3 tis; Primum hostem impugnat studiosus magnificentia, & magnanimitate; Secundum conterit fiducia,& securitate; Tertium sustinet patientia, & longanimitate; Quartum repellit perseuerantia, & firmitate. Ex hoc apparet, quàm inepte faciant Doctores illi,qui varias,& infinitas quæstiones ad id,quod in manib. habent nullo modo pertinentes, inculcant. Vtinam isti hunc textum perpetuo præ oculis haberent, nequaquã.n. omissa tex.interpretatione ad inuia lustra, & inextricabiles quæstionum angustias euagantes, se ipsos,ac studiosam iuuentutem perderent; Verũ relinquamus eos pertinaciter in errore suo persistere, & nos nostra qualitercunq; sint placitura, feliciter sequamur,cum de ordine,& modo docẽdi,aliàs,& alio loco dicturus sim, Interim videas, q. scripsit Pater meus in suis pludijs feudorũ. q.2.pag.59.vbi pulcherrimè,nisi me paternus amor decipit,ordinẽ,& modum docẽdi explicat.

SVMMARIVM.

1 *Quot sunt Præcepta iuris.*
2 *Quid contineat primum Præceptum.*
3 *Magistratus cogere potest maritum ad dimittendam concubinam,& retinendam vxorem.*
4 *Meretrices instantibus vicinis expelli possunt.*
5 *Inhonestæ mulieres cogi possunt portare aliquod signum, vel habitum,per quem discernantur à matronis.*
6 *Qui inhonestũ promittit obseruare non tenetur.*
7 *Inhonesta consuetudo, & inhonesta lex, nullius valoris sunt.*
8 *Quid contineat secundum præceptum.*
9 *Antiquitas pro dijs habebat,qui ad vitæ commoditatem aliquid afferebant.*
10 *Non solum alterius,sed etiam sui ipsius offensiò prohibita est.*
11 *Quid contineat tertium præceptum.*
12 *In delictis puniendis personarum qualitas consideratur.*
13 *In cõtractibus nõ cousideratur qualitas personæ.*

§. Iuris præcepta.

Quot sint præcepta Iuris.

TRia sunt Iuris præcepta , quæ enumerantur per Imperatorẽ nostrũ hic in §.Iuris præcepta, & referuntur ab Vlpia.I.C.in l.Iustitia.§.1.ff.
1 eodem, scilicet honeste viuere, alterum non lędere, & suum vnicuiq. tribuere, sub quib.cõprehenditur etiam dictum illud,quod tibi fieri non vis,alteri ne feceris,ab Alexandro Seuero Imperatore adeo dilectum,& veneratũ,vt in Palatio, & publicis operib. illud præscribi iusserit,quemadmodũ Lampridius in illius vita narrat. Ex his tribus præceptis tãquam ex tribus fontibus omnes leges emanant, Nulla.n.lex est,quæ non eò spectet, vt vel honestè viuant homines,vel alterũ non lędant,vel suũ vnicuiq. tribuant,vnde & tres illi exitiales affectus à natura corrupta mortalib. tributi, nempè libido, ira, & cupiditas, quib.veluti tribus furijs diu, ac noctu agitantur hominũ mentes,vt Lactantius lib.6. de vero cultu tradit, mire coercentur,& frenantur, Compescitur libido, si honeste viuatur, ira coercetur, si nemo lædatur,cupiditas frenatur,si suum cuiq. tribuatur.

Quid contineat primum præceptum.

PRimum præceptũ, honestè viuendi,licèt alia multa cõprehendere possit, propriè tamen ad mores refertur, vt omnes nostræ actiones ita
2 instituantur,quemadmodũ ratio suadet,& ne qd contra honestatem faciamus,sed semper non solum quod licet,sed etiam quod honestũ est spectemus.l.non omne,& l.sẽper.ff.de reg.iur.Dico non solũ qđ licet,sed etiã qđ honestũ est,qa,nõ semper id,quod licet honestũ est,vt re ipsa compertum habemus; Licuit quidẽ Romanis audax facinus exercere in Sabinarum virginib.rapiẽdis, vt vxores haberent, Cæterum illud honestum nõ fuit,hinc Plin.epis.lib.5.oportet quidem(inquit) quæ sunt inhonesta non quasi illicita , sed quasi pudenda vitare; Cicero pro Rabitio,res iudices, ait,vestri consilij est,vestræ sapientiæ, quid deceat vos, non quantum liceat vobis,spectare debetis,si enim,quod liceat quæritis, potestis tollere è ciuitate quem vultis; Claudianus quoque Honorium admonet,vt non quod liceat,sed id, quod decet in vitę,atq; imperij ratione spectet.

——— sed comprime motus,
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit.
Decurrat, mentemq. domet respectus honesti.

Nero apud Senecam in Octauo Actione secunda, Scena vltima, inquit.

Prohibeor vnus facere, quod cunctis licet.

Seneca vero respondet.

Maiora populus semper à summo exigit.

Ex hoc præcepto, vt honestè viuamus, infertur,
magistratum cogere posse maritum ad dimittendam concubinā, & retinendā vxorem, cum hone-
3 stum non sit, concubinam cū vxore retinere. l. 1.
C. de concub. sic meretrices, & aliæ inhonestæ psonę de vicinia instantib. vicinis expelli possunt.
4 l. si qua. C. de spectac. lib. 11. vbi non licet in loco
honesto inhonestas adnotare personas. Confert
tex. in l. Minime. C. de Epis. audien. quo loci habemus mulieres, quæ quæstus corporis sui faciunt,
non debere vti habitu earū virginū, quæ Deo dicatæ sunt, per quē tex. ibi decidit Bal. ꝙ mulieres
5 inhonestæ cogi possunt portare aliquod signū,
vel habitum, per quem discernantur à matronis.

Secundo infero inhonestè aliquid promittentem ad illius obseruationem non teneri. l. generaliter cum seq. ff. de verb. oblig. & hoc quamuis
6 iuramento promissio firmata sit, nam iuramentum contra bonos mores præstitum nullam obligationem parit. cap. non est de reg. iur. in 6. Ideo
seruus, famulus, & mulieres ad inhonestas operas non tenentur. l. eius artifici. ff. de oper. libert.
Illudq. nos facere non posse credimus, quod inhonestè possumus. l. filius. ff. de condit. & instit.
l. nepos, & ibi Rebuf. ff. de verb. signif. Agesilaus,
cuidam iniusta postulanti, quod ipse promisisset,
respondit: Si iustum est, quòd dicis promisi, sin
minus dixi, sed non promisi. Hinc Seneca.

Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat, interni scelus est fides.

Tertio infero, nec inhonestam consuetudinem
tenere, vt quæ prohiberet prælatos, ne subditos
7 suos corrigerent cap. irrefragabili, & ibi Abb. de
offic. ordin. vel quæ permitteret ludos in Ecclesia. c. cum ad decorem de vita, & honest. cler. vel
quę obligaret homines ad potus æquales. c. à crapula eod. tit. de vita, & honest. cler. qui tex. est Innocentij III. qđ tamen plus trecentis annis ante
ipsum statuerat Carolus Magnus c. 138. & Ludouicus Pius eius filius. c. 172. vt posuit glo. Parisien.
par. 4. tit. 50. qua laude non caruit conuiuium
Assueri, vt Hester. c. 1. Dicta à nobis de consuetudine extendite etiam ad legē, quæ nisi honesta, &
possibilis sit, nō valet. c. erit autē l. 4. dist. latè tradit pater meus in suis Prælud. Feud. q. 1. pag. 20.

Quid contineat secundum præceptum.

SEcundum præceptum pertinet ad conseruationem humanæ societatis, ne alter alterum
offendat, quę verba licet ad corpus tantummodo
videantur referri, tamen intelligūntur de quacunq;
offensione, siue in corpore, siue in fama, siue in
bonis facta sit; nam fama, & vita æquiparantur
8 secundum text. in l. iusta. ff. de manumiss. vindict.
& bona altera hominis vita censentur, ita glos. &
Doct. in l. aduocati in verbo vitam. C. de aduocatis diuersor. Iudic.

Ideò quantum ad corpus, qui dolo, & ex proposito alterum occidunt supplicio capitis vltore
gladio prostrati feriuntur, & hoc, siue armis fecerint. l. 1. §. diuus. ff. ad l. Corn. de sicar. siue veneno,
l. 1. & 3. eod. tit. siue per sortilegia, ac maleficia. l.
si quis aliquid. §. qui abortionis. ff. de pœn. siue
ministerio linguæ, vt cū quis præmijs corruptus
iniustè aliquem ad mortem damnat lege lex Iulia. §. fin. ff. ad l. Iul. repetund. vel falso testimonio
ad mortis condemnationem adigit. l. 1. §. 1. ff. ad
l. Cornel. de sicar. Dixi, si dolo, & ex proposito,
quia si culpa tantum, vel casu non tenentur vltimi supplicij pœna, sed alia extraordinaria ad arbitrium Iudicis, secundum personarum, & facti
qualitatem puniuntur.

Quantum ad Famam, qui libellum, siue carmē
ad infamiam alicuius componunt capitis pœna
puniuntur, & non ipsi tantum, sed etiam quicunque eum libellum inueniens manifestauerit lege
vnica. C. de famosis libellis.

Quantum ad bona pariter, qui furto alterius
res auferunt ex consuetudine totius orbis recepta, vltimo supplicio damnantur Doct. in tit. ff.
& Cod. de furt. & qui igne, igne & ipsi puniūtur.
l. qui ædes. ff. de incend. ruin. & naufr. Sic & igne
puniuntur illi, qui rumpunt, & frangunt, aut littora maris, aut aggeres, vel ripas fluminum ad
inundandos vicinos agros. l. vnica. C. de Nili aggeribus non rumpen. eademquè pœna cooperatores, & consultores simul puniuntur, vt Cynus
ibi, & Baldus notant, Et certe nefarium, ac iniquissimum est quoquomodo hominem homini
insidiari, quinimo omnino contra naturam, cum
homo naturæ obediens, teste Cic. 2. offic. homini
nocere non debeat, homines enim, vt idem 1. offic. tradit, hominum causa generati sunt, vt ipsi
inter se alij alijs prodesse possint, ideo qui alteri
prodest, ei Deum extitisse dixit 1. de nat. Deor.
nihilq. aliud Deum esse putauit antiquitas, quam
prodesse mortalibus, propterea eos, qui ad vitæ
cōmoditatem aliquid attulissent pro dijs habuit,
& venerata fuit ad eo quidem, vt belluas quasdā
etiam pro dijs coluerit, quemadmodū Aegyptij
Ciconiam, & Romani Anserem, Hi, quod Capitolinam arcem à Gallis obsessam Anserū clangore, & cursu Romani custodes experrecti ab
hostium irruptione seruauerint, Liuius lib. 5. Illi,
quod serpentes ex Arabicis paludibus subuolantes Ciconia obuiam profecta arcere, necarequè
putaretur; Alij Solem, Lunam, Terram, &
Aquam pro dijs coluerunt, quia ad hominum
vitam maxime prodesse videbantur; Licet igitur Dei appellationem nulli creaturarum, nec
per iocum quidem pius Christianus tribuere debeat,

beat, nihil tamen æquè diuinum mortales habẽt,
quàm alijs benefacere, vt Greg. Nazianz. in Orat.
de cura pauper. inquit, tuncq. Deum mortales
imitari dicuntur, cum benefaciũt, Strabo lib. 10.
ſuæ Geographiæ, Ampliatur huiuſmodi præce-
ptum, vt non ſolum alterius, ſed nec etiam ſui ip-
ſius offenſio licita ſit, quia præceptum illud diui-
næ legis, Non occides, ſe ipſum occidentem cõ-
10 præhendit cap. ſi non licet, 23. quæſt. 5. Ex quo
infero, quòd ille, qui manum ſibi intulit, ſi non
perfecit, eadem pœna puniri debet, qua punire-
tur, ſi alterum vulneraſſet, ita Alberic. Fulgoſ. Ca-
ſtrẽ. Iaſon, & alij in l. 2. C. qui teſtam. facere poſſ.
Ratio eſt, quia nemo eſt dominus membrorum
ſuorum, & non maius ius in proprium, quàm in
alterius corpus habet. l. liber homo. ff. ad l. Aquil.
propter quam rationem concludit Angelus hic
neminem ſe obligare poſſe ad pœnam corpora-
lem, ſed ſolum pecuniariam lege ſi quis, & ibi
glo. ff. de cuſtod. & exhibit. reorum. Alia redditur
ratio, quia qui ſibi ipſi nequam, alteri nequior
futurus præſumitur. l. 3. §. ſic autem. ff. de bonis
eor. qui ante ſenten. ſibi mort. conſciu. Et hoc,
quando nulla præcedente cauſa quis ſe ipſum
offendit, ſecus ſi metu perpetrati criminis ſe vul-
neret, nam tunc non punitur eadem pœna, qua
puniretur, ſi alterum vulneraſſet, ſed tãquam de-
lictum confeſſus pœna capitis lege omne deli-
ctum. §. qui ſe vulnerauerit. ff. de re milit. & ſi ſe
occiderit non ſolum conſuetis ritibus non eſt lu-
gendus, ſecundum textum in lege liber orum. §.
Pomponius. ff. de his, qui notant. infam. ſed etiam
ipſius bona fiſco applicantur dicta lege tertia,
& principio. ff. de bonis eorum, qui ante ſenten.
ſibi mortem conſciuer. ſicquè mortuus ex loco
ſui homicidij equo pertrahitur vſque ad locum
ſupplicij, vbi non in patibulo, ſed ignominioſius
in furca ſuſpenditur, vt hoc nouo eoque dedeco-
roſo ſuſpendij genere populo ſpectaculum præ-
beat Iodochus Damhouderius in ſua pract. crim.
capit. 88. Hoc tamen, quòd qui ſe vulnerauerit
metu perpetrati criminis tanquam confeſſus pu-
niatur pœna capitis, & bona ei confiſcentur,
non ſic generaliter procedit, ſed requiritur, &
primo ad hoc, vt puniatur pœna mortis, quod
crimen, cuius metu id fecit, ſit capitale. dicta le-
ge tertia. §. ergo: nam ſi non eſſet capitale non
puniretur pœna mortis, ſed alia, equali delicto;
cujus metu id fecit, tanquam de delicto illo
abſque alijs probationibus conuictus.

Secundo ad hoc, vt bona ei confiſcentur, re-
quiritur, vt dictum crimen ſit tale, propter quod
bona veniant ei auferenda ſecundum textum in
dicta lege tertia. §. vt autem Diuus Pius, vt hodie
in crimine læſæ maieſtatis, hæreſis, & ſimilibus,
nam ex alijs bona amplius non auferuntur, ſecun
dum conſtitutionem Iuſtiniani Imperatoris in
Authen. Bona damnatorum. C. de bonis damna-
tor. Tertio ad hoc, vt etiam ijs concurrentibus
puniri poſſit requiritur poſt accuſationem, vel
in ſcelere deprehenſus, ſibi manum intulerit. d. l.
3. §. ergo, nam ſi ante accuſationem in hoc caſu
benignius in dubio ſequimur mitiorem partem,
vt ſcilicet, potius intelligatur, dolore, vel tædio
vitæ, aut furore, vel inſania ſibi vim intuliſſe, quo
caſu ſi ſe vulnerauit nulla pœna puniri debet. d. l.
tertia. §. ſic autem, & ſi ſe interfecerit, nec ſuc-
ceſſore caret, nec alia ignominia cadauer affici-
tur. l. 1. C. de bonis eorum, qui ante ſentent. ſibi
mort. conſcin. & l. final. §. ſi quis autem. ff. eod. tit.
Varia enim, & plurima extant exempla eorum,
qui tædio vitæ, amoris furore, aut impatientia
doloris ſibi mortem conſciuerunt. Legitur de
Aegeo Theſei patre, qui (Theſeo ad Minotau-
rum eunte) mandauit gubernatori velorum, vt ſi
incolumis rediret Theſeus, velis albis vteretur,
quòd cum oblitus fuiſſet gubernator, Aegeus ex
nimio dolore ex arce ſe præcipitem dedit. De
Pyramo, & Thyſbe habemus, quòd propter amo
ris vehementiam ſibi manus intulerunt. Idem de
Didone commemorat lib. 4. Aen. Verg. ibi.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.
Sed miſera ante diem, ſubitoq. accenſa furore
Nondum illi flauum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioq. caput damnauerat Orco.

Annibal fortiſſimus Carthaginenſium Dux, vt
teſtatur Liuius, ne in hoſtium poteſtatem veni-
ret, veneno vitam cum morte commutauit. Pha-
ſelus Herodis Regis frater captus ab Antigono,
& manibus vinctus, cum amariſſimum indicaret
ſub inimico homine perire, caput ſuum ſaxo illi-
ſit, ex eoque vulnere obijt.

Quid contineat tertium præceptum.

TErtium præceptum, vt ius ſuum vnicuique
tribuatur, pertinet tam ad Diſtributiuam,
quam Commutatiuam Iuſtitiam, & ſic tam per-
11 ſonas, quam res reſpicit, nam Diſtributiua verſa-
tur circa diſtributionem pœnarum, & pręmiorũ,
proportione Geometrica, hoc eſt, ꝓ ratione me-
ritorum, & pro qualitate perſonarum, Commu-
tatiua pertinet ad æqualitatẽ ſeruandam in con-
tractibus, & commutatione rerum proportione
Arithmetica, hoc eſt, nulla habita diſtinctione,
nec inſpecta perſonarũ qualitate. Et optima qui-
dem ratione hoc ſtatutũ eſt, nam cum inter per-
ſonas magna differentia, & inæqualitas conſiſtat;
ſiue animi bona, ſiue corporis, ſiue interna, ſiue
externa ſpectemus. l. inter. ff. dc ſolut. mirum non
eſt etiã, ſi ſingulis officia, præmia, & pœnę, æqua-
liter diſtribui non debeant; Propterea quantũ ad
præmia, & officia videmus, ꝙ leges non omnibus
deferunt magiſtratus, ſed idoneis tantum, & his,
qui ob ſingularem induſtriam promoueri mẽrẽt.
l. 1. verſic. credidit. ff. de offic. pręfect. prętor. curã
Eccleſiarum doctis, & probatæ vitæ hominibus,
cap. nullus, 24. diſtinct. militiam non ſeruis. l. pę-
nult. C. qui milit. poſſ. lib. 12. non negociatori-
bus toto titulo. C. negociatores ne militent, neo

agricolis.l.3.C.qui milit.poss.eod.lib.12.sed viris fortibus,& expertis commendāt.l.milites. C.locat.& conduc.salaria nō indoctis,& illiberalibus, sed peritis, ac expertis medicis constituunt.l.archiatri. C.de professoribus, & medicis lib.10. magistros studiorum moribus, & facundia præditos iuuentuti erudiēdæ præficiunt.l.magistros eod.tit.de profess.& medic. Quantum ad pœnas similiter Vlp.in l.sacrilegij.ff.ad l.Iul. peculat.expendit non solum quid facto debeatur,sed etiam quid congruat personæ illius, qui deliquit, & Claudius, Saturninus in l.aut facta.ff. de pœnis vult, quod in puniendis delictis consideretur
12 tam persona illius, qui deliquit, quam illius in quem delictum cōmissum est,propterea diuersę pœnæ ex eisdem facinoribus infliguntur nobilibus,& diuersæ plebeis.l.penul.ff.ad l.Corn. de sicar.grauius punitur seruus,quàm liber,& famosus,quàm integrę famę vir.leg.capitolium. §.fin. ff.de pœnis, magis adultus, quàm minor leg.auxilium.§.in delictis.ff.de minoribus,magis milites in delictis militaribus, quàm pagani. l.qdā. ff.de pœnis,& interdū magis presbyteri, quam laici.l.presbyteri.C.de Episc.& cler. grauius,qui sepè,quam qui semel tantum delictum committit.l.capitolium.§.solent, & §.grassatores.ff.de pœnis, magis viri, quàm mulieres. l.sacrilegij in princ.ff.ad l.Iul peculat.cap.indignantur 32.q.6. Huc pertinet, quod Saxo historię Danicę auctor lib.5.scribit de Erritio, qui mulieribus erratis sępius ignoscendum esse volebat, cui cōsonum est illud pręclarum de Aureliano Imperatore, qui cum Zenobiam Reginam Orientis potentissimā tandem vicisset,militesq. omnes ad mortem eam poscerent,vita donauit,dicens, indignum esse interimere mulierem.Flau.Vopiscus in Aureliano; Aeneas quoque apud Vergil. Aeneidos 2. sic de hac re pronunciauit.

——— nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna est,nec habet victoria laudē.

Plinius 8.lib.naturalis historię rem mirandam de Leone scribit,qui cū sęuit, semper plus in viros, quàm in fœminas fremere consueuit, tanquam certe natura docuerit Leones,& Principes Leonum exemplo,mulieribus magis,q̄ viris parcendum,hosq. durius,illas mitius tractandas esse.

E conuerso optima ratione statutum fuit in commutatione rerum, in quibus ea disparitas ęstimationis non adest, quę in personis,ęqualitatem
13 seruandam esse,nulla habita ratione personarum, propterea in emptione, & venditione, si emptor sit nobilis,& vēditor plebeius,per hoc ob inęqualitatem personarum non admittitur inęqualitas rerum, sed si aliquid fuerit inequaliter vltra dimidiam constitutum ad ęqualem rerum valorem per remedium.l.2.C.de rescinden. vendit. reducitur. Hinc fit, quòd si vni litigatorum fuerit concessa dilatio,etiam alteri prodest. l.petendę. C. de tempor. in integr. restitut. Ille igitur, qui vere Iurisconsultus, ac iustitię cultor teneri, & appellari cupit, semper ante oculos habere debet ne quid,vel interpretatione, vel responsione definiat, per quod bene meritis pręmia denegentur, & male meritis iusta pœna pro cuiusque merito irrogetur. D.Paulus ad Romanos cap.13. exclamat. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorē,honorē. cap.si in morte,in fi.23.q.8.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex sit Ius.*
2 *Quid sit Ius publicum.*
3 *Per sacra, quæ intelligantur.*
4 *Quid sit Ius priuatum.*
5 *Quæ differētia sit inter publica, & publicè vtilia.*
6 *Ius priuatum quotuplex sit.*

§. Huius studij.

Quotuplex sit Ius.

1 IVs duplex est Publicū,& Priuatū.§.huius studij hoc Tit.& l.1.§.huius studij.ff.eod.

Quid sit Ius publicum.

2 PVblicum Ius dicitur illud,quod principaliter spectat ad statum Reipub.vt quod in sacris, sacerdotibus, & magistratibus consistit, etiam si isthinc plurimum emolumenti ad priuatos deriuetur,nam omnium etiam interest habere ecclesias §.quia vero Auth.Vt liceat matri,& auię,habere sacerdotes, qui sacra ministrent.l.inter claras.C.de summ.Trin. & fid.cathol. habere magistratus, qui iura reddant.l.2.§.post originē. ff.de orig.iur.& amplam,ac bene cōstitutam rempub.
3 l.1.in fi.C.de cadu.tollen. Per sacra,ne intelligas religionem,quia religio Iuris gentium est,sed ceremonias ad religionis cultum pertinentes Conanus comment.iur.ciuil.par.1. cap.4.num.2.

Quid sit Ius priuatum.

4 PRiuatum Ius dicitur illud, quod principali causa inspecta, ad singulorum vtilitatem refertur, licet eius quoque rei commodum in consequens Respublica sentiat, & ei vtile sit.d.l. 1.§ huius studij.ff.de iustit.& iure. Publice enim interest etiam, ne quis sua re male vtatur.§.fi.& ibi glo.inf.de his,qui sunt sui,vel alien.iur.ne vrbs deformetur ruinis.l.prętor.§.hoc interdictum.ff. de noui oper.nunciat. ne delicta remaneant impunita.l.ita vulneratus.ff.ad l.Aquil.ne partus subijciantur,vt familiarum dignitas seruetur.l.1.§. sed & si seruus.ff.de inspic.ventr.ne tempore incendij,ruinę, & naufragij aliquid capiatur.l.1.§.1 ff.de incend. ruin. & naufrag. ne creationes officiorum inimicitia fiant.l.vnica. C.si propter inimicit. creat. facta sit. lib.10. mulieres dotandas esse, & dotes eis conseruari.l.1.ff.sol.matr. & l.2. ff.de

ff.de iur.dot.munera per ditiores,& potentiores
regi,& non per pauperes,& abiectos.l.honores.
ff.de Decur. testamenta executioni mandari de-
bere.l.vel negare.ff.quemadmod.testam.aper.ri-
uos,& cloacas purgari.l.de pupillo, §.si quis ri-
uos.ff.de nou.oper.nunciat.quę tamē priuati iu-
ris dicuntur. Ex quo obseruare possumus,quòd
quædam sunt publica, & quædam publice vtilia.
Publica Principis statum principaliter respiciunt,
5 & publici iuris sunt. Publice vtilia, priuatorum
vtilitatem intuentur, & priuati iuris dicuntur.

Hoc ius priuatū, quod in vsu quotidiano ver-
satur,& de quo se dicturum proponit Imperator
collectum est ex præceptis, aut naturalibus, aut
gentium,aut ciuilibus,nam Ius omne,vel à natu-
ra,vel ab hominū moribus,vel ex legū præceptis
fluxit. Ideo in §.fi.hoc Tit.subdiuiditur in Natu-
rale,Gentium,& Ciuile,quę triplex partitio à tri
6 plici hominis consideratione emanasse videtur.
Primo namq; homo considerari potest tanquam
animal,inquantum ex communi naturę affectio-
ne,& instinctu,mouetur,& tunc correspondet ei
Ius naturæ, quod in homine nihil aliud est, cum
animal rationale sit, quā ratio naturalis à natura
omnib.hominib.data. Secundo potest cōsiderari
tanquam homo,humanę.s.conditioni,& necessi-
tati subiectus,& tunc correspondet ei,Ius gētiū,
quod vsu exigente,& humanis necessitatib.intro-
ductum fuit, Tertio considerari potest quatenus
mouetur iuxta pręcepta,& instituta iuris ciuilis,
& tunc correspondet ei Ius Ciuile, quod nihil
aliud est, quàm ius proprium ciuitatis.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Tituli per capita diuisio.*
3 *Quid sit Ius naturale.*
4 *Ius quomodo in brutis insit.*
5 *Effectus iuris naturalis.*
6 *Quæ bruta incitatione naturali faciunt, homines ratione facere debent, ad hoc vt iure naturali facere dicantur.*
7 *Naturale est, procreare sibi simile.*
8 *Ad liberorum educationem quodlibet animal naturalis stimulus hortatur.*
9 *Cur natura collocauerit mammas in superiori parte fœminei corporis.*
10 *Pater per iudicem cogi potest alere liberos, etiam naturales, & incestuosos.*
11 *Alimentorum nomine, quę veniant.*
12 *Quando pater non teneatur alere liberos.*
13 *Mater quando, quos filios, & quantum alere debeat.*
14 *Filij parentes alere debent.*
15 *Pietatis exemplum erga matrem cuiusdam puellæ Romanæ.*
16 *An filij teneantur alere parentes bannitos.*
17 *An ascendentes descendentes.*
18 *An frater diues fratrem pauperem.*

DE IVRE NATVRALI, Gentium, & Ciuili. Tit. II.

COntinuatur Titulus noster ad pręcedentem
1 secundum glo.& Doct.in hunc qui sequitur
modum. Dictum fuit supra in §.fin. Tituli præ-
cedentis Ius priuatum collectum esse ex præce-
ptis,aut naturalibus,aut Gentium,aut Ciuilibus.
Ideo de his in præsenti Titulo tractatur,& in pri-
mis à Iure naturali exordium sumitur.

In hoc Tit. sex capita sunt à nobis explicanda.
In primo declarabimus quid sit Ius naturale, In
2 secundo,quid Ius Gentium, In tertio, quid Ius
Ciuile, In quarto, Quotuplex sit Ius Ciuile, In
quinto,Vnde Ius Ciuile nomē habeat. In sesto,&
vltimo, Quæ differentia sit inter Ius naturale,&
Ciuile.

Quid sit Ius Naturale.

Ius Naturale varijs modis accipitur, vt videre
est apud glos.hic in verbo Ius Naturale. Propriè
3 accipitur pro eo,quod consistit in rebus, q̄ ortū
habent ex instinctu,& affectionib.nobis à natura
insitis, & definitur ab Imper. in principio Tituli
nostri post Vlp.Iurisc. in l. 1. §.Ius naturale. ff.de
iustitia,& iure hoc pacto. Ius naturale est,quod
natura omnia animalia docuit, & hominib. cum
brutis commune est; Dicit Ius,vt demonstret nō
quicquid ipsa natura docuit omnes etiā bestias,
nec in hominibus quamcunque naturæ inclina-
tionem ius naturale esse (alias hinnitus in equis,
volatus in auibus, bibendi,ac edendi appetitus,
& similia iuris dicerētur naturalis,quo nil absur-
dius)sed ius,quod videntur cętera quoq; anima-
lia esse edocta,naturaq. bonum, & rectum præ-
sefert, naturale appellari: Dicit,natura docuit,vt
demonstret huiusmodi ius nō constitutione ali-
qua,sed tātum natura haberi, cum illud idem ab
alijs animalibus obseruatum esse videamus, quæ
non nisi natura ducuntur, propterea in fine in-
quit. Videmus.n.cętera quoq; animalia istius iu-
ris peritia censeri, hoc est, quodammodo istius
iuris peritia (vt legit doctissimus Cuiacius) iudi-
cari, cum eadem (natura impellente) facere vi-
deamus,quę homines,recta ratione duce faciūt;
Ex quibus nō obscure intelligi potest,quomodo
Ius in brutis insit.s.per participationem,& quan-
4 dam similitudinē; nam prout ipsa ratione homo
mouetur ad debitum finē, ita ipsa animalia mo-
uentur inclinatione propria ad finem natura de-
stinatum, ad quem vi quadam,& instinctu naturę
feruntur, perinde ac homines ingenitæ,& innatę
rationis discursu.D.Tho.1.2.q.91.art.2.& q.95.
art.4. Hinc Cuiacius,quęcunq; (inquit)bruta in-
citatione naturali faciunt, ea si homines ratione
faciant,iure naturali facere dicuntur. Et quia ab
effectib.facilius ius naturale intelligi pōt,ideo sta
tim post definitionem ponit Imper.effectus, qui
sunt Maris & fęminę coniunctio,liberorum pro-
creatio,& eorundem educatio.§.1.hoc tit.& l.1.

ff.de inst.& iur.sic Cicero officiorum primo (inquit) commune omnium animantium est coniunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt.

Qui sint Iuris naturalis Effectus.

Primus iuris naturalis effectus est Maris,& fę-
5 minæ coniunctio, quatenus instinctu naturæ feruntur. Verum quia non omnis maris,& fœminæ coniunctio licita est quo ad homines,ea propter adduntur illa verba,quam nos matrimonium appellamus, ad demonstrandum, quòd debet esse differentia inter coniunctionem belluarum,& hominum, quia licet mutuus ardor maris,& fœminæ,ex naturali affectione incitetur,nisi tamen recta honestatis ratione homo discernat, & temperet ipsam,iuxta regulam l.semper in coniunctionibus.ff.de reg.iur.non solum nullum ius naturę esset, sed potius violatio, & fœda libidinum confusio,nam vt ex Cuiacio superius obseruauimus,
6 ea,quæ bruta incitatione naturali faciunt, homines ratione facere debent, ad hoc, vt iure naturali facere dicantur; Quo fit,vt probare,nô possim opinionem eorum,qui dixerunt illicitas coniunctiones esse iuris naturalis,& nos natura moueri ad peccandum,signatum est enim super nos (vt inquit diuinus vates Dauid) lumē vultus Domini,hoc est,expositore D.Thoma prima secundæ,q.91.art.2.lumen rationis naturalis.Quinimo in coniunctione maris, & fœminæ caste versandum esse,omnium pene volucrum exemplo monemur, quæ fere omnia (vt Lactant.lib.3.de falsa sapientia,& libro de opificio Dei tradit) faciunt matrimonia,& paria iungunt,ac nidos suos tanquam genitales thoros concordi mente defendunt; Cui noti non sunt columbarum amores,& matrimonia?quæ tanta fide seruant,vt magis eis naturæ incitatio prodesse videatur, q̄ hominibus tota lex Iulia de adulter. Cui cornicum pudicitia latet? quæ marito mortuo defunctum lugent,& totā vitam,quæ nouē ætatibus durare dr̄,viduam transigunt, si hæc in brutis apparent,quanto magis id homini naturam præcipere credimus?

Secundus effectus est, procreatio liberorum.
7 Nihil enim (vt Aristot.lib.œconom. & 2. de Anima ait) magis nos natura docuit,quàm generare, & procreare aliud nobis simile, vt immortalitatem, quam in indiuiduo non possumus,in specie saltem conseruemus. Calistratus Iurisconf.in leg.liberorum ducentesima vigesima. §.vlt. ff.de verb.signif. idcirco nos concipere,& edere filios dicit,vt per eorum prolem diuturnitatis memoriam, in omne æuum relinquamus.

Tertius effectus est, liberorum æducatio, ad quam quodlibet animal naturalis stimulus hor-
8 tatur.l.vnica. §.taceat. C.de rei vxor.action. Volucres (vt scribit Lactan. supra memorato loco) famem,& frigus patiuntur, & pro suo partu ita propugnant,vt nulla vulnera, nullos ictus reformident,quantumq. aues pullorum gratia inuigilent, Poetæ ostendunt,qui parentum mœrorē ob discessum liberorum,cōferunt philomelæ,& alijs auibus ob sublatos à pastoribus pullos in vmbra lugentibus. Hinc refert Plutarchus naturam collocasse mammas in superiori parte fœminei corporis,& quasi in medijs amplexibus, vt doceret infantem tenerè, & molliter tractandum esse.
9 Cæterum prospicientes veteres Iurisconsulti fortasse à quibusdam parentib. brutis ipsis inhumanioribus, huiusmodi naturæ propensionem quādoquè negligi posse: Ideò suis legibus super hoc promulgatis statuerunt, talem parentem Ciclopea immanitate damnatum in id ius naturæ per iudicem cogi posse.l.si quis.ff.de liber.agnosc.& l.vnusquisq; sobolem suām. §.denique. C.de infantib.exposit. & sic non solum ex instinctu naturæ tenetur pater alere liberos, sed etiam ex officio iudicis pro modo facultatum, & hoc, siue filij sint in patria potestate, siue emancipati,siue nati ex iustis nuptijs, siue naturales tantum,d.l.si quis iuncta Auth.licet. C.de natural.liber.quini-
10 mo de æquitate Canonica etiam incestuosis,& natis ex damnato coitu alimenta pater præstare tenetur.cap.cum haberet extra de eo,qui duxit, quam prius polluit per adulter. quorum alimentorum nomine non solum victus,sed cętera onera, & omnes vitæ necessitates, vt vestimenta,& habitationes compræhenduntur. d.l. si quis. §.si parens,& l.legatis.ff.de aliment.& cibar.legat.
11 Fallit primò, quando filius esset diues,vel talis, qui sibi alimenta sperare posset. d.l. si quis, vers.denique,& ibi glo.in verbo, vt operis.

Secundò fallit,quando filius esset ingratus erga patrem.glo.in l.fi. C.de alen.liber.ingratitudo enim tollit debitum naturæ. §.optime, vers. hoc autem. Auth.de nupt. Athenienses in ingratos actionem ingrati constituerunt. Quintil.lib.7.cap. 5.& Persæ ingratitudinis vitium grauissimè om-
12 nium vlciscebātur,eo quod ab ingratis animaduertent diuina,ac humana omnia violari. Quæ sint istæ ingratitudinis causæ propter quas iuris auctores liberis alimenta denegēt habemus in §. aliud quoq; cap.Auth. Vt cū de appell. cognosc. ex quib.omnib.sicut filius exhæredari potest,ita ei alimēta denegari possunt secundū tex.in d.l. si quis,vers.idē iudex,& ibi glo.in verbo,detulerat.

Tertiò fallit, quando pater non haberet, nisi quantum per se sufficeret,nam tunc prius se ipsum alere debet. l.præses. C.de seruit.& aqua.

Eadem necessitate alendi liberos astringitur etiam mater ipsa, præsertim vulgo quæsitos, qui patrem demonstrare nō possunt.d.l.si quis.§.ergo.ff.de liber.agnoscen.alios,qui certum patrem
13 habent, intra triennium tantū.l.nec filium,& ibi glo.in verbo trino.C.de patr.potest.infans enim eo tēpore magis materno solatio indiget, quàm paterno,vt dicit tex.in cap.fin. extra de conuersion. infidel. postea regulariter non tenetur, sed solum,si pater eos alere non possit,& ipsi inopes sint.

sint. Auth. si pater. C. diuortio facto, apud quem, liberi educari debeāt. & sic obseruare possumus. Educationem liberorum quo ad instinctum, & inclinationem, esse de iure naturali; quo vero ad necessitatem, qua ex officio iudicis parentes astringuntur, esse de iure ciuili.

Econuerso cū naturali ratione admoneamur, collatum nobis officium alio officio cōpensare,
14 & benefacientibus benefacere, cuiusmodi est obligatio ad antidota. l. sed & si lege. §. consuluit. ff. de petit. hæredit. quæ à iure gentium profecta est (vt tradit Cic. lib. 2. de inuentione.) Ideo filij quoque parentes alere naturæ vi quadam impelluntur. d. l. si quis. §. parens. ff. de liber. agnosc. cuius rei memorabile exemplum refert Val. Max. lib. 5. cap. 4. de quadam puella Romana, quæ matri carcere inclusæ, vbi capitali crimine damnata, necanda erat, admirabili, & noua pietate remis-
15 sionem pęnę impetrauit, ipsius enim interruptis suspirijs, lachrymis, ac precibus motus ille, qui custodiæ præerat non protinus matrem strangulauit, sed aditum misericordia ductus, ad eā filiæ dedit, diligēter excussæ, ne quid cibi inferret, existimans futurum, vt inedia consumeretur. At q d non excogitauit filiæ pietas? Matrē famę exhaustam summeq. languidam reperiens, vt iam exitus de corpore instaret, proprijs vberib. per multos dies morientem in vita detinuit, Custos secū ipse quærens, quid nam esset, quod tandiu sustētaretur: curiosius obseruata filia, animaduertit illam exerto vbere famem matris lactis sui subsidio lenire. admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad trium virum, a trium viro ad Prætorem à Pretore ad Coss. perlata remissionem pœnę mulieri impetrauit. Aliud sempiternæ memorię testimonium reliquit nobis Simon ille Atheniensis, qui cum Milciades pater eius in carcerem damnatus ob crimen grauissimum, diem obijsset, neque liceret illum per leges sepelire, nisi præstita certæ pecuniæ quantitate, cumque non esset soluēdo, translatis in se vinculis paternis ad sepulturam redemit illum, hanc vltimam erga patrem exercere volens pietatem Val. Max. d. loco. Ciconia auis (vt narrat Plin. lib. 10. cap. 2.) parentes senio confectas alere humerisq. in volatu gestare creditur, propterea ab auctoribus pietatis cultrix appellatur, eiusq. imago antiquitus super sceptris Regum ad eorum pietatem, & iustitiam indicandam exculpi solebat. Leo (teste eodem Plinio) acceptam gratiā magnificē referre solet, de quo, admiratione dignissimum exemplum (refert ex Gelli. lib. 5. cap. 14. Baptista Fulgosius) lib. 5. de dictis factisq. memorabilib. cap. 2. Nam cum quidam seruus nomine Andruodus Dacus in Africę desertibus, Leoni querula voce se pede debilitatum ostendenti, confixam spinam à pede euulsisset, indeq. non multo post ad bestias damnatus prę timore in theatro penè exanimis iaceret: Idem Leo, qui ibi positus fuerat, appropinquans benefactoremq. suum recognoscens, magna totius populi admiratione, manus, & crura lambere, & cauda quantum poterat blandiri cępit: admirationemq. plurimum auxit, quòd Andruodus postea commemorauit, eūdem Leonem ex quo tempore pedis dolore ipsius ope fuerat liberatus, eius beneficij memorē semper postea, dum ipse metu Domini in illa specu delituit, ex ferinis quas lacerabat carnib. copiosè sibi victum suppeditasse. cuius rei nouitate capti omnes a Cęsare liberationem serui impetrarunt, & simul, vt cum libertate Leo quoq; ei munus daretur. Verum, si pariter filij adeo iniqui essēt, vt huiusmodi naturæ ratione omnino negligerent, quibus breuem ætatem Homerus in Iliade contingere scribit, conueniens cū diuina illa sententia. Honora patrem, & matrē, si vis longæuus esse super terram: si negligerent, inquā, Ius ciuile eodē modo per officium Iudicis cogit ipsos, vt parentes alere debeant. l. si quis. §. si impubes, & §. si parēs. ff. de liber. agnosc. & l. 1. C. de alend. liber. id quod facere tenentur, etiam si pater infidelis, vel bānitus
16 esset, secundum glo. in cap. si qui filij. 30. dist. nam quamuis impius, & contemptor legū sit, per hoc tamen non desinit esse pater, vt sanctissimè dixit Iustinianus Imperator noster in §. si vero, Auth. de incest. nupt. quo fit, vt probare nō possim eorum opinionem, quamuis communem secundū Marsil. in l. 1. §. præterea. ff. de quæst. num. 33. qui volunt, stante statuto, ꝙ bānitus impunè offendi possit, licitū esse filio patrē occidere, ea ratione, quia virtute dicti statuti, pater ipse hostis patriæ censetur effectus, iniqua. n. & inhumana talis opinio semper mihi visa fuit, nec aliquid facit ratio illa, ꝙ censeatur hostis patriæ, nam procedit per fictionem, quæ in re tam enormi veritatem patriæ potestatis adumbrare non debet. Iul. Clar. in §. homicidium, num. 59. Athenieses (vt Vitruuius in proœmio libri sexti suæ architecturæ scribit) nō oēs parētes à liberis ali voluerunt, sed eos solum, qui filios artib. erudiissent, id quod ēt antiquitus ex l. 12. tab. statutū erat. inquit lex. 12. tab.

Filius arte carens patris iniuria eidem naturæ vitæ subsidia ne præstato.

Hæc omnia, ꝙ parentes liberos, & liberi parētes alere debeant, obseruari debere in omnibus,
17 tām ascendentibus, quā descendentibus vtriusq. sexus iubet Imper. in d. Auth. si pater. C. diuortio facto apud quem liberi educari debeant, & si qs habens patrem summa paupertate laborantem, & filium indigentem, & vni tm̄ subuenire possit, filio in primis auxilio suo adesse debere tradit Cyn. in l. 2. C. de patribus, qui filios distraxērūt. De fratre diuite, quod fratrem paupetem alere
18 teneatur, omnes conueniunt, vt in l. qui filium, vbi glo. notat. ff. vbi pupillus educari debeat.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Ius Gentium.*
2 *Quotuplex sit.*

3 *Quid*

3 Quid Ius Gentium primæuum.
4 Effectus iuris Gentium primaui tres sunt.
5 Religio erga Deum.
6 Pietas, & obedientia erga parentes, & patriam.
7 Vis, & iniuriæ propulsatio.
8 Quo iure introducta sit defensio.
9 Moderamen inculpatæ tutelæ in quo consistat.
10 An quis fugere teneatur.
11 Qua pœna puniantur illi, qui excedunt moderamen inculpatæ tutelæ.

§. Quod vero.

Quid sit Ius Gentium.

IVS Gentium est, quo omnes gentes vtuntur, & apud omnes populos peræquè custoditur, quod à naturali recedere, facilè licet intelligere, quia
1 illud omnib. animalibus, hoc solis hominib. cōpetit. §. qđ vero, hoc Tit. & l. 1. §. fi. ff. de Iust. & Iur.

Quotuplex sit Ius Gentium.

2 Ius Gentium duplex est Primæuum, & secundarium.

Quid sit Ius Gentium primæuum.

Primæuum Ius Gentium Doct. nostri appel-
3 lant illud, ꝙ naturali ratione absq. aliqua constitutione gentium introductum fuit, quod etiā naturale secundarium nuncupat, & de hoc loquitur Imper. in §. quod vero hoc Tit. Et dr̄ Gentium, quia eo omnes gentes vtuntur. l. omnes in fi. ff. de iust. & iur. & d. §. quod vero hoc Tit. dicitur Gentium Primæuum, quia prima illa generis humani ætate, quam auream dicunt, vigere cępit; sic Helenor Mæonij Regis, & Liciniæ seruæ filius à Vergilio 9. Aeneidos primæuus appellatus est, quòd adhuc primo æuo, seu ætate prima floreret.

Semineces ad terram immani mole sequuta
Confixq. suis telis, & pectora duro
Transfossi ligno veniunt: vix vnus Helenor,
Et Lycus elapsi, quorum primæuus Helenor,
Mæonio Regi, quem serua Licinia furtim
Sustulerat, vetitisq. ad Troiam miserat armis.

Dicitur naturale, quia à natura hominib. datum est; Dicitur secundarium naturale, quia sola naturæ ratione excitatur in homine; & sic ad differentiam illius, quod natura omnia animalia docuit, secundarium appellatur.

Qui sint effectus Iuris Gentium primaui.

Tres effectus Iuris Gentium primæui enumerat Vlpianus I.C. in l. 2. & 3. ff. de iustit. & iur. qui
4 sunt, erga Deum religio, vt parentibus, & patriæ pareamus, vt vim, atque iniuriam propulsemus.
Primus effectus est, Religio erga Deum, quæ ab ipsa natura animis nostris infixa est, & quam
5 Deus Opt. Max. in solos hominū animos sparsit; Cic. Offic. 1. scribit. primum gradum in Republ. deberi dijs immortalibus, & Tuscul. q. 1. inquit, nullam gentem tam feram esse, & neminem hominum tam immanē, cuius mentem non imbuerit deorum opinio; qua de re extat pulcherrimus tex. in Cod. Theodosiano in l. inter cęteras. C. de Iudæis, & Samaritanis, qui in hæc verba se habet. Quis tam mente captus, tantæ feritatis immanitate damnatus est, vt cum videat cælum diuinæ artis imperio, incredibili celeritate intra sui spatij metas temporū terminare, cum syderum motu vitę commoda moderantem, dotatam messib. terram, mare liquidum, & immensi huius operis vastitatem finib. naturæ conclusam, tanti secreti, tantęq. fabricæ non quærat auctorem. Cicero in oratione de Respons. Aruspic. inquit; Quis est tā vecors, qui cùm suspexerit in cœlum; Deos esse non sentiat? & ea, quæ tanta mente fiunt, vt vix quicquā arte vlla ordinem rerum, ac vicissitudinē persequi possit, casu fieri putet? sapienter itaque Athenienses Protagorā Philosophū vti impiū, & expertē rationis, humanoq. indignum cōmercio, ꝙ sibi nō loquerē dixisset, Vtrumne esset aliquis Deus, finib. suis expulerūt. natura ergo monemur credere Deum esse, ipsumq. colere, & venerari.

6 Secundus effectus est, Pietas, & Obediētia erga parentes, & patriam, & cum parentum nomine mater veniat secūdum tex. in l. appellatione. ff. de verb. signif. dubium non est eandem quoque pietatem matri deberi, nam licèt inæqualis eorū potestas sit, æqualis tamen pietas debetur. l. furiosę. ff. de Curat. furiosi, & alijs ext. min. dand. sic Deuteron. cap. 5. dicitur. Honora patrem, & matrem tuam. Et Thobiæ 4. Pater dixit ad Thobiā. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepelies, & honorem habebis matri tuæ omnib. diebus vitæ eius. Memor esto quanta pericula passa sit propter te in vtero suo, &c. Ad paria ergo hæc duo Parentes, & Patria iudicantur, propterea sicut persona Patris filio semper sancta, & honesta videri debet l. liberto, ff. de obsequijs parent. & patron. præstan. similiter & patria ei esse debet, cum non parentibus tantū, sed etiā Patriæ nasci dicamur. l. 1. §. generaliter. ff. de Vētr. in posses. mitten. hinc & patria dulcissima dr̄ in l. q. habebat 101. ff. de legat. 3. vnde Verg. Bucol. Eglo. 1.

Nos patria fines, & dulcia linquimus arua.

Et Ouidius,

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemorem non sinit esse sui.

Cassiodorus lib. 1. Epist. 20. inquit: Feris datū est agros, & syluas quærere; Hominibus fores patrias super cuncta diligere: Aues ipsę per aera vagantes proprios nidos amant; Erratiles feræ ad cubilia dumosa festinant; Voluptuosi pisces cauernas suas perquirunt, cunctaq. animalia ibi se norunt refugere, vbi longissima cupiunt ætate constare. Sunt tamen nonnulli casus, in quibus quandoq. potius tenemur obedire patriæ, quam parentibus, & è contra quandoq. potius parentibus,

tibus, quàm patriæ, Veluti patriæ potius tenemur, quotiescunque Pater veniret contra Patriā, tunc enim filius tenetur defendere patriam contra patrem, immo, quod vix credibile videtur, tenetur etiā ipsum occidere. l. minime 35. ff. de Religios. & sumpt. funer. hoc tamen ego semper intellexi procedere, quando patria aliter se defendere non posset, quàm per mortem patris, quæ opinio paternæ pietati magis cōuenire videtur, trahitq. me in hanc sententiam auctoritas Cicer. in 3. de Offic. vbi quærens, an filius silere debeat, si pater conetur tradere patriam, respondet, qđ primò obsecrare debet patrem, ne id faciat, & si nō proficiat, debet eum accusare salutem patriæ præponendo saluti patris, Parentibus verò potius tenemur obedire, quam patrię, quando esset lis, & controuersia inter patrē, & patriam de aliquo fundo, vel castro, tunc tenetur defendere filius patrem contra patriam. l. penult. & fin. ff. de postul. & generaliter, vt vno verbo dicam, in omnibus publicis causis, quæ concernunt patriæ conseruationem, semper patria præfertur. l. qui cum vno. §. qui filium. ff. de re milit. & è conuerso in priuatis semper parentes præferuntur. d. l. pen. ff. de postul. notat Speculat. in tit. de Aduocat. in §. 1. in verbo, Quid si pater, Plura etiam de hac re scripsit pater meus in Tit. de legibus, dum eum Pandectarum ordine explicauit, Primus enim fuit, qui in Italia Pandectarum more Italis adhuc nouo, & incognito legere docuit.

Ab huiusmodi pietate erga parentes, & patriā, non longe abest obseruantia quædam naturæ viuentis hominib. inserta in eos, qui vel ætate maiores existunt, & veneranda canicie præfulgent, vel sapientia, aut dignitate aliqua præcellunt.

Et quidem apud Romanos senectus semper adeo venerabilis fuit, vt eundem penè honorem senibus deferrent, quem magistratibus. l. semper. ff. de iure immunit. hac de causa Romulus summum Concilium Ciuitatis Senatum, ipsos autem Senatores Patres nominauit, statuitq. senioribus decedi de via, caput nudari, & adsurgi aduenientibus ab iunioribus debere, Iuuenalis Saty. 3.

Credebant hoc grande nephas, & morte piandū,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat.

Sic Lycurgus apud Lacedæmonios Iuniores senioribus assurgere, & vel de sedibus, vel de via decedere, ac transeuntibus quiescere constituit, Plutarchus in Laconic. Instit. & Apophteg. Lacō. Celebre est illud, quod meminit Gel. lib. 2. c. 15. Ludis enim Athenis cum Lacedæmoniorum legati perhonorifico loco assedissent, plenoq. iam theatro ingressus senex, innixus baculo, homo sanè haud magni precij, circumiret, quærēs locum neq; eum fessum reciperet quisquam, vt venit ad Lacedęmoniorum Legatos, illi confestim ob ætatis reuerentiam honorificè assurgentes, superiore illi subsellio concessere, propter quod maximo applausu ab vniuerso theatro gratulatio facta fuit. Elephantī ipsi, si Aeliano lib. 6. de anima. lib. cap. 61. credimus, elephantos senes tanta reuerentia colunt, vt de legitimo cibo cedant, & à periculis seruent, in fossamque delapsos, iniectis fruticum fascibus, attrahant, quibus tanquā scalis ascendant ætate confecti, & liberentur, quod certæ magnum nobis præbet testimonium naturalis in senes reuerentię. qui prterea aliqua virtute clarruerunt tanta obseruantia semper habiti sunt, vt non solū statuæ honorificentissimę fuerint eis collocatę, sed ex ipsis magnas cōtentiones inter diuersas ciuitates, & nationes aliqñ ortas esse legam', vt de Homero scriptū est, quē Colophonij ciuem suū dicūt, Chij suū, Salaminij suū, Smirnei suū, Rhodij quoque, & alij suum esse cōtendunt.

7 Tertius effectus est, Vt vim, atque iniuriá propulsemus, dico vim, & iniuriam, quia vim tātummodo repellere etiam alijs animalib. competit, sed vim, & iniuriam solis hominibus conuenit, cū bruta, quæ sensu carent, iniuriam pati dici non possint. l. 1. & ibi Doct. notant. ff. si Quadrup. pauper. fecisse dicatur, Constat igitur defensionē esse de iure naturæ, & de iure gentium, ꝙ naturale secundarium dicitur, addite, & de iure ciuili ptex. in l. 1. C. vnde vi, ac etiam de iure canonico, quia secundum ipsum ius canonicum occidens irregularitatem non incurrit clem. 1. de homicid. De iure naturæ dicitur, inquātum homo mouetur instinctu naturali, quo cuncta animantia feruntur ad se tuēdum, & vim illatam propulsandam. l. 1. §. cum vi. ff. de vi, & vi armata Lucretius.

Sentit enim vim quidque suam, qua possit abuti,
Cornua nata prius vitulo, quam frontib. extant,
Illis iratus petit, atque infensus inurget.

Propertius lib. 2. Elegiarum ad Cynthiam.

Non solum taurus ferit, vncis cornibus hostem.
Verum etiam instanti læsa repugnat Ouis.

De iure gentium dicitur, quatenus homo nō tantum ad violētiæ depulsionem impellitur, sed etiā ad propulsandam iniuriam, ratione aliqua naturali mouetur, quæ ex iuregentium ortum habet. l. vt vim. ff. de iust. & iur. De iure ciuili, & canonico dicitur, inquantum homo vim, & iniuriam repellit, cum moderamine inculpatę tutelę, nam cū antea non esset constitutus certus modus in vi, & iniuria repellenda, ius ciuile, & Canonicum honestissimè temperarunt hāc vis, & iniuriæ depulsionem, constituentes cum moderamine inculpatę tutelę fieri debere, ne vlcisci vis, & iniuria magis, q̄ depelli, & propulsari videatur cap. significasti in fi. el 2. ext. de homic. Recte ergo summ. Pont. in cap. Si vero de senten. excomm. & Paulus I.C. noster in l. scientiam. §. qui cū aliter. ff. ad l. Aquil. dixerunt vim vi repellere omnes leges, omniaq. iura permittere. hinc & Ouid. 3. de Arte amandi.

Iudice me, fraus est, concessa repellere fraudē,
Armaq. in armatos sumere iura sinunt.

Et quoniam in hoc moderamine inculpatę tute-
9 lę tota, & principalis defensionis materia residet, ideo sciendum est, quòd huiusmodi moderamen circa quatuor consistit. s. circa ordinē actus, circa modum,

modum, circa Tempus, & circa causam.

Primo circa ordinem actus requiritur, vt præcedat offensa, vel saltem iustus timor offensæ l.si ex plagis. §.tabernarius. ff.ad l.Aquil. Dixi, vel saltē iustus timor offensæ, quia quamuis aggressus nec percussionem, neque realem offensionē recipiat, si tamen aggressor stricto ense, vel euaginato gladio ad se veniat, potest tunc aggressus iustè, & licitè aggressorem ipsum non expectata percussione aliqua offendere, cuius rei extat D. Gordiani constitutio in l.3. C.ad l.Cornel.de Sicar.his verbis. Si quis percussorem ad se venientem gladio repulerit non teneatur homicidij. Vlpianus etiam in l.5.ff.ad l.Aquil.inquit; Qui ferro se petentem occiderit, non videtur iniuria occidisse. Obserua ibi, Venientem, hic, Petentem, nō expectata percussione occisum, & in ipso repellendi actu iure occisum. Facit Ratio, quia eo ipso quo terror infertur cū armis, quis in discrimine vitæ cōstitutus esse cēsetur, sm Glo.cōmuniter approbatā in l.1.in verbo moderamine.C. vnde vi, quo casu licita est offensio.l.is qui aggressorem, vers.in dubio vitæ.C.ad l.Corn.de Sicar.

Secundò, Circa modum requiritur æqualitas armorum, & quòd defensio ad offensionem proportionata sit, nam qui inermem armis, aut telo petentē arcu perforato repellit, defensionis modū excedit Glos.& DD.in l.1.C.vnde vi. Declaro dummodo possim euitare periculū offensionis, cum æquali actu, secus si quis me inculcaret cū bacculo, vel pugnis, & ego aliter euadere nō possem, vt quia fortior, & potentior sit, nam tūc armis resistere possum Bald. in l.1.col.4. nu.11.C. vnde vi, Bart.col.2.nu.7. Angelus in tract. Malef. in parte, & d.Titius se defendendo, col.2.vers.dixi. Nullo.n.iure cogimur nosmetipsos discriminibus obiectare, vbi salutaris via non deest, stultumq. foret ancipiti marte cōfligere cum eo, qui propriæ saluti insidiatur, Et quid mali facio? si aduersus impetum sciētem hastam verto, ne me inuadat oppono; & si cōtra niteris, resistēdo ferio; nec ad rem facit sis inermis, aut minori telo pergas: quis.n.te perpulit me armatum petere, & cęca nocēdi rabie in mea tela irruere? propter qđ nescio definiri magis possit, nū temerario tuo obiectu corporis, an tutelari meo feriaris ictu?

Tertiò, Circa tempus requiritur, vt cōfestim, & incontinenti durante rixa, & æstuante ira vis repellatur: quia ex interuallo ad vltionem potius facta censeretur, quod iura non permittunt cap. si vero de sentent.excommunicat. & l.3.§.cum igitur, ff.de vi, & vi armat.

Quartò, Circa causam requiritur, vt defensionis, & non vindictæ causa, repulsio fiat, hoc est, vt tanta sit repulsio, quanta est necessitas defensionis; propterea percussus licet incōtinenti pari telorum genere, & æquo marte repercutiat, tamen hoc facere non debet ad vindictam, sed solum ad euitandas alias percussiones, ideo si aduersarium retrocedentem, vel fugientem percutere pergit, non propulsare, sed vindictam facere censetur, qđ iura non permittunt Bart.& DD.in l.1.nu.10.C.vnde vi, idem dicēdū est, si prostrato inimico ad terrā, potest euitare percussionē sui cum plena vitæ securitate secundū Bald.in d.l.1.

An autem fuga quis sibi consulere teneatur?
10 communiter Doct. tenent quod non. Declaro tamen ego procedere quando fuga honoris, vel vitæ periculū adduceret, honoris, vt quia sit persona honorabilis, quę sine famę iactura aufugere non possit, vitæ, vt quia prope inimicum habens fugiendo de facili à tergo percuti possit, secus si sine aliquo periculo salutis, & honoris fugere posset: vt puta quia à longe prospiciens inimicum, vel prope, & dissimulando potuerit domū, vel locum tutum intrare, & rixam sine dedecore euitare, vel forte, si erat vilis persona, in qua non esset considerabile periculum honoris Gomez. variar.resolut.Tom.3.cap.3.nu.23. Et adeo hoc est verum, vt aggrediētem cum moderamine inculpatæ tutelæ non solum vi repellere liceat, sed etiam occidere, quando aggressus aliter euadere non potest.l.is qui.C.ad l.Cornel.de Sicar.& hoc in quocunq; loco etiā priuilegiato, puta in Asylo, & templo, imò coram venerabili sacramēto vsq; adeo, vt per talem sāguinis effusionem locus ille neque prophanetur, neque opus habeat reconciliatione. Syluest. in sua summa in verbo consecratio.2.nu.5. Quinimò licet etiā sacerdoti rem diuinam celebranti, intermisso officio, aggressorem occidere, & denuo non obstante tali homicidio, ad altare redire, & celebrationem inchoatam perficere secundum Abb in cap.clerico, el 1. nu.2.de vit.& honest.cleric.Hippol.de Marsyl.in d.l.is qui, & Dec.in d.l. vt vim. quorum opinio in hoc, quod sacerdoti liceat se defendere, etiam in celebratione Missæ placet, sed quod ad celebrationem perficiendam possit redire, non laudo; Moueor, quia licet iudex in dubio non debeat iudicare aliquem irregularem argumento tex.in c. is qui de sent.excomm.in 6.tamen in dubio quilibet debet se reputare irregularem.cap.ad audientiam de Homicid.vbi Host.not. ergo quamuis non possit puniri in foro contentioso tāquā irregularis, tamen ipsemet in foro conscientiæ debet se reputare irregularem, & per consequens sine Episcopi dispensatione celebrare non debet.

Id non prætermittam dicere, quod si defensio non fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed modus excedatur, vt quia aggressus realiter non erat in discrimine vitę constitutus, vel potuit sine dedecore, & saluo honore suo fugere, & non fecit, vel post receptam offensam insecutus est inimicum suū, qui iam recesserat, vel aliter, aut alio modo defensionis limites excessit, non tenetur pœna ordinaria, sed mitius puniri debet pœna arbitraria magis, & minus, secundum qualitatem excessus, Glos.in cap.significasti extra de homic. DD.in d.l.vt vim. Clar.in d.§.homicidium nu.34. Gail. Pract.obser.lib.2.obserua.110.nu.15.& hoc quidem

quidem optima ratione, Quia ad pœnam ordinariam requiritur dolus, sed inuasus excedens moderamen non dolo facit, sed cęco impetu irę, quæ est inimica consilio, & rationi contraria, vt Cicer. pro Marcello ait, imò initium insaniæ secundũ Ennium, Iratusq. solo tempore à furioso differt, teste Plutarcho in Apophteg. hinc Arist. Eth. c. 8. ait, quod ea, quæ ob iram, & alias animi perturbationes fiunt, iniuriam quidem faciũt, sed facientes nõ propterea iniustos, aut prauos esse.

Secundo, quia prouocatus tanquã intenso dolore commotus (qui secundum Senec. in Thieste Actu. 3. Scena. 1. vix frenos habere potest) non videtur esse in tanta culpa, si in ipso iræ furore iustum iracundiæ calorem comprimere nõ potuit, argumento tex. in l. si adulterium cum incestu, ff. ad l. Iul. de adult. in §. Imperatores, quem ibi Bar. & cęteri scribentes valde commendant.

Tertiò, quia quando tractatur de excusandis delictis, principium, & non finis attendi debet. l. quod ait lex, & ibi Bart. §. quod ait. ff. ad l. Iul. de adult. Marsil. in sua Pract. Crimin. §. quoniam nu. 91. Adde quod qui aggreditur præmeditato solet consilio ad omnes casus parato inuadere, & is in quẽ impetus fit, impossibile est primo præsertim congressu, quin paueat, trepidet, aut ira non excandescat, & in ipso pauore, aut irę furore non inops sit consilij, & vbi cõsilij capiundi tempus superesse non solet, quæcunque expediendæ salutis ratio se so obtulerit, defensionem culpare non debet, in ijs enim discriminibus silere leges inter arma ad iudices pro Milone dixit Cic.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit ius Gentium secundarium.*
2 *Cur ius Gentium distinguatur in Primæuum, & secundarium.*
3 *Effectus iuris Gentium secundarij multi sunt.*
4 *Quæ bella ex iure gentium descendere dicantur.*
5 *Bellum quando iustum dicatur.*
6 *Modus indicendi bellum.*
7 *Damna, quæ ex bello pullulare solent, non efficiunt bellum iniustum.*
8 *Bellum vnde dicatur.*
9 *Res in bello efficiuntur capientium.*
0 *Seruitus quo iure introducta sit.*
1 *An hodie inter christianos seruitus locũ habeat.*
2 *Manumissio à iure Gentium procedit.*
3 *Regna quo iure condita sint.*
4 *Reges vnde dicantur.*
5 *Distinctio dominiorum ex iure Gẽtium procedit.*
6 *Terminorum positio ex iure Gentium est.*
7 *Numa quomodo primus Terminorum inuentor fuerit.*
8 *Contractus ferè omnes iuris Gentium sunt.*
9 *Pacta seruari debent.*
0 *Legati de iure Gentiũ sancti, & inuiolabiles sũt.*

§. Ius autem Gentium.

Quid sit ius Gentium secundarium.

IVs Gentium secundarium est, quod ex natu-
1 ralibus illis principijs, humanis necessitatib. exigentibus, constitutum fuit, cuius æqualis inter omnes gentes est vsus. §. ius autem Gentium hoc tit. Hæc diuisio iuris Gentium in Primæuũ, & secundarium non est tam diuisio, vt in suis cõmentarijs animaduertit doctissimus Conanus, & ego superius indicaui; quàm progressus ætatum, cum vtrumque nil aliud sit, quàm quod sua cuiq.
2 ratio præscribit faciendum, aut non faciendum, sed ea, quę à principio indita erãt hominibus, dũ adhuc cõgruenter naturę viuerent nullis errorib. deprauati, iuris Gentium Primæui appellantur, qđ Saturni temporib. fuisse fabulantur Poetæ, & aureum seculum appellant. Seneca in Octauian.

Iuuenis tenente regna Saturno Poli.
Tunc illa virgo numinis magni Dea
Iustitia Cælo missa cum sancta fide
Terras regebat, mitis humanum genus
Non arma gentes cingere assuerant, suas
Muris nec vrbes: peruium cunctis iter.

Ouid. etiam Metam. 1.

Aurea prima sata est, ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua, sine lege, fidem rectumq. colebant.

Sed non multo post successit peior ætas, quam Poetæ argenteam nominant, & ea, quæ homines in huiusmodi ætate vsurparunt iuri Gentium secundario tribuuntur. Indeq. bella, captiuitates, &
3 seruitutes, quibus sequuta est manumissio, Inde Regna condita sunt, distinctiones dominiorum, terminorum positiones, ædificiorũ collationes, obligationes, & contractus ferè omnes prouenerunt. §. ius autem Gentium hoc Tit. l. manumissiones, & l. ex hoc iure. ff. de iust. & iur. Sen. ĩ Oct.

Deterior ætas eruit ferrum graue.
Aurumque, sæuas mox, & armauit manus.
Partita fines, Regna constituit, nouas extruxit vrbes.

Qui sint effectus iuris Gentium secundarij.

PRimus effectus est bellorum, intellige, si iu-
4 sta sint, & rationi naturali cõsentanea, alias si iniusta essent, ad ius Gentium referri non possent. cap. sicut el 3. de iureiur. Nec quidem credendum est ius Gentium aliud bellum induxisse pręter iustum, alias inde iniurię oriretur occasio, passimq. & sine humanitatis nomine res ageret, multorumq. incõmodo, & periculo, cumq. Aen. Virg. tuuc merito clamare possemus.

Arma amens capio, nec sat rationis in armis.

Et certè necessaria fuerunt bella ad profligandos improborum hominum impetus, qui vel cupiditate, & auaritia, vel ambitione concitati hominum societatem disrumpere conabantur; ideo rectè dicit Iust. bella orta esse vsu exigente, & humanis necessitatibus, nam quamuis bellum

fugien-

fugiendum sit, non tamen ita fugiendum est, vt omnia, ne in id incidamus, sustinere velimus Polyb.lib.4. Pax enim si iusta, & honesta sit res est certè rerum omnium pulcherrima, atq; optima, nihil tamen est, aut faciendum iniustè, aut patiendum turpiter, vt pace frui valeamus, Nam & pleraque bella Deorum etiam nutu gesta legimus, vt Iosue cap.8.& multis alijs in locis.

Sed cum multa de iustitia, & iniustitia belli, legibus sancita sint, hoc vnum velut totius bellicæ
5 iustitiæ fundamentum positum est, vt bellum nō suscipiatur nisi propulsandæ iniuriæ, & repetēdæ rei causa cap.iustum, & cap.dominus 23.q.2. Ex quo infertur iustum esse omne bellum, quòd à christianis fidei hostibus infertur, nam prętérquā tale bellum ad defensionem fidei, & gloriam Dei suscipitur, iuste etiam imperia, & dominia ab infidelibus possessa iure belli recuperari possunt, secundum Oldrad.cons.72.confert tex.in cap.si de rebus 23.q.7. Vbi D.August. ait, ad omnes impios, & iniquos illa vox Domini valet, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam, quod quoquomodo intelligatur, videndus est Conradus Brunus in suo tract. de hæret. lib.5.cap.5. & quando censeantur bella iusta, & an ex vtraque parte licita esse possint, tractat Alciatus Paradox.lib.2.cap.21.Ang.à Sancto Ioan. Antiparadox.lib.cap.1.& Couar.in Regula peccatum.§.10.nu.6.ad quos vos reijcio; Illud præterea requiritur, quòd bellum auctoritate Principis publicè in, hostes decernatur. l.hostes.ff.de verb.signif. quo casu propter auctoritatem Principis semper iustum præsumitur, cap.Iulian. 11. q.3.Abb.in cap.sicut de iureiur. Castr.& Ias.in l. ex hoc iure.ff.de iust.& iure. Hic postquam mentionem feci de bello iusto, hoc amplius non inutile addendum opinor, quòd olim apud Romanos augurum munus erat, & cognitio, vt ipsi censerent, num bella, quæ populus Romanus mouere parabat, essent iusta; Fœcialium deinde munus fuit indicendi ipsum, sine quibus bella alioqui iusta non putabantur, formulam verborum refert Liuius lib.1. Decad.1.

Indicebatur etiam apud Romanos bellum per consulem, qui ad Iani templum frequēti Senatu primoribus patrum, ac militibus comitatus acce
6 debat, ibique incinctus ritu gabino solemni more fores templi recludebat, is amictus erat toga super tergum, sic reiecta, vt lacinia reuocata hominem cingeret, inde è columna, quæ pro Bellonæ templo sita erat, hastam iaciebat, sic acerrima, & maxima bella pro aris, & focis proque Imperio indicebat, quem morem Vergil.Aen.7. eleganter his versibus attingit.

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Religione sacræ, & sæui formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaq. ferri
Robora, nec custos absistit limine Ianus:
Has vbi certa sedet patribus sententia pugnæ
Ipse quirinali trabea cinctuq. Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.
Ipse vocat pugnas: sequitur tum cætera pubes
Æreaq. assensu, conspirant cornua rauco.

Et Ouidius lib.Fastorum VI.

Prospicit à tergo summum breuis area circum
Est vbi non parua parua columna notæ.
Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti
In Regem, & gentes, cum placet arma capi.

Nec quicquā huic Imperatoris sententiæ bella in gentium iure numerantis obsunt damna, &
7 infortunia, quæ ex bellis pullulare solent; quoniā non euentus, sed rerum rationes per se penduntur, nec vnquam euentus crescit, aut decrescit honestū, vt insigniter apud Lucanum affirmat Cato lib.9. Facit decisio l.si quid fur. & l. verum. ff.de furt.cuius hæc sunt verba. Verum est, si meretricem alienam ancillam rapuerit quis, vel celauit furtum non esse, nec enim factum quæritur, sed causa faciendi, causa autem faciendi libido fuit, non furtum; Denique initium omnium rerum sapiens, nō exitum spectat; initia in potestate nostra sunt, de euentu fortuna iudicat, vt Senec.lib. 2.epist.14. ad finem differit, & vt eleganter Plin. Iunior in Epist.vlt.lib.6. tradit est omnino iniquū, sed vsu receptum, quod honesta consilia, vel turpia, prout male, aut prospere cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur, & plerunque eadem facta, modo diligentiæ, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen accipiunt, sed careat successibus opto (vt apud Ouidium Phillis iustissimè imprecatur) quisquis ab euentu facta notanda putat; Porrò vnde bellum dicatur, magna inter eruditos contentio est, nam Sextus Pōpeius illud à Belluis appellatum autumat, quod
8 sit belluarum perniciosa contentio, verum falsa est illius sententia si iusta bella, de quibus nostra in præsenti disputatio concipitur, inspiciamus. Alij per antiphrasim bellum dictum opinantur quasi minime bellum, quorum etiam opinio iustorum bellorum consideratione apertissimè refutatur, Caius I.C.in l.quos nos 234. ff.de verb. signific. magis illorum sententiæ fauere videtur, qui bellum quasi duellum dici existimant, quod ita antiqui illud vocitarent, quia duabus partibus de victoria contendentibus gereretur, id quod Quintilianus grauissimus antiquitatis Auctor lib. 1.cap.4.apertè comprobat. Illud ego non omittam antiquitus, & primis illis temporib. armata certamina non fuisse, sed pugnis dimicari solitū, vnde & pugna nomen accepit, postea Bellus ferreum gladium primus perduxit, à quo & bellum placuit nominari, cui sententię Horatij carmina non parum astipulantur.

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum, & turpe pecus, glande, atque cubilia propter,
Vnguibus, & pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricauerat vsus.

Necnon & illa Lucretij lib.5. de Rerum natura.

Arma

Arma antiqua manus, vngues, dentesq. fuerunt,
Et lapides, & item siluarum fragmina rami,
Et flammæ, atque ignes, postquam sunt cognita primum:
Posterius ferro vis est, arisq. reperta.

Ex hoc bello omnes Tituli illi descenderunt. ff. de capt. & post lim. reuers. de re milit. de Castr. pecul. de acquir. rer. Domin. de acquir. poss. tot armorum genera, tot duelli conditiones, pluraq. similia emanarunt, sed derelicto bello ad ea, quæ in ipso capiuntur deueniamus.

Secundus effectus est captiuitatis, idest, vt res in bello captæ fiant capientium, quod tamen recipit distinctionē, quia si sunt res mobiles fiunt
9 capientium, si immobiles fiunt Principis. l. si quid in bello, & l. si captiuus. ff. de capt. & postlim. reuers. idq. de generali consuetudine seruari testatur Guglìel. de Bened. in cap. Rainutius de testamen. in verbo, Et vxorem nu. 823.

Tertius effectus est seruitutis, post bella enim necessario sequuta est captiuitas, & seruitus, quæ
10 à gentibus beneficij loco primum concedi cœpit, vt eos, qui ex elade belli superstites in victorum potestatem venissent, humanitatis causa seruarent, naturali ratione docente parcere ijs, qui vi deuicti fuerunt, quam rem Romani Duces semper humanè obseruarunt, quin etiam D. Ambrosius ad Bonifacium scribens, inquit, sicut bellanti, & resistenti violentia redditur, ita victorijs capto misericordia iam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur, & quoniam non impunè sunt dimittendi, ideo capti seruitute puniuntur DD. in l. ex hoc iure. ff. de iustitia, & iur. hunc effectum declaro primo, vt procedat si capiantur homines singulares, secus si capiatur Ciuitas, quia non efficitur serua, sed subdita respectu iurisdictionis, vnde ciues retinent sua bona, & habent testamenti factionem. Bart. in l. Diuus. ff. de iure fisc. Bald. in Rubr. extra de Tregua, & & Pace. secundo, vt non habeat locum inter Chri
11 stianos, sed inter infideles tantum. Bart. in l. hostes. ff. de capt. & postlim. reuers. Verum benè est in hoc casu, quod inter christianos captus iure belli renetur persoluere pretium suæ redemptionis, quod talea appellatur Bald. in l. nam & seruius, ff. de negoc. gest. quæ talea successit in locum seruitutis. Salic. in l. ab hostibus. C. de capt. & postlim. reuers.

Quartus effectus est manumissionis, de quo
12 in l. manumissiones. ff. de iustit. & iure, postquam enim iuregentium seruitus inuasit, eodem iure sequutum est etiam beneficium manumissionis.

Quintus effectus est, Regnorum constitutio,
13 quæ post bella condita fuerunt, & sic Regum in genere origo à iure Gentium est. d. l. ex hoc iure. ff. de iustitia, & iure; Duabus de causis Reges à populis creati fuerunt, Primo ne ab hostibus externis opprimerentur. Secundo, ne inter ipsos inopes premerentur ab ijs, qui maiores opes habebant, Cicero offic. lib. 2. Hinc dicun-

14 tur Reges à recto, vt non nullis haud immeritò placet, quod illos rectum deceat, ac primi rectorum morum causa sint electi.

Sextus est, Dominiorum distinctio, hoc est, proprietatis rerum in hunc, atque illum separata
15 distributio, natura enim, & naturali iure nullum erat dominium, nullusq. omnino rei alicuius dominus; erat tamen vsus, atque in eiusdem vsus gratia possessio; cum etenim res omnes animantium causa natura fecisset, illarum etiā æqualem vsum æqualiter omnibus sine alterius iniuria indulsit; ita, quod vnusquisq. cœlo, mari, terraq. cœperat, suum eatenus faciebat, quatenus illo vtebatur, vtive poterat, non vt eius dominium comparet, sed vt iam sibi quæreret possessionē: pari quoque ratione quod loci quisque ad habitandū prior cœperat, eo alius interim dum possidebat deturbare, atque exigere non poterat, cum. s. alterius ob vsum necessarium necessariam possessionem eius loci, quem possessor vacantem vsui suo antea addixisset, non posset sine iniuria inuadere, quamobrem fuit in primis naturæ cunabulis, peculiaris quedam necessariarum rerum possessio, at neutiquam dominium. Horatius.

Nam propria telluris herum natura, nec illum,
Nec me, nec quenquam statuit.

Cæterum communis postea gentium omnium consensus, non solum suam conseruationem, sed vt rerum omnium vtilitati suæ inseruientium rationem intuitus, suamq. diuturnam salutem, & felicem incolumitatem, ab illarum diuturna, ac diligenti custodia pendentem meditatus, & dominia induxit, & dominiorum distinctionem architectatus est, sed habito dominio ad agros nostros accedamus, & terminos nostros agnoscamus, eosq. conspicuus muniamus, ne lasciuus præteriens vllo modo effodere valeat.

Septimus effectus est, Terminorum positio, quorum iure naturali, & in illo aureo seculo, nullus erat vsus, vt ex illis Vergilianis carminib. Georg. 1. patet.

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni:
Ne signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat.

Quod & Tibullus lib. 1. Eleg. 3. de Saturni ætate loquens confirmat.

Non domus vlla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arua lapis.

Sed de iure Gentium secundario, postquam do-
16 minia distingui cœperunt, Termini agris positi sunt, vt quilibet re sua contentus facilius lites remoueantur Verg. 12. Aeneid.

Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquū ingens, campo qui forte iacebat,
Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.

Ouidius Fast. 2. ad Deum terminum loquens.

Tu populos, vrbes, & Regna ingentia finis,
Omnis erit sine te litigiosus ager.

Hinc Iulius Frontinus in lib. de Mensuris admonet, vt vnusquisque fines suos diligēter custodiar,

diat, non alienos laceſſat; & Deuteron.c.19.dicitur, Non aſſumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione tua, & Salomon Prouerb.22. Ne tranſgrediaris termi nos antiquos, quos poſuerunt patres tui. Ex his apparet errare eos, qui Numę Pompilio terminorum inuentionē attribuunt. Verum bene eſt, & illud admitto, quòd Numa primus fuit, qui Ioui ſacros terminos eſſe voluit, & in eos, qui mouerint veluti in ſacrilegos, vt animaduerteretur, ſtatuit. Primus etiam Deo Termino feſta quotannis celebranda inſtituit, quę terminalia appellabātur & fiebāt 10.kal.Martij, hoc eſt 20.die Februarij, vt Auctor eſt Dionyſius Halycarnaſeus lib.antiquit.Romanar.2. Nec multo poſt tempore, Romani huic Deo templum cōdiderunt, apud quos tanta exiſtimatione ſemper habitus fuit, vt ingēs foramē ſuper tectum templi fieri curauerint, eo quod terminum intra tectum cōſiſtere nefas arbitrarentur, De hoc Deo mentionem facit Liu. lib.1.Decad.1. & multa copiosè, & grauiter diſſerit Plato de legibus Dialogo 8.

Octauo omnes penè contractus, & obligationes à iure Gentium emanarunt, dixi omnes
18 penè contractus, quia quatuor reperiuntur, qui à iure ciuili ortum ducunt, vt ſtipulatio, literarum obligatio, ſponſalitia, largitas, ſiue Donatio propter nuptias, & cōtractus emphiteuticus, de quibus poſt Aldobrandinum, & DD. videte Gloſ. in d.§.Ius autem Gentium, in verbo penè, & in d.l. ex hoc iure.ff.de iuſt.& iure.

Nono Ius Gentium pacta ſeruare iubet, nihil enim tam congruum fidei humanæ eſt, quam ea,
19 quæ placuerunt inter nos ſeruare, tex.eſt in l.1. ff.de pact.quo loci refert Bald. Ariſtotilem admonuiſſe Alexandrū, vt promiſſa ſeruaret, aliàs malum finem ſecuturum eſſe. Ampliatur, vt procedāt, & locū habeat etiam in hoſtibus, quib. fides data ſeruari debet. l.conuentionum, & ibi DD. not.ff.de pact.& hoc, ſiue à publica, ſiue à priuata perſona data ſit, nam tantum obligatur Princeps ex ſua promiſſione, quantum priuatus, cap. noli 23.q.1. pro quo præclarum illud, & inſigne eſt M. Attilij facinus, cuius meminere Liu. lib.2. de bello punico Aul.Gell.lib.7.c.18. ac D.Aug. lib.1.de Ciuit.Dei, cap.15. Is M.Attilius maluit mortem oppetere, quam fidem Carthaginenſib. præſtitam frangere, ad eoſq. potius pro ſubeunda morte redire voluit, quàm Romæ incolumis manere, fide fracta, quod mire laudat Cic.offic. 1.probans, & hoſti fidem ſeruandam eſſe.

Decimo, & vltimo Legatorum non violandorum religio iuris Gentium eſt.cap.ius gentium 1.
20 diſt. ideo qui legatos hoſtium violat, ſecundum canones excommunicatur.cap.ſi quis 94.diſt.& ſecundum iura ciuilia hoſtibus ipſis traditur l.ſi. ff.de legat. ſicut euenit in Hoſtilio Mancino, quē Manlius pater eam ob cauſam hoſtibus dedit, vt Cic.lib.1.de Oratore tradit. Romani Corinthijs ſolius vindictæ cauſa, quod legatos ſuos contra ius Gentium pulſaſſent, bellum intulerunt, & eorum vrbem deleuerunt, viceuerſa contra ius gentium facit legatus, qui in legatione arma capit aduerſus eos, ad quos miſſus eſt, vt tres Fabij fecere ad Gallos miſſi, qua de re, vt Plinius, & Liuius ſcribunt, Ius Gentium violauere.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Ius Ciuile.*
2 *Qualiter differat à naturali, & Gentium.*
3 *Cum legem naturæ habeamus, cur neceſſaria fuerit lex Ciuilis.*

§. Ius autem Ciuile.

CVm ius omne manet à tribus partibus, quarum vna ſit naturæ, altera Gentium communiter omnium, tertia ciuilis præceptionis, & de duabus primis dictum ſit, & ſic, de iure naturali, & Gentium. Reſtat tertia pars, quæ ciuitatum propria eſt, in qua de iure ciuili tractatur.

Quid ſit ius Ciuile.

IVs Ciuile eſt determinatio alicuius circunſtā-
1 tiæ in iure naturali, vel Gentium probabili de cauſa facta, certo competens populo, §.ius autē ciuile hoc Tit. Dicitur ciuile à ciuibus, eo quia certi ciues, ſiue certus populus eo vtitur, & ſic differt à iure naturali, & Gentiū, quia ius naturale omnium naturæ vtilitatem intuetur, Gentium omnium commoda, ciuile certorum ciuium beneficium reſpicit, Rurſus naturale animalibus omnibus vtile, & neceſſarium eſt, Gētium mortalibus
2 omnibus commodum, & expediens, ciuile tā naturalis, quàm Gentium, iuris præcepta ea in parte, qua ſui populi commodis inſeruit, ſequitur tetinet, atque amplificat, & ſi qua minus conducere videtur, contrahit, luxuriantis vitis inſtar amputat, & veluti lesbia norma ad ſuorum ciuium vtilitatem refert, & accommodat.d.§.ius autem ciuile hoc Tit.& l.omnes populi.ff.de iuſt.& iure. Licet igitur ipſum ius naturæ, & Gentium, ſatis eſſe deberet, ad honeſtè viuendū (naturam enim ducem qui ſequitur, dicebat M.Cicero, aberrare nunquam poteſt) attamen cum ſolo gentium iure neque mores hominum in hac triſti naturæ deprauatiōne commodè regi, neque ciuiū controuerſiæ exactè dirimi, nec Reipub. ſtatus bene teneri poſſet, inuentum, & conditum eſt à quocunque populo pro vtilitate Reipub.ſuę ius ciuile, quod nec in totum à iure naturali recedit, cū ab eo rectitudinem mutuetur, nec per omnia ei ſeruit, ſed interdum aliquid addit, & interdum detrahit ad præſentium rerum neceſſitatem naturæ theſes accommodando, ita loquitur Vlpianus Iuriſconſultus, in l.ius ciuile.ff.de iuſt.& iure. Recte quidem Vlpianus, nam ſi penitus à naturali ratione ius Ciuile recederet, nō lex, ſed ſeua,

&

& portentosa traditio esset l.fin.C.de incest.nup. si etiã per oĩa naturæ iudicio seruiret, nõ ius ciuile, sed Gentiũ diceretur, quod vt clarius intelligatur, sciendum est ius Ciuile pro conseruatione ciuilis societatis multis de causis necessariũ fuisse.

Cur necessaria fuerit lex Ciuilis.

PRima causa fuit, vt esset mensura, & regula iuris naturæ, & gentiũ. Exẽplũ habemus in defensione, q̃ est de iure naturæ, inquantũ homo mouetur instinctu naturali, est de iure gentiũ, inquãtũ mouetur ratione, superuenit ius ciuile, qđ adhibuit moderamen inculpatæ tutelæ, tanquam mensuram, & regulam vtriusque l.1. C.vnde vi.

Secunda causa fuit, vt Ius ciuile in vnã consonantiã redigeret ius naturæ. Exemplũ est in legitima, nam lex naturæ tribuit filijs successionẽ. l.scripto.ff.vnde liberi, alia lex naturæ tribuit hominib. liberã testandi facultatẽ.l.1. C.de sacros. eccles. ius ciuile inter has duas leges cõcordiam cõprecatur, statuendo ꝙ relicta legitima filijs, de reliquo pater disponere possit, Auth.nouissima. C.de inoffic.testam. Aliud exemplũ habemus in l.bona fides.ff.deposit.latro spolia, q̃ à me abstulit, apud te deposuit, q̃rit̃ an tenearis mihi restituere, vel latroni; ꝓ Dño vrget id, qđ natura iubet, vnicuiq. tribui debere, qđ suũ est, ꝓ latrone
3 vrget etiam id, qđ natura iubet, depositũ restitui
debere deponẽti. Iurisconf. ibi cõciliat istas duas leges naturæ, quæ inuicem contrariari videbantur, decidendo quòd in concursu præferatur dominus, sed si dominus nõ petat restituat latroni.

Tertia causa est, vt ius ciuile determinet legẽ naturæ; nam lex positiua nihil aliud est, quàm determinatio quædam legis naturalis, ac diuinæ id quod ex D.Thoma ostendit Francis.Sarmient.de redditibus ecclesiasƒ.par.4.c.2.& 5.& select.interpret.lib.2.c.14. Tria tantum referam exempla, primum est, quia lex diuina generaliter statuit, ꝙ in ore duorum, vel trium stet omne verbum, Lex ciuilis determinat eam habere locum in iudicijs, & contractibus, non autem in testamẽtis ꝑꝑ suspicionẽ falsitatis. l.hac cõsultissima.C.qui testam. facer.poss.maxime, quia ex tali testiũ numero, nõ inducitur peccatũ aliquod, secundũ exemplũ est, lex diuina, & naturæ statuit matrimonia.c.nemo 32.q.4.tradit gl.in §.1. in verbo matrimoniũ hoc tit. Ius ciuile, seu potius canonicum determinat gradus personarum, & modum cõtrahendi, vt ex Concilio Trident.sess.24.facile videre licet, & ex cap.non debet de consanguin.& affinit. Tertium est, quia lex naturalis, & diuina statuit decimas soluendas esse in maiori, vel minori quãtitate, ergo ius ciuile determinat ius naturæ, & gentium.

SVMMARIVM.

1 *Ius ciuile vnde nomen habeat.*
2 *Cum fit mentio iuris ciuilis, de quo iure intelligatur.*

§. Sed Ius quidem.

Vnde Ius ciuile nomen habeat.

IVs ciuile non sicut ius gentium vniformi nomine appellatur, sed ab vnaquaque ciuitate
ipsum cõdente nomen sortitur, propterea Solo-
1 nis, vel Draconis leges ius ciuile Atheniensium,
& Lycurgi sanctissimas constitutiones ius ciuile Lacedęmoniorũ rectè appellamus. §. sed ius quidem hoc tit. Atheniensibus primus Draco leges dedit, quas propter eorum asperitatem (magis enim sanguine, vt Demades dicebat, quam atramento scriptæ videbantur) Solon vnus ex septẽ Græciæ sapientibus correxit, summaq. cum prudentia, & æqualitate nouas constituit, Plutarchus in Solone, apud Athenienses igitur obseruatur ius Atheniensium, apud Lacedęmones Lacedęmoniorum, apud Romanos Romanorum, & apud Venetos Venetorum. Illud est obseruandum, quòd quando simpliciter fit mentio iuris ciuilis,
nec additur nomẽ, intelligitur semper per excel-
2 lentiam de iure ciuili Romanorum, quemadmo-
dum cum poetam dicimus, nec addimus nomẽ, subanditur apud Græcos Homerus, & apud Latinos Vergilius. d.§. sed ius quidem in fine.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex sit Ius ciuile.*
2 *Ius commune scriptum quid, & ex quibus partibus constet.*
3 *Quid sit Lex.*
4 *Quid Plebiscitum.*
5 *Quid Senatusconsultum.*
6 *Quæ Principum placita.*
7 *Quæ sint Magistratuum edicta.*
8 *Quæ Responsa prudentum.*
9 *Quid sit Ius commune non scriptum.*
10 *Quid Ius particulare scriptum.*

§. Constat cum multis sequentibus.

Quotuplex sit Ius ciuile.

1 IVS ciuile duplex est, Commune, & Particulare.

Quotuplex sit Ius commune.

IVS Commune rursus duplex est, Scriptum, & non scriptum. §. constat hoc tit. l.ius autem ciuile.ff.de iustitia, & iure.

Quid sit Ius commune scriptum.

IVs commune scriptum, dicitur illud, quod cõmuniter per omnia Reipub. loca diffunditur, quale nostrum est, quod in Pandectis, & Iustinianeis lucubrationibus scriptum habemus, quoque vtimur. Constatque ex legibus Plebiscitis,

3 Senatusconsultis, Principum placitis, Magistratuū edictis, & Responsis prudentum, & dicitur scriptum, quia in ipsa promulgatione scriptum fuit.

Quid sit Lex.

LEx est, quam populus Romanus Senatorio magistratu, veluti Consule interrogante,
3 constituebat. §. lex hoc tit. Consul ab eo dicitur quod plurimum Reipubl. consulat. l. 2. §. exactis. ff. de orig. iur. tradit pater meus in suo libello de Roman. & Venet. magist. inter se comparat. ad interpretationem. l. penult. ff. de offic. eius. Sic popul. Roman. l. Aeliam sentiam. l. Fusiam Caniniam, & complures alias tulit.

Quid sit Plebiscitum.

4 PLebiscitum est, quod plebs plebeio magistratu, veluti Tribuno interrogante cōstituebat. §. Plebiscitum hoc tit. Tribunus ex eo dicitur, q ex tribus partibus in quas populus Romanus diuisus erat, creabatur, vel etiam, quia Tribunum suffragio. l. 2. §. ijsdem temporibus. ff. de orig. iur. sicut igitur Consul populum rogabat, ita Tribunus rogabat plebem. l. 1. ff. ad l. Aquil. hinc Falcidius Tribunus plebis legem rogauit à populo, vt quemadmodum quisque rem suam legasset, ita ius esset. l. 1. ff. ad l. Falcid. & Aquilius Tribunus plebis legem à populo rogauit, vt si quis quadrupedem vulnerasset, quanti eo anno plurimi fieret, teneretur. l. 1. 2. & tot. tit. ff. ad l. Aquil. Cicero leges quas plebs constituit Tribunitias quas populus Romanus tulit, consulares vocat: his plebiscitis Senatores, & patritij non tenebātur; nam & plebis appellatione patritij, & Senatores non significantur d. §. plebiscitum hoc tit. & l. plebs. ff. de verb. signific. sed Q. Hortensius facta secessione plebis, sedandi motus gratia legem tulit, vt eo iure, quod plebs statuisset, omnes Romani tenerentur. l. 2. §. deinde. ff. de orig. iur. & hoc est quod Imperator hic dicit. Plebiscita lege Hortensia lata non minus valere, quàm leges cępisse.

Quid sit Senatusconsultum.

5 SEnatusconsultum est, quod Senatus iubet; atque constituit. §. Senatusconsultum hoc tit. olim Senatus nullam condendæ legis facultatem habebat, sed omnis potestas penes populū erat; postea procedente tempore difficultas conuocandi populi, qui non ita facile propter numerositatem in vnum congregari poterat, curā Reip. ad Senatum deduxit, cui regendi potestatem, populus tradidit, vt ei vice totius populi iura condere liceret, iusq. ab eo constitutum Senatusconsultum dictum fuit. d. §. Senatusconsultū hoc tit. & l. 1. §. deinde quia difficile. ff. de origin. iur. Huius Senatusconsulti multæ dispositiones in iure nostro reperiuntur, veluti cum hætes rogatus hęreditatem restituere ex Senatusconsulto Trebelliano quartam retinet. §. sed quia infra de fideicōmiss. hæredit. §. 1. infra de Senatusconsf. Tertull. & filius matri ex Senatusconsf. Orficiano. §. 1. inf. de Senatusconsf. Orficiano.

Quæ sint Principum placita.

6 PRincipū placita sunt ea, quæ à principe constituuntur. Populus enim Romanus omnes Reipub. formas expertus, Monarchiam à principio Vrbis, Democratiam expulsis Regibus, & Aristocratiam sub Senatu, tandem necesse esse vidit, vt Reipub. rursus per vnum consuleretur, atque ideo omne suum Imperium, & potestatem vltro in Principem contulit, vt quicquid ei placeret, legis vigorem haberet. §. sed quod Principi hoc tit. l. 1. ff. de constit. Princip. placere Principi intellige, quod ratione, consilio, & fide statuit. l. creditor. §. vlt. ff. mādat. cap. pastoralis de re iudi. cap. non licet. ro. dultn. nefas enim esset, vt Opilius Macrinus Imperator dicebat teste Capitolino in ipsius vita; impuras, & exitiales Caracallæ, Neronis, & similium tirannorum voluntates pro legibus haberi; propterea Antigonus Macedonū Rex, cuidam dicenti omnia regib. iusta, & honesta esse, respondit esse quidem Barbarorum regibus duntaxat, at sibi ea honesta, quæ honesta, & ea tantum iusta, quæ iusta erant. Plutarch. lib. 4. Apophteg. Quodcunque igitur princeps per epistolam, aut subscriptionem constituit, vel cognoscens decreuit, aut de plano interloquutus est, vel edicto pcepit, legis vigorē habet. d. §. sed qd principi, hoc tit. & hęc sunt, q̄ ppriè cōstitut. dīr l. 1. ff. de constit. Princip. quarū aliæ sunt generales, quæ ad omnes pertinēt, aliæ particulares, quę certas personas respiciunt, nec ipsas egrediuntur. d. §. sed quod principi, & hæc proprie priuilegia dīr, quasi priuatorum leges. De ijs Principū placitis habemus per totum integrum Codicem.

Quæ sint Magistratuum edicta.

7 MAgistratuum edicta dicuntur ea, quæ per prætores, & ædiles constituebantur. Solebant enim prætores in initio magistratus, edicta secundum quæ toto eo anno ius redditurí erant, in albo descripta proponere, ad hoc, vt scientes ciues, quod ius, & de qua re prætor dicturus esset, interim se præmunire possent, quæ edicta legis vim, & auctoritatē habebant. §. prætorii quoque hoc tit. l. 2. §. eod. tempore. ff. de orig. iur. & olim non quidem perpetuę, sed annales leges, quoniam cum magistratu ipso, qui annuus erat, finiebantur tot. tit. infra de perpet. & temporal. action. Hinc Cic. 3. act. in Verrem, qui plurimum, inquit, tribuunt edicto prætoris, legem annuam esse dicunt. Verum Cornelius Tribunus plebis cum animaduerteret multitudinem, & varietatem edictorum Reipublic. perniciosam esse,

multis inuitis legem tulit, vt prætorũ edicta perpetua essent, quæ res gratiam ambitiosis prętoribus sustulit, qui vt de suo aliquid in Rempub. cõtulisse viderentur, singulis annis noua edicta proponebant, cuius rei nomine, Cicero in Verrem acriter inuehitur, Primus postea Aulus Offilius prætorum edicta confusa colligens in vnum redegit. l. 2. §. ex his. ff. de orig. iur. & post eum Iulianus idem multo felicius præstitit. l. 2. §. sed q.a. C. de veter. iur. enuclean. Ideò eum merito Iustinianus Imperator noster in l. pen. C. de condit. indeb. summæ auctoritatis hominem, & prætorij edicti perpetuum ordinatorem appellat, hoc ius prætorium honorarium etiam dicitur eo, quia q. honores gerunt. i. magistratus huic iuri authoritatem dederunt. d. §. prætorum hoc tit. neque nouum est, honorem pro magistratu accipi, nam & Cicero, summum gradum honoris Consulatũ vocat in sua orat. ad equites, antequam in exilium iret, & sic Prætorum edictis in tantæ dignitatis, & magistratus honorem, legis authoritas data fuit, summum enim quendam Prætoribus honorem fuisse, vel ex eo constat, quòd regijs insignibus, & apparatu fermè Consulari, supra cęteros magistratus fungerentur, vt tradit Feneltel. de magistr. Roman. cap. 19. Horum edictorum multis in locis in iure nostro mentio habetur, Veluti cum Prætor ait, Pacta conuenta seruabo l. iurisgentium. §. prætor. ait. ff. de pact. gestum vi, metuvè ratum non habebo. l. 1. ff. de eo qđ met. causa, si quis dolo malo fecerit, quominus quis permissu meo in possess. bonor. sit, in eum in factũ iudicium dabo. l. 1. ff. ne vis fiat ei, qui in possess. missus est. Vnde vi tu illũ deiecisti restitue, alioq. iudicium dabo. l. 1. ff. de vi, & vi armat. Hinc illæ inscriptiones, Vlpianus ad edictũ, Paulus ad edictum passim in Pandectarum libris scriptæ reperiuntur; Nec Prætores tantũm, sed etiam ædiles curules iuris constituendi facultatem habebant, quod & ipsum honorarium appellari cępit, eo quod in honorem magistratuum, & auctoritati eius valebat. d. §. Prætorum quoque in fine hoc tit. de his ædilitijs edictis extat tex. in l. vlt. ff. de via publica, in l. item queritur. §. si quis mensuras. ff. locat. & totus, ac integer tit. ff. de ædil. edict.

Quæ sint responsa Prudentum.

8 Responsa Prudentum sunt sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum erat de iure respondere, quæ tantam auctoritatem obtinebant, vt iudicibus ab eorum respõsis recedere nullo pacto liceret. §. responsa, hoc tit. Dicit Imperator, quibus permissum erat, qm̃ post D. Augustum nemo sola studiorum suorũ fiducia fretus, vt ante ipsum fieri solebat, sed tantum permissu, & auctoritate Principis de iure respõdere poterat. l. 2. §. & vt obiter. ff. de origi. iur. Cuiacius lib. 7. obseruat. cap. 25. ex eoq. tempore respõsa ipsa propria manu subscribi, & proprio anulo signari cęperunt, Ideo hodie, qui gradum doctoratus assumunt anulo aureo donari solent, vt eo munere se responsorum signandorũ ius adeptos esse, sciant, Hæc responsa prudẽtum in Pandectarum libris multa, & infinita reperies; Ex his igit oib. speciebus. s. legibus, Plebiscitis, Senatusconsultis, Principum placitis, Magistratuum edictis, & responsis prudentum constitu uni, & compositum est totum ius nostrum, quo hodie vtimur; Et sic lex generaliter sumpta comprehendit legẽ latam à populo, Plebiscitum, Principum placita, Magistratuum edicta, & responsa prudentum.

Quid sit Ius commune non scriptum.

9 Ius commune non scriptum est generalis cõsuetudo, qua omnes homines in Imperio Romano vtuntur; quarum hodie multæ reperiuntur intertæ in corpore iuris; Veluti, vt prodigo rerum suarũ administratio interdicat. l. 1. ff. de curat. furiof. & alijs ext. minor. dand. vt liber. impub. substitui possit. l. 2. ff. de vulg. & pup. subst. Ne pupillus sine tut. oblig. l. morem. ff. de acquir. hęred. Ne inter vir. & vxor. donatio consistat. l. 1. ff. de dona. inter vir. & vxor. & ijs similia, quæ ab initio sine lege vetustas, & vsus cõprobauit, Dicitur. n. non scriptum, quia sine scriptura compositi fuit, licèt postea memoriæ gratia scripto comprehensum.

Quotuplex sit Ius particulare.

10 Dictum fuit superius, quòd Ius ciuile est duplex Commune, & Particulare, & Commune rursus scriptum, & non scriptum, De communi tàm scripto, quàm non scripto iam satis à nobis dictum est, Restat nunc, vt de particulari videamus, quod similiter sicut Commune diuiditur in scriptum, & non scriptum.

Quid sit Ius particulare scriptum.

11 Ius particulare scriptũ est illud, quod expresso cõsensu populi, vnaquęque ciuitas sibi cõstituit, quasi Ius propriũ ciuitatis. §. Ius autẽ ciuile hoc tit. l. omnes populi, & ibi Bart. not. ff. de iust. & iur. & hoc proprie Statutũ dr̃ auth. Cassa. C. de sacros. eccles. Dixi expresso consensu populi, ad differentiam consuetudinis, quæ tacito populi consensu introducitur, vt infra videbimus.

SVMMARIVM.

1 *Quid vt Ius non scriptum.*
2 *Vnde ius scriptum, & non scriptum originem duxerit.*

§. Sine scripto.

Quid sit ius particulare non scriptum.

1 Non scriptum Ius particulare est consuetudo alicuius ciuitatis particularis diuturnitate, & tacitis populi moribus comprobata, quæ vim legis obtinet. §. sine scripto hoc tit. l. sed & ea. ff. de legib. cap. consuetudo. 1. dist.

Vnde ius scriptum, & non scriptum originem duxerit.

Origo istius iuris scripti, & non scripti ex
2 Atheniensium, & Lacedemoniorum moribus profluxit, Athenienses.n.iure scripto, Lacedemones non scripto vtebantur §.fine scripto hoc tit.id quod Lycurgus lege lata constituerat, vt Plutarch.in Romulo refert, adeo vt trecentos amplius annos vnis moribus,& nun quã scriptis, nec mutatis legibus Lacedemonij vixerint. Cic. pro Flacco. Et rectè quidem statuit Lycurgus nullis alijs tabulis,quam ciuium suorum mentib. leges insculptas esse, vt eas potius scirent,& colerent,quam legerent,& negligerēt,quia ea,quæ mandamus literis,vt Cęsar dicebat, scire memoriter negligimus,cum ea vtpotè scripta,vbi opus fuerit, reperire confidamus. Hinc Horatius.

Quid leges sine moribus vanæ proficiunt.

Elegantissimè etiam facetiarũ Princeps Plautus in Trinumo ludens in l.12. tab. quæ in æs incisæ pendebant in Foro, cum interim praui mores,& corrupti dominarentur in ciuitate, inquit.

Mores leges perduxerunt in potestatem suam
Neque magis sunt ijs obnoxij, quam parentes liberis.
Hæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clauis ferreis,
Vbi malos mores adfigi nimio fuerat æquius.

Romani ergo simul iure scripto, & non scripto vsi sunt Athenas,& Lacedemona,duo Greciæ lumina imitati, ex quarum altera leges scriptas, ex altera mores per Sp.Posthumium Album, Aulum Manilium, & Pub.Sulpitium Camerinũ mutuati sunt Liu.lib.19. hac de causa Pericles magnoperè Athenienses suos laudat, quod alijs populis leges præscripserint,quas ipsi aliunde non receperunt Thucidides lib.2. Rectè igitur dixit Modest. I.C.in l.penul.ff.de legib.quod omne ius,aut cōsensus fecit,aut necessitas constituit,aut firmauit consuetudo, nam sponte,& communi quodam cōsensu ius Gentium obseruari cępit, deinde necessitate ius ciuile est constitutũ, & deniq. tacita quadam voluntatis inclinatione, & more,cōsuetudo introducta fuit; Cętera de consuetudine vide apud Abb. & cæteros canonistas in cap.fin. extra de consuet. Bart.in l.de quibus.ff.de legib. Angel.Aldobrand.& alios hic,& in meo Tract.de Principijs iuris cap.21.22.& 23.

SVMMARIVM.

1 *Ius naturale est immutabile.*
2 *Ciuile sæpe mutatur.*
3 *Ius naturale, quomodo,& quando mutari possit.*

§. Sed naturalia.

Quomodo ius naturale, & ciuile inter se differant.

Differunt inter se ius naturale, & ciuile,quia ius naturale secundariũ.s.quod apud omnes obseruatur semper firmũ,& immutabile permanet, testatur hoc Iustinianus Imperator noster in §. sed naturalia hoc Tit. docet exemplo
1 Pompon. I.C. in l.iura sanguinis.ff.de reg.iur. cōprobat disertè, & copiosè Cic.lib.2. de legib. ac deniq. asserit philosophorum Princeps, & verus Philosophiæ fons Arist.lib.Ethic.5.cap.7. sed ciuile sæpè,vel tacito populi consensu, hoc est,cōsuetudine, vel alia postea lege lata mutari solet, d.§. sed naturalia, hinc illud extat quod Mater
2 Dionysij Tiranni Siciliæ dixisse fertur,cum filius conatus esset illi stuprum inferre, Tirannum quidem leges ciuiles mutare posse, non naturales. Nec obstat,quod de seruitute,& vsucapione opponit Glos.hic,nam omissis aliorum Doctorum solutionibus,quas subtiliter,& doctissimè confutat Aldobran.hic sub num.2. Dico quod iura naturalia, alia sunt naturali ratione introducta in mentibus hominum,& animis nostris insita,non ob speciale bonum hominum, sed in vniuersum à natura ipsa principaliter,& propter se,vt patet
3 in exemplis positis in l.2.& 3.ff.de iustit.& iure, & hæc mutari non possunt,cuiusq. cõtrariũ introducere nefas esset, Alia non à Deo ipso,diuinaq. eius prouidentia constituta sunt,sed ab hominib. naturali ratione ob bonum publicũ,& conseruationē societatis humanæ,& hæc, prout causa, pp quam introducta fuerunt,exigit, mutantur, hoc pacto procedunt contraria adducta per Glos.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Digniora sunt semper præferenda.*
3 *Quid sit ius Personarum.*
4 *Omnes homines aut liberi sunt,aut serui.*
5 *Medici cur dicantur Parabolani.*
6 *Excellentissimi Talentonij acuta defensio.*
7 *Verè Parabolani qui esse dicantur.*

DE IVRE PERSONARVM. Titulus III.

Continuatur Titulus noster ad præcedentes hoc pacto:supra in §.fin.Tit.præced.dictum fuit.quod omne ius,quo vtimur,vel ad personas pertinet, vel ad Res, vel ad Actiones, ideo præmissis primis principijs Iustitiæ,& iuris,rectè nūc à tractatu personarum exordium sumit Impera-
1 tor, tanquam à digniori l.1.ff.eod. & concordat cum hoc Titulus. ff.de statu homin. Et sic obseruant DD. Digniora semper esse præferenda tex.
2 est in cap.solitæ,& ibi Canonistæ omnes notant, extra de Maiorit.& obed.l.1.& 2.ff.de Albo scriben. Ideo si plures testes reperiantur in pari numero deponentes maior fides adhiberi debet dignioribus,quam alijs.l.ob carmen.§.1.cũ ibi notatis.ff.de testib. Et si homicidium cōmissum sit, & corpus occisi repetiatur in vno territorio, & caput in alio, cognitio criminis spectabit ad iudicem

dicem illius territorij, in quo caput inuẽtum eſt, cũ caput prĩcipalior, & dignior pars hominis ſit, l. cum in diuerſis ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.

Quid ſit ius Perſonarum.

IVs perſonarum nihil aliud eſt, quam ſtatus, qualitas, & conditio hominis reſpectu liber-
3 tatis, vel ciuitatis, vel familiæ l. de ſtatu ff. de Te-
ſtamen. quæ qualitas ſi mutetur, ſequitur capitis diminutio: maxima reſpectu libertatis, media reſpectu Ciuitatis, & minima, reſpectu familiæ. tot. Tit. infra de Capit. Diminut.

Quæ ſit prima Perſonarum diuiſio.

SVmma, & principalis diuiſio Perſonarũ, hæc
4 eſt, quod omnes homines, aut liberi ſunt,
aut ſerui, hoc eſt, vt exponit Aldobrand. hic in eo ſtatu, vt eorum quidam liberi ſint, & quidam ſerui §. 1. hoc tit. & l. 3. ff. eod. Hanc diuiſionem ſummam appellat Imperator, quia ſub ipſa comprehẽduntur omnium hominum qualitates, nullus enim ſtatus, & nulla hominum conditio eſt, quæ ſub hac diuiſione comprehendi non poſſit, nam inter liberos recẽſentur in primis ingenui, & libertini, vt in §. fin. hoc tit. aſcriptitij, qui colendis agris deſtinati, & veluti glebæ adſcripti nunquam inde diſcedere poſſunt. §. ſi ſeruus, verſic. aſcriptitios de ſanct. epiſc. collat. 9. gloſ. communiter recepta hic in verb. aut ſerui originarij, qui ex aſcriptitijs in ipſo ſolo, vel fundo nati ſunt. l. colonos. C. de agricol. & cenſit. lib. 11. in inſulam deportati. l. quidam. ff. de pœn. ac etiam pa-
5 rabolani, qui ad curãda debilium ægra corpora
deputati sũt. l. placet, & l. parabolani. C. de epiſc. & cleric. parabolanos Doct. noſtri putant medicos eſſe, ſed cur ſic dictos, non ſatis conſtat apud omnes. Accurſ. in d. l. parabolani medicos ideo parabolanos dici exiſtimat, quòd multas habeãt parabolas, ſintq. aliquando loquaciores, vt magis docti vulgi opinione videantur, Verùm dum Piſis ſacros Canones profitebar, hoc quandoquè per iocum obijciens Excellentiſs. Ioanni Talentonio Fiuizanenſi mihi olim Piſis in Logica facultate præceptori amantiſſimo, & loco parẽtis
6 ſemper colendiſſimo, qui ob ſummam Logicæ
facultatis peritiam, magnam medicinæ artis experientiam, ſingularem Philoſophiæ doctrinam, omniumq. ſcientiarum generis cognitionem per vniuerſum terrarum orbẽ celeberrimus exiſtit, & nunc ſua luce Ticinenſem Academiam in prima Philoſophię ſede plurimũ illuſtrat, ſtatim, vt acri, & ſubtili præditus eſt ingenio, hanc ignominiam diluere volens, & in bonam partem transferre dixit, Parabolæ Salomonis oſtendunt, quòd quæ Sapientes in conſiderationibus naturalibus protulerunt, cõuenienti metaphora mortalib. adaptantur, Doctor gratioſus, & efficax, parabolis vtitur ad occulta per ſenſibilia declaranda, adeo qđ & ipſe parabolanus appellari debet, qui tamen ſapientiſſimus fuit. Vnde parabolanus nil aliud eſt, quam ſapiens. Hæc ille. Tiraq. in ſuo tract. de nobilit. cap. 31. num. 421. Parabolanos medicos quidẽ eſſe non negat, ſed dictos eos putat a quadam voce Græca, qua Glans ſignificatur, eo qđ medici ſępiſſime in ſua cura ſuppoſitorijs vtunt. quæ ob ſimilitudinem glandis Balanoi Græcis
7 appellantur. Andr. Alciat. lib. 4. diſpunct. cap. 9. &
Franc. Duaren. credunt parabolanos medicos nõ eſſe, ſed plebeios quoſdam, qui famulitio vel eccleſiarum, vel hoſpitalium, Xenonumvè deputati erãt, & quaſi adſcriptitij glebæ, vt ſicut illis omni vita ab agrorum cultura recedere non licebat, ita his ab ægrorum ſeruitio, qui in Noſocomijs, ideſt valetudinarijs reſidebant, Cuiacius vir magni nominis, & ipſe credit parabolanos eſſe eos, qui ad curanda debilium ægra corpora deputantur, Sic enim dictos, quaſi temerarios, eo quod in periculis ſæpè non paruis verſentur frequenti ægrorum contactu, eadem nimirum ratione, qua beſtiarij, qui cum beſtijs ſeſe depugnaturi demittunt, parabolarij ſunt, nihilquè refert Parabolanos, an Parabolarios dixeris, vt idem in ct tradit. Inter ſeruos verò referendi ſunt, ſtatuliberi, qui deſtinatam in tempus habent libertatem. l. 1. & l. ſtatuliberum. ff. de ſtatuliber. Addicti, qui ob æs alienum iuſſu Prætoris in temporariam ſeruitutem creditorib. addicebantur Cic. pro Q. Roſcio Comedo Plaut. in Pœnulo.

——vbi auri, & hominis, fur leno fiet:
Neque id vnde efficiat habet, vbi in ius venerit:
Addicet Prætor familiam totam tibi.

quod ius apud Hebræos quoque creditoribus olim fuiſſe videtur. Reg. 4. cap. 4. & ex Solonis lege manaſſe Plutar. in Solone. Cæterum more publico, inquit Quintil. lib. 3. cap. 7. deinde expreſſa Diocletiani lege hodie reuocatum. l. ob æs. C. de action. & obligat. Recte igitur dicta fuit ſumma diuiſio, cum ſub ipſa comprehendantur omnium hominum qualitates.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Libertas.*
2 *Semper pro libertate præſumitur.*
3 *Facultas facilitatem agendarum rerum ſignificat.*
4 *Vera libertas dicitur qua licet quodlibet legibus non vetitum.*

§. Et libertas.

Quid ſit Libertas.

1 LIbertas (ex qua homines liberi dicũtur) eſt
naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, niſi vi, aut iure prohibeatur. §. & Libertas hoc tit. & l. 4. ff. eod. Dicit naturalis, quia libertas à natura eſt, docent hoc animalia, vt aues caueis incluſæ, quæ plerunque, vel moriuntur, vel cantus ſuauitatẽ præ libertatis amiſſæ mœrore amittunt, Ideo ſemper pro libertate perſonę præſumptio

ptio est, nec vasallus alterius quisquam præsumi-
2 tur. Bal. in d. l. 4. sic & pro libertate rerum. l. altius, & l. si tibi. C. de seruit. & aqua, Dicit facultas, hoc est, liberrima potestas, & vis quædam, qua facilè possumus quodlibet facere. Facultas. n. vt Fest.
3 ait, facilitatem agendarum rerum significat. Cic. in Paradoxis, libertatis proprium est, inquit, viuere, vt velis, & Pers. Satyr. penul.

An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, vt voluit?

Dicit, nisi vi prohibeatur, vt intelligamus non propterea infringi libertatem, quòd quis potentis violentia astrictus aliquid agere non possit, Veluti cum me aliquid molientem, quod lex non prohibet, fortior aliquis, & potentior vetat, & impedit. Addit, nisi iure, quia licet quis facere non possit, quod à iure prohibitum est, vt hominem occidere, & similia, per hoc non tollitur li-
4 bertas, Imo ea vera libertas dicitur, qua licet quodlibet legibus non vetitum. Cicero pro Cluentio ait, idcirco omnes legum nos seruos esse, vt liberi esse possimus, regnareq. est, quemadmodum Plinius ad Traianum scriptum reliquit, iustæ legi, & optimo Principi seruire, Libertatis igitur nomine abutitur, qui p fas, & nefas, quod effrenato animo libet, agere cupit.

SVMMARIVM.

1 *Seruitus quid sit.*
2 *Romani quotannis 14. Kalen. Ianuarij celebrabant Saturnalia, quibus erat seruis ipsis rerum omnium data licentia.*
3 *Ius naturale quomodo immutabile.*
4 *Velle non habet, qui alterius imperio paret.*

§. Seruitus.

Quid sit seruus.

1 Seruitus, est cōstitutio Iurisgentium, qua quis dominio alieno cōtra naturam subijcitur. §. seruitus hoc tit. & l. 4. §. seruitus. ff. eod. dicit Iurisgentium constitutio, quia hac lege non solum Romani, sed alij etiam populi vtuntur, vt victi victorib. seruiant, quemadmodum Cyrus Persarū Rex apud Xenoph. lib. 7. testatur, Dicit, cōtra naturā, qa natura seruos nesciebat, sed iure naturali, & ab initio generis humani oēs homines liberi nascebantur, eodem, & æquabili iure viuebant,

——cum frigida paruas
Praeberet spelunca domos, ignemq. laremq.
Et pecus, & dominos cōmuni clauderet vmbra.

Vt ait Iuuenalis, Nullus tunc illis seruus fuit, sed
2 pecora, boues præsertim seruorum loco fuerunt, cuius aurei seculi memoriam, vt renouarent Romani, quotannis 14. Kalen. Ianuarij celebrabant Saturnalia, quibus erat seruis ipsis rerum omniū data licentia, & par cum dominis potestas, Nec obstat quod ius naturale sit immutabile, vt supra in §. sin. de iur. nat. ex quo videretur dicendū, non
3 posse induci seruitutem cōtra naturam, Nam respond. illud ius naturale immutabile esse, ꝙ natura præcipit, sed libertas in hūc sensum iuris naturalis dici non potest, cum natura libertatē non præceperit, sed tantummodo omnes homines liberos creauerit, vnde non tollitur, quin per hoc iure humano, & gentium crescente hominū malitia, statu seruitus non possit, vt in bello capti serui efficiantur, cum hoc maximè Reipub. conueniat ad punitionem eorum, qui finitimas gentes bellis iniustis persequuntur, sic in ipso naturę statu, omnia communia erāt, nec distincta dominia habebantur, At postea conueniens fuit fieri dominiorum distinctionem lege humana; omnes ergo homines natura liberos esse intelligere debemus, ex primaria naturæ intentione, quæ vult, omnes homines liberos creare, sed per accidens non prohibuit eos seruos fieri posse ex aliqua ratione conuenienti Reipub. sicut ex prima intentione naturæ est, ꝙ hominum vita conseruetur, & tamen legibus humanis statuitur ex accidenti, quòd nocentes, & criminosi occidātur, seruitus igitur est contra naturam, hoc est, cōtra id, quod in primo statu naturæ erat, in quo omnes homines primo illo aureo seculo liberi nascebantur, non contra id, quod natura disponit, & præcipit, sic D. Aug. de Ciuit. Dei c. 15. lib. 16. inquit, nomē seruitutis culpa meruit, nō natura, Dicit, subijcit ad demonstrandum, ꝙ serui adeo dominorū potestati subiacere debent, vt præter eorum volun-
4 tatem nihil facere possint, velle. n. non creditur, q. alterius imperio paret. l. velle. ff. de reg. iur.

SVMMARIVM.

1 *Vnde dicti sint serui.*
2 *Consuetudo seruandi captiuos.*
3 *An liceat nobis hostem, postquam captus est, occidere.*

§. Serui autem et 1.

Vnde dicti sint serui.

1 Serui ex eo appellati sunt, ꝙ Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent, qui etiā mancipia dicti sunt, eo quod ab hostibus victrice manu capiuntur. §. Serui autem el 1. hoc tit. l. 4. §. serui. ff. eod. & sic à seruando secundum glo. hic serui dicti sunt, qm ex belli clade superstites humanitatis causa seruabātur, Virg. Aen. 9. inducit captiuum rogantem.

Per patrios manes, per spes surgentis Iuli
Te precor, hanc animam serues, natoq. patriq.

2 Quæ consuetudo seruandi captiuos ab Imperatoribus primum cœpisse constat, nam cum olim liceret iure belli captiuos occidere, in eosque victores crudelissimè hostili odio sæuire solerent, procedēte tēpore Imperatores, hoc est, vt Theophilus exponit, Duces belli, qui secundum Cic. lib. 1. de Orat. Imperatores dicebantur, clemen-

tiores

niores facti captiuos ſeruari,vendique,non occi-
di ſinebant,cuius rei Horat. milites admonuit.

Vendere cum poſſis,captiuum occidere noli,
Seruiet vtiliter.

Verg.Aeneid.6.

Hæ tibi erunt artes,pacisq. imponere nomen,
Parcere ſubiectis,& debellare ſuperbos.

Et quidem,vt captiuis parcamus,natura ipſa bo-
ni,& æqui nos admonet,quemadmodum Sene-
ca lib.1.de clement.dicit, Propterea Ageſilaum
Lacedęmoniorum Ducem militibus ſuis frequẽ-
ter dixiſſe legimus,ne ſęuitiam vllam in captiuos
exercerent,ſed vt homines ſeruarent. Plutarchus
in comparatione Agidis,& Cleomenis, Ab Aga-
mennone etiam ſapienter reſponſum ferunt, ſæ-
uitiam in captiuos exercere,eſſe contra pietatẽ,
& honeſtatem naturalem, ſubnectens dignã pio
quouis homine ſententiam, Pudorem vetare fie-
ri,quod lex non prohibet.Senec.in Troade,Hinc
3 apparet non licere nobis hoſtem noſtrũ poſtquã
captus eſt occidere, quod pleriq. exiſtimant ve-
rum eſſe,cum intra pręſidia noſtra iam deductus
eſt, alias iure occidi poſſe credunt, cum multa
interim accidere poſſint, Quid enim ſi aufuge-
ret,vel cum hoſtibus rurſus congregaretur? Alij
vt Alciat.in l.pupillus.§.ſeruorum. ff. de verb. ſi-
gnific. malunt in ipſa acie ſolum id licere: nam
dedititium hominem occidere, crudeliſſimũ eſt,
& ab ea humanitate,quam homo homini debet,
abhorret; his illud quoque cõſentaneum eſt, vt
bannitum à familia iudicis apprehẽſum, priuato
occidere non liceat,cum captus iam ſit, ſeruari,
& non occidi debeat: quæ opinio,& humanior,
& recepta magis eſt.Bald. in l.Imperatores in 2.
lect. ff. de ſtatu homin. Alciat. in d.l. pupillus.§.
ſeruorum. ff.de verborum ſignific.

SVMMARIVM.

1 *Serui tribus modis fieri poſſunt.*
2 *Nati ex ancillis noſtris, ſerui noſtri fiunt.*
3 *Capti in bello de Iure gentium ſerui efficiuntur.*
4 *De iure ciuili ſerui efficiuntur,quando ad pretium participandum ſe venundari patiuntur.*
5 *Quæ requirant ad hoc,vt ſui ipſius vẽditio valeat.*
6 *Venditio ſui ipſius Romæ in Tuſco vico fieri ſolebat.*

§. Serui autem ei 2.

Serui quot modis efficiantur.

1 TRes ſunt modi, ſecundum Imperatorẽ hic,
ex quibus quis ſeruus effici poteſt. Primus
eſt ex natiuitate. Nati enim ex ancillis noſtris
ſerui noſtri fiũt, & hoc quamuis pater eorũ liber
2 ſit. gloſ. hic in verbo ex ancillis. Ratio eſt, quia
quo ad ſtatum, partus ſequitur matrẽ,licet quò
ad honores, & dignitates ſequatur patrem.l.par-
tum.C.de rei vindicat.& hoc procedit ſecundum
Angel.hic,fauore partus,cui matris cõditio vno
de tribus tẽporibus prodeſt.ſ.Conceptionis,Na-
tiuitatis,& medio tẽpore,patris verò conceptio-
nis tantum: verum,quia fauor iſte ceſſat quotieſ-
cunque ex patre libero venter ſeruus concipit:
Ideo ſecnda ratio eſſe poteſt,quia qui extra ma-
trimonium, & nuptias conceptus eſt,legis inter-
pretatione patrem habere nõ cenſetur; Ideo ne-
ceſſario ex lege naturæ matris conditionẽ ſequi
debet.l.lex naturę.ff.eod. Tertiò propter certitu-
dinem, cũ mater ſemper ſit certa, pater verò in-
certus.l.quia ſemper certa. ff. de in ius vocando.
Telemach. apud Homer. lib.1.Odyſſ. ſe neſcire,
dixit,an Vlyſſis filius eſſet, ſed matrẽ illi dixiſſe.

Illo me genitum dixit pia mater, at ipſe
Neſcio,nam proprium certus ſcit nemo parentẽ.

Ioannes Oroſcius in l.liberum naſci.ff.eod.refert
quaſdam inſulas eſſe, in quibus prima cauſa
ſucceſſionis eſt fratrum, non liberorum,eo quia
fratres ſint certi, filij incerti.

3 Secundus modus eſt de Iure gentium,quando
quis capitur in bello, & hoc quidem olim obti-
nebat,hodie vero apud Chriſtianos capti in bello
nequaquam ſerui fiunt propter charitatem, quæ
in Chriſto omnib. eius religionem profeſſis cõ-
munis eſt, niſi quatenus hoc iure, contra imma-
niſſimas Turcas vtimur, qui viciſſim noſtros in
duriſſimam ſeruitutem redigunt, & licet Alciat.
in l.hoſtes ff.de verb.ſignific.& alij ſimul cum eo
teneant in ipſis Chriſtianis captis à Turcis opus
eſſe fictionibus legis Corneliæ, & poſtliminij;
Attamen arbitror ego talem fictionem neceſſa-
riam non eſſe,nec leges de captiuis loquentes in
ipſis locum habere,niſi quatenus eorum fauorẽ,
& vtilitatem reſpiciunt.Couarr.in regula pecca-
tum.§.11.num.6.de regul.iur.in 6.& hoc ſumma
quidẽ ratione ſancitũ eſt;nã ſi quos ſeruire expe-
dit,eos oportet,quos natura ſeruitio dignos pro-
creat,nõ quos belli fortuna in eũ caſum adduxit,
vt vincerẽtur.Dubius eſt euẽtus mortis,& ab im
probiſſimis hominib.ſuperãtur plerunq; optimi
quique,& pſtãtiſſimi viri,quos ſeruos exiſtimare
nefas ſit. Hinc Helena apud Theodecten dicit.

Cuius parens vterq. magnus prodijt
E ſtirpe diuum, num quis ancillam vocet?

Apud Theſſalos eorum, qui fortuna ſerui erant,
media exiſtebat inter ſeruos,& liberos conditio.
Sen.lib.3.de beneficijs multis argumentis oſten-
dit, non eam eſſe veram ſeruitutem, quam belli
clades impoſuit, propterea ſummopere lauda-
tur illa Pyrrhi de captiuis reddendis ſententia

Quorum virtuti,belli fortuna pepercit
Eorundem me libertati parcere certum eſt.

Regalis ſanè,& digna Aeacidarum genere ſenten
tia, & ſi digna Pyrrho Rege, multo magis digna
eſt communi omnium parente natura,quæ cun-
ctos mortales liberos genuit,nec vltra quàm iu-
ſtus impetus fert, ſæuire permittit.

4 Tertius modus eſt de iure ciuili per venditionẽ
ſui ipſius, qñ quis ad pretiũ participandum ſe ve-
nundari patitur; Ad quam venditionẽ ſecundum
gloſ.

glos.hic in verbo Maior. plura requiruntur.

Et primo requiritur, quòd ille, qui se venundari patitur, sit maior 20.ann. d.§. serui hoc tit. & l.7. ff.de liber.caus.

Secundo, quòd eo animo se vendat, vt participet pretium, nam si non pretij participandi gratia venditioni consenserit, non valet. l.non ideo. C.de liber. caus.

Tertio, quòd verè participauerit pretiũ, alias rescissa vẽditione, ad libertatem proclamare potest.l.1. ff. & C. quibus ad libert. proclam. non licet, nec obstat, quòd seruus nihil habere possit. §.1.inf.de his, qui sunt sui, vel alien.iur. quia dispensatur, & limitatur in hoc casu à lege, vt possit retinere, & vti pretio sui ipsius, licet sit seruus, maximè quia acquirit huiusmodi pretium, non
5 postquã est seruus factus, sed tempore, quo est li
ber, & ad seruitutẽ progreditur. Porc.hic nu.7.

Quarto requiritur, quòd emptor ignoret conditionem hominis venditi, nam si sciret liberum, venditio nulla esset propter malam fidem. l.liberis.§.si quis sciens.ff.de liber.caus.

Quinto requiritur, quòd ille, qui se venundari patitur, sciat conditionem suam, quia ignorans non posset aliquo modo se vendere, nec libertatem suam in alium transferre. l.Licinius in fi. ff. quibus ad libert. procl. non licet. Addit Aldobrand. hic sub num.17. in fine.

Sextum requisitum.s.quòd vẽdat se per interpositam personã (quoniam si per se ipsum, semper esset emptor in mala fide, nam si crederet liberum, emere nõ posset, vt dictum est in quarto requisito, si seruum deberet scire ad alium pertinere, & per consequens, quòd sui potestatem habere nõ potest) veluti ego egi cum aliquo, vt me viginti aureis venderet, & quinque pro lucro sibi haberet, & quindecim mihi redderet. Sed videtur dicendum, quòd hæc vẽditio liberi hominis fieri non possit. Primò, quia nemo est Dominus mẽbrorũ suorũ. l.liber homo.ff.ad l.Aquil. nec quisq; priuatis pactis seruus fieri potest. l.liberos. C.de liber.caus. Secundò libertas inæstimabilis res est. §.fin.inf.quib. ex caus.manumit. non licet, vnde Spartis, vt Plutarch.in Apophteg.refert, Lacedęmonij dixerunt; tam ingens esse bonũ libertatis, vt nemo sanę mentis libertatem cum regno Persarum cõmutaret, Hinc illud Distichum effertur,

O felix nimium generoso pectore digna
Libertas, cunctis anteferenda bonis.

Sed venditio retractatur propter dęceptionẽ vltra dimidiam ex remedio.l.2.C.de rescin.vend. ergo multo magis debet retractari venditio libertatis. Respondeo ad primum, quòd venditio sustinetur ex virtute legis, quæ est domina mẽbrorum humanorum. Bart.in l.Titio centum.§.Titio centum.ff.de condit.& demonstrat. ex quo dicit Dynus, quòd licet quis non possit per pactum se obligare ad carcerem, quia nõ est dominus mẽbrorum suorum, potest tñ obligari ex forma statuti, quia editum est à Republic. quæ est domina membrorum humanorum. Ad secundum Resp. quòd cum emptor emerit, vt seruum, non vt liberum, sequitur, vt non debeat cõsiderari libertatis æstimatio: idq. specialib. Senatusconsultis, vtilitatis causa ad excludendas fraudes, quæ in venditionibus seruorum fierent, dum passim pro seruis liberi venum irent, ac paulopost liberali causa manu assererentur, contra subtilem iuris rationem inductum fuit, vt commercia sustinerentur. Hæc venditio sui ipsius olim Romæ in Tusco vico fieri solebat, vt Plautus in Curcul. indicat.

In Tusco vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.

Erat Tuscus vicus Romæ locus, in quo post ambitionem Porsenæ, Romani Tuscis in vrbẽ manere cupientibus assignarunt sedes, vbi piscaro-
6 res, pomarij, vnguentarij, lenones, parasiti, cęte-
riq. id genus vilium personarum consistebant. Horat.lib.2.serm. Satyr.3.

Hic simul accepit patrimoni mille talenta
Edicit piscator vti pomarius auceps
Vnguentarius, ac Tusci turba impia vici.

Ad hæc non est illepidum, quòd visu seruare Germanos Cornelius Tacitus lib. de morib. Germanorum memorat, vt cum in aleæ ludo infęlici fortuna perdiderint omnia, nouissimo aleę iactu de libertate, & corpore sic contendant, vt victi voluntariam subeant seruitutem, quomodo apud Indos nouiter repertos, eius orbis Historici, multos esse dicunt, qui sic de libertate experiantur. Prædictis quartum addite modum, quando quis propter crimen capitale per sententiã condemnatus est: nam tunc seruus pœnæ efficitur, & libertatem amittit.l.qui vltimo.ff.de pœnis. Quintum, quando libertus ingratus erga patronum existit.l.2.C.de libert.& eor.liber. id quod ex veteri Atheniensium instituto fluxit, apud quos cõuictus ingratitudinis libertus prærogatiua libertatis exuebatur. Erantq. eius exemptiones solemnia verba, quia dicebat patronus.

Supersedeo habere te ciuem tanti muneris impium æstimatorem.
Abi igitur, & esto seruus, quoniam liber esse nescisti.

Hinc est, quòd vulgo iactatur exẽplis regulã nõ constringi.l.damni, & ibi Doct.not. ff.de dam.infect.

SVMMARIVM.

1 *Inter seruos nulla est differentia.*
2 *Diuersa erant olim seruorum officia.*
3 *An famulus possit se obligare in perpetuum ad seruiendum.*
4 *An sit differentia inter homines liberos.*

§. Fin.

An sit aliqua differentia inter seruos.

1 INter seruos quo ad ius, siue statum eorum, nulla est differentia, quoniam alterius dominio æquè omnes subijciuntur, nec vnus magis

alio

alio est seruus, licet diuersa olim essent eorum officia, & ministeria. Alij enim erant ordinarij, quibus dominus peculium concedebat ad negotiandum alij vicarij, qui respectu peculij ordinatios dominos habebāt.l.si seruus.ff.de pecul. meminit de ijs ipsorū fortè declarās Hor.li.2. Sat.7.

Siue vicarius est, qui seruo paret, vti mos
Vester ait. seu conseruus, tibi quid sum ego?
Nempe
Tu mihi qui imperitas, alijs seruis miser.

Meminit etiam Martialis in elegantissimo ad Maximum epigrammate, in cuius fine sic ait.

Esse sat est seruum, iam nolo vicarius esse
Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

2 Habebant, & ij vicarij vicarios alios sua sub manu positos, qui idcirco vicarij vicariorum dicuntur in l.pen.ff.de pecul.legat. Alij erant Atrieses, qui procurabant negocia domini. Librarij, Histriones, Balneatores, Symphoniaci.l.sed, & si q d ff. de vsufruct. Veterani, Nouitij.l.vlt.ff.de ædilit. edict. Saltuarij, Insularij.l.si ita.ff.de vsu, & habit. vrbani, rustici, villici, dispensatores.l.vrbana.ff.de verb.signific. Mediastini.l.fin.ff.de oper.seru. focarij, fornicarij.l.si seruus. §.si quis insulam.ff.ad l.Aquil. Actores.l.sticho.§.item quæro.ff.de stat. liber. Alij denique erāt aquarij, supellectarij, hostiarij, scoparij, & multi id genus, de quibus Doctores hic, & in l.seruorum.ff.eod. Hinc dubitari contingit, An famuli nostri, vel alius liber homo possit in perpetuum se obligare ad seruiendum,

3 vel locare operas suas, cum promissio talis sapiat naturā seruitutis? glo.in l.post certi.C.de liberal. caus.concludit, ꝙ non. Contrarium tenet glos.in l.antiquitas.C.de vsufr.& in l.3.ff.de vsufr. & hæc communiter recipitur, quia cum sit obligatus ad factum, soluendo interesse liberatur, vt not.DD. in d.l.antiquitas, & in d.l.3.Bar.in l.stipulationes non diuiduntur.ff.de verb.oblig.

An sit differentia inter liberos homines.

4 AD hanc quæstionem respondet Imperator hic in fine tit. nostri dicens inter liberos homines multas differentias esse. Subdens, quòd aut sunt ingenui, aut libertini. Ex quibus verbis Doct.nostri obseruant, quòd dictio multa, qñq. duo tantum significat. Ideo Alex.cons.101.col. 2.nu.9.lib.6.dicit, quòd testis deponens se audiuisse à multis, non probat famam, quia multi dicuntur etiam duo, vel tres, & ad probandam famam requiritur, quòd audierit à maiori parte populi, & sic dictio multa quandoque pro subiecta materia coarctatur, vt duo tantum cōprehendat, licet plerunq. maiorem numerum expostulet.l.2.§.ignominiæ.ff.de infam. l.1. §. hoc rescriptum.ff.ad Syllan.l.licet Imperator.ff.de legat.1.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quis sit ingenuus.*
3 *Sufficit aliquo tempore, vel momento matrem liberam fuisse, ad hoc vt partus plenam libertatem consequatur.*
4 *Ex duobus eodem tempore natis, si incertum sit, qui primo editus sit, quis præsumatur.*
5 *Quando moriens mori dicatur.*
6 *Ille, qui est in vtero habetur pro nato, quò ad sui vtilitatem, non quò ad aliorum commodum.*
7 *An præmium concessum capienti Lupum, augeatur, si capiatur Lupa, quæ prægnans sit.*
8 *Mulier prægnans vltimo supplicio damnari non potest, donec pariat.*
9 *Stante statuto quod bannitus impunè offendi possit, an liceat occidere mulierē prægnantē bannitā.*

DE INGENVIS.
Titulus IV.

1 CONtinuatio huius Tituli desumitur ex ijs, quæ per Imperatorem superius in §.fin. dicta fuerunt. Nam cum inter liberos homines ea principalis differentia posita sit, quòd quidā sunt ingenui, & quidam libertini, nunc ipsam diuisionem declaraturus Imperator præmittit facilioris intelligentiæ gratia, tractatum de Ingenuis, separatum à tractatu de Libertinis.

Quis dicatur Ingenuus.

2 INgenuus dicitur ille, qui statim, vt natus est, liber est, siue ex duob. ingenuis, siue ex duobus libertinis, siue ex altero ingenuo, & altero libertino progenitus sit. §.1.hoc tit. Idem si ex matre libera, & patre seruo, vel incerto natus sit.d.§. 1.vers.sed, & si quis. Eodem modo si mater ancilla concipiat, & postea libera facta pariat, aut libera, & serua pariat, vel & serua concipiat, & serua pariat, sed medio tempore libera extiterit;

3 partus qui nascitur plenam libertatem consequitur: sufficit enim aliquo tempore, vel conceptionis, aut natiuitatis, vel medio tempore, matrem liberam fuisse, ad hoc vt partus plenam libertatē consequatur. §. sufficit hoc tit. imo eodem momento, quo partus nascitur, si mater libera efficiatur, partus simul cum libertate quemadmodū Iustinianus ait, solem respicit. l.cum inter. C.de fideicomm.libert. Exemplum habemus in l.Arethusa.ff.de stat.homin. vbi Ancilla quędam nomine Arethusa libera esse iussa fuit, si tres filios pepetisset. (Antiquitas enim multum fauebat propagationi, vt auctor est Columella de re rustica lib.9.) modo primo partu vnum, secūdo tres peperit, vel primo duos, & postea alios duos geminos edit. Respondet I.C. quartum partum vltimo loco editum liberum nasci, & hoc quando constat, qui vltimo loco editus fuit. Sed quid dicendum, si non appareat? Constat enim quod naturaliter vno partu, & impetu duo simul nasci nō possunt, sed successiuè vnus, post alium, vt in d.l. Arethusa, ibi, nec enim natura permittit simul vno

vno impetu duos infantes de vtero matris pro-
cedere. Quidam dixerunt, ſorte dirimi argum.
tex.in l.3.verſ.ſancimus.C.commun.de lega. cu-
ius hæc ſunt verba: ſancimus itaque in omnibus
huiuſmodi caſibus rei iudicem fortunam eſſe,&
ſortem inter altercantes adhibēdam,ad idem eſt
tex.in l.ſed cū ambo.ff.de iudic. vbi dicitur,quòd
quando in iudicijs communibus fam.erciſc.com
mun.diuid.& fin.regūd. quis prius prouocat,vel
præuenit in cauſa, ille dicitur actor: ſed quando
ambo ſimul prouocant, ſorte dirimitur,quis eo-
4 rum cenſendus ſit actor, probat etiam tex.in l.ſi
quæ ſicut.ff.famil.erciſc. vbi habetur, ꝙ qñ hære-
des diſcordant apud quem debeant eſſe inſtru-
menta hæreditaria,dirimitur iudicio ſortis. Idem
probat tex.in l.3.C.quādo,& quibus quarta pars
debetur lib.10.ibi. Electio ex ſortis fęlicitate cō-
tingat. Et hoc iudicium ſortis eſt tantæ potētiæ,
quòd ab eo non poteſt appellari,nec iterum ſor
tiri ita Bal.in l.3.C.commun. de legat.col.1.in fi.
ſequitur,& reputat ibi ſingulare Iaſ.col.2.nu.10.
& ſequuntur communiter alij Doct.Sed non pla-
cet hæc opinio,quia iudicium ſortis nō habet lo-
cum niſi in caſibus expreſſis in iure ita Bal.d.l.2.
C.quando,& quibus arg.illius tex.& l.3.C.com-
mun.de legat.quod dictum ſequitur., & reputat
ſingulare Iaſ.in d.l.3.col.2.nu.9. & ratio eſt,quia
iſtud non eſt iudicium iuris,ſed fortunæ, Alij di-
ſtinxerunt quis in poſſeſſione libertatis inuenia-
tur, vt ipſe ſit liber, ſed hoc nihil ad caſum no-
ſtrum,cū quęramus cui danda ſit libertas à prin-
cipio,& neminem in libertate fingamus. Accur-
ſius verò in d.l.idē erit,voluit, quòd ſi maſculus,
& fœmina naſcantur,maſculus præſumatur pri-
mo loco editus,quia tanquam robuſtior præſu-
mitur celerius exijſſe de vētre matris,arg.l.ſi fue-
rit.§.cum ita.C.de fideicomm.libert. vbi, data
libertate ventri,intelligitur liber ille,qui naſcitur,
ſiue vnus,ſiue plures naſcantur, ſimilis eſt tex.in
l.qui filiabus.§.1.ff.de legat.1. vbi, ſi teſtator le-
gat centum, ſi qua filia ſibi nata ſit, & naſcantur
plures,ſingulis debentur integra cētum. Alij cre-
diderunt,neutri libertatem competere, arg.tex.
in l.duo ſunt Titij.ff.de teſtam.tutel. Placet mihi
opinio Bal.& Ang. in d.l.Arethuſa,ſ.hoc caſu co-
gendum eſſe hæredem eligere, vt vnus ſit liber,
arg.l.ſi quis ſeruum.§.ſi inter.ff.de lega.2.qua ra-
tione ſi nati ſint duo filij,& incertū ſit,quis prior
editus fuerit,is erit primogenitus,quē pater ele-
gerit,quia qñ actus explicandus in vno ex plurib.
eſt indiuiduus,ſemp eſt locus gratificationi tex.
eſt not. in l.generaliter,§.quid ergo el 2.ff.de fi-
deicomm.libert. tex.in l.3.§.ſi cum omnes.ff.ad
Senatuſc.Syllan.tex.in cap.duob.de reſcrip.lib.6.
& in expreſſo ita tenet Ioan.And.in addit.ad ſpe-
culat.in tit.de feudis.4.col. Bald.in l.in quib.caſi-
bus.C.de ſecundis nupt.col.2.in fi.nu.2. Alex.in
addit.ad Bart.in l.ſi fuerit. ff.de rebus dub. Cor-
ſetus in tract. de poteſtate regia.7.quæſt. princi-
pali. Sufficit igitur ad filij ingenuitatem liberam

fuiſſe matrem eodem inſtanti, quo partus naſci-
tur,vel ex vētre extrahitur, & ſic habemus, quòd
ſufficit conditionem impletam eſſe in puncto,&
momento intellectuali, nam & Thales Mileſius
dixit,intellectum noſtrum eſſe velociſſimum re-
rum omnium,ideo quamuis tempus in motu di-
ſtinctum non reperiatur, in intellectu tamen di-
ſtingui poſſe exiſtimauit, vt refert Bal.in d.l.Are-
thuſa. Sic Plato,cum Sophiſtæ quærerent,quādo
moriens moreretur,an cum iam in morte eſſet,
an verò cū eſſet in vita,& cum alij viuentē adhuc
5 mori putarent,alij nihil in eo tempore vitę relin-
querent,ipſe neque vitæ,neque morti id tempus
dedit,ſed medium quoddam tempus inter vtrūq;
aſſignans,quod repentinum appellauit.Aul.Gel.
noct.Atticar.lib.6.cap.13. Et hoc, ꝙ ſufficiat ad
filij ingenuitatem, matrem aliquo tempore libe-
ram fuiſſe, optimo iure,& ſumma cum ratione
ſtatutum eſt, ſecundum Imperatorē hic, quia ca-
lamitas matris non debet nocere ei,qui in vētre
eſt,ſicut nec crimē paternum, vel pœna paterna
maculam aliquam filio infligere poteſt.l.crimen.
ff.de pœnis. Imo ſemper,quando agitur de cō-
modo partus ille,qui eſt in vtero pro nato habe-
tur.l.1.§.1.ff.ad Senatuſc.Tertull.quāquā alij an-
tequam naſcatur non proſit.l.qui in vtero. ff.de
ſtatu hom. Ex quo duæ obſeruandæ ſunt regulę,
vna quòd is,qui eſt in vtero habetur pro iam na-
6 to quo ad ſui vtilitatem: altera, quod non cen-
ſetur natus quo ad aliorum commodum. Primæ
regulæ exemplum habemus in l.ſi quis operas.ff.
de oper.libert.vbi poſthumo donatio fieri poteſt
facit l.1.& tot.tit.ff.de ventr.in poſſeſſ.mitten.vbi
bonorum poſſeſſio cōceditur filio in ventre exi-
ſtenti. Secundę regulę exemplum habemus in l.
remittit. ff.de excuſat.tut. vbi filij in ventre exi-
ſtentes, nec in excuſatione tutelæ, neque in alijs
ciuilibus muneribus proſunt patri. Ex quo infe-
runt Doct. quod ſi datur præmium capienti lu-
pum, non dabitur maius præmium illi, qui cepit
7 lupam prægnantem, nec illi lupi,qui ſunt in vte-
ro quicquam proſunt capienti Bartol.in l.qui in
vtero.ff.de ſtatu homin.Alberic.de ſtatut.par.1.
quæſt.133. Idem cōcludit Aret.in §.cum autem
infra de tutor.& Ang.in d.l.qui in vtero,etiam ſi
nati eſſent, & lacte nutrirentur, nam adhuc non
obtinebit maius lucrum,cum vnum corpus cum
matre cenſeantur,donec ad vbera matris lactan-
tur.l.ſed addes. §.ſi quis. ff.locat. Contrarium in
hoc vltimo tenet Barba.in l.cum acutiſſimi.C.de
fideicom.ea ratione,quia nati ſunt,& capti,ideo
prodeſſe debent.l.fin.C.de liberal.cauſ. & partus
hominis cēſetur homo.l.in l.falcidia.ff.ad l.falcid.
Placet mihi opinio Petri Rebuffi in l. quod dici-
mus.ff.de verbor.ſignific. nempe quòd licet pro
quolibet non conſequatur tantum,quantum pro
matre,quia non tantum laborauit pro eis,quan-
tum pro matre; tamen etiam pro ijs paruulis ali-
quod competens lucrum dari debeat. Piſis pro
matre ſeptem libras, & pro quolibet paruulo
quatuor

quatuor dare solét, facit ratio, quia quamuis parbuli sint multa tamen accidere poterant propter quæ non caperentur. l. in laqueum. ff. de acquir. rer. domin. & non capti damnum deinde facere poterant, cuius damni euitãdi causa lex lata fuit, confert illud, quod vulgo iactatur ex pessimo genere, ne catulum quidem esse habendum, fallit hæc secunda regula, quando partus non proficiendo alteri sibi noceret, veluti cum matri partum prodesse dicimus, vt damnatæ vltimo supplicio

8 pœna differatur donec pariat. l. Imperator. ff. de statu homin. imo post partum executio suspenditur quousq. infans nutricem inueniat, ꝙ ab alia, quàm à matre lactem recipere nolit saluari debet donec alterius vbera, aut ex se cibum petat, quia si fauetur nascituro multo magis iam nato faueri deber similiter, nec torqueri mater, nec fustigari, neq; mẽbro aliquo mutilari debet donec prægnans est. l. prægnantis, & ibi Doct. not. ff. de pœn. imo infra quadraginta dies adhuc torqueri non debet, ne propter debilitatẽ moriatur secundum gl. & Bar. in d. l. prægnantis. Sic apud Aegyptios lex erat, quę grauidã vltimo supplicio damnatã asseruari iubebat donec pareret, Plutarchus de his, qui serò à numine puniuntur, quæ lex ab Aegyptijs ad Athenienses, & ab Atheniensib. ad Romanos translata fuit. Diod. Sicul. lib. 1 1. rerum Antiq. Ex hoc quærunt Doct. an liceat occidere mulierem prægnantẽ bannitam stante statuto, ꝙ bannitus impunè offendi possit, quidam volũt id licitum esse, Ang. in d. l. Imperator dubitat an sit

9 verum, ego credo non licere quotiescunque ipse scit, vel scire potest mulierem prægnantem esse iniquum enim tunc est innocẽtem paruulum, & nihil commeritum quoquomodo offendere.

SVMMARIVM.

1 *Causa ingenuitatis multa sunt.*
2 *Ingenui aureo anulo vtebantur.*
3 *Manumissio natalibus non efficit.*
4 *Priuilegiũ concessũ in Scholaribus Studentibus intelligitur concessum ijs, qui studeut non ijs, qui in studio degunt.*

§. Fin.

Quæ sint causa Ingenuitatis.

1 Prima causa ingenuitatis est natiuitas ex matre, quæ tempore aliquo libera fuerit, vt dixi superius: secunda causa est sententia, quæ transiuit in rem iudicatam, vt quando per sententiam iudicis quis ingenuus pronunciatus fuit, quæ pro veritate habetur. l. ingenuum. ff. de statu homi. qđ intellige trib. concurrentibus, primò, ꝙ ingenuus pronunciatus sit cum iusto cõtradictore. l. 3. ff. de Collus. detegen. Secundò, quòd causa fuerit plenè discussa, & examinata. l. pen. ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iur. Tertiò, quòd post sententiã non detegatur collusio. tot. tit. C. de Collus. deteg. Tertia causa est, libera testandi potestas, de consensu domini à principe concessa. l. 3. in princip. ff. de bon. lib.

Quarta causa est, nataliũ restitutio, quã seruus, vel libertus de cõsensu patroni speciali principis beneficio restituitur in nataliũ splendorẽ, & pristinam ingenuitatẽ qua erat suo natali die si liber natus fuerit, vel si seruus in qua ab initio orbis cõditi creatiq. generis humani omnes homines nascebantur priusquam seruitus iure belli fuerit inducta. l. 2. & fin. cum ibi notat. ff. de natal. b. restit.

Quinta causa est aureorũ anulorum ius à principe seruis concessum. l. pen. & fin. ff. de iure aur. anul. Principio enim veteres Romani anulo ferreo vtebantur. Plin. lib. 33. cap. 1. & seq. ad exteras gentes legati aureo vtebantur, adeo quod multo tempore, nec ipse quidem senatus aureos habuerit, neque triumphantib. in digito nisi ferreus esset. Verum succedente postea tempore, & augescente luxu, Ferrei serius argẽtei libertinis relicti, aurei ingenuis attributi fuerunt, Isid. lib. 19. etymol. cap. 32. sed si homo ingenuus per errorem

2 fortè in seruitutẽ redactus, & loco serui habitus postea manumissus sit, & constet ingenuum natũ esse dubitatur, an ex tali manumissione libertinæ conditionis efficiatur, an vero natiuam ingenuitatem retineat. Respondet Imperator in §. fin. hoc tit. ingenuum esse, & pro tali habendum, neque manumissionem officere natalibus, id est, ita

3 sui ingenuitatis, vt exponit Aldobrand. glo. quæ natales accipit pro scripturis ex quo obseruo, quod aliud est esse seruum, & aliud in seruitute esse, sicut aliud est cõuentio de cõtrahendo, aliud contractus Doct. in lib. 8. ff. de eo, quo 1 certo loco, aliud esse in studio, & aliud studere. Propterea Doct. dicunt, quòd priuilegium concessum scholaribus, vel studentibus intelligitur cõcessum ijs,

4 qui student, non ijs, qui in studio degunt Dec. in cap. consultationibus de offic. deleg.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Qui dicantur Libertini.*
3 *Differentia inter libertum, & libertinum.*
4 *Manumissio quid.*

DE LIBERTINIS.
Titulus V.

1 Continuatio manifesta est, cũ declaretur altera libertatis species, quam libertinitatem dicimus.

Qui dicantur Libertini.

Libertini sũt illi, qui ex iusta, hoc est, vera seruitute manumissi sunt. §. 1. hoc tit. & l. liber-

2 tini. ff. de stat. hom. iusta inquit Imper. propterea, ꝙ qui ex nõ vera, & putatiua seruitute manumissus est, libertinus non efficitur, sed ingenuus remanet, vt sup. in §. fi. tit. præced. diximus, & quoniam

niam in iure nostro plerunque libertorum, & libertinorum mentio habetur, sciēdum est, hos ab illis non alia ratione distare, quàm quod libertus propriè dicitur cum ad patronum, vel ius patronatum refertur tot.tit. de oper. liber. & libertinus
3 cum statum, & conditionem hominis significare volumus ad differentiam ingenui.

Quid sit Manumissio.

4 MAnumissio est datio libertatis, nam quandiu aliquis in seruitute est manui, & potestati domini subiectus est, & manumissus à manu, & potestate domini liberatur. d. §. 1. Festus lib. 2. Manumitti seruus dicebatur, cum dominus eius, aut caput eiusdem serui, aut aliud membrum tenens, dicebat hunc hominem liberum esse volo, & emittebat eum de manu.

SVMMARIVM.

1 *Multis modis fit manumissio.*
2 *Vindicta quid sit.*
3 *Vnde dicta sit vindicta.*
4 *Census quid.*
5 *Qualiter esset seruitus apud Iudaeos.*

§. Multis autem.

Quot modis manumissio fieri possit.

1 MVltis modis manumissio fieri potest secūdum Imperatorē in §. multis autē hoc tit. & primo in Ecclesia sub antistite plebis adspectu scripturaq. ob facti memoriam qualicunque interueniente. l. 1. C. de his, qui in Ecclesia manumi. Secundò per vindictę impositionem. Est vin-
2 dicta virgula, qua Prętor caput serui percutiens, solemnibus verbis effatis in libertatem vindicabat, quem postea Dominus manu dextra apprehensum coram Prętore vertebat, & circum actū dimittebat, indicans hoc pacto factam esse potestatem manumisso, quaquauersum voluerit abeundi ad quem motem alludens Persius ait:

Vindicta postquam meus à Prętore recessi,
Cur mihi non liceat iussit quodcunq. voluntas?

Inde, & vindictę nomen, virgulam illam Prętoris sumpsisse pleriq. putant, aliter tamen Liuius li. 2. & Plutarch. in Public. censent à Vindicio Vitelliorum seruo sic appellatā, qui cum coniuratos vo-
3 lentes Tarquinium, & suos in vrbem recipere, & opprimere consules detexisset in prǣmium vltra pecuniam libertate, & ciuitate ita donatus fuit, indeq. cautum, vt qui libertatem eo modo assequerentur, dicerentur vindicta manumissi. lib. 2. §. initium. ff. de orig. iur. & tot. tit. ff. de manumiss. vindict. Hæc manumissio amplior, quacunq. alia erat, nam vindicta manumissi non poterant amplius, neque propter ingratitudinem in seruitutē redigi, vt ex Cornel. Tacit. obseruat Alciat. lib. 3. Dispun. cap. 14. qui fœdere cuiusdam distinctionis explicat constitutionem Constantini Imperatoris in l. manumissus. C. de liber. & eor. libert. quæ contrariari videbatur.

Tertio fiebat manumissio in testamento, & alia quacunque vltima voluntate, & hoc dupliciter, aut directo, aut obliquè. Directo cum testator non ab alio seruum manumitti rogat, sed ex suo testamento libertatem ei competere vult, veluti Stichus liber esto, Sticho libertatem do, lego. l. 10. ff. de testam. manumiss. & iste testatoris fit libertus, & Orcinus appellatur, siue Charonnita, quasi Orci, seu charontis sit libertus. §. fin. inf. de sing. reb. per fideicom. relict. Cuiac. lib. 3. obseru. cap. 23. Obliquè cum fidei hęredis sui committit, vt seruum manumittat. Veluti hæredem volo, iubeo, Rogo, det libertatem Sticho, & hic non directo libertatem accipit à defuncto, sed ab eius hærede, & ideo hæredis libertus efficitur. d. §. fin. infra de sing. Reb. per fideicomm. relict. & tot. tit. ff. de fideicomm. libert.

Quarto inter amicos etiam manumissio fieri solebat, veluti cum Dominus prǣsentibus saltem quinque amicis libertatem seruo concedebat. §. multis autem hoc tit. & l. vnica. §. sed & si. C. de Latin. liber. tollen.

Quinto per epistolam, seu scripturam quinque testib. subscriptam, & ab ipso patrono scriptam, vel subscriptam. d. §. multis autem hoc tit. & d. l. vnica. §. sancimus. C. de Latin. libert. tollen. Alios manumittendi modos refert Theophilus hic, scilicet censu, & per mensam. Censu efficiebatur liber ille, qui consentiente domino nomen suum
4 in Censum deferebat. Erat Census Romæ Tabula, aut charta in qua Romani facultates conscribebāt, vt belli tempore pro modo patrimonij sui vnusquisque conferret. Per mensam cum libertatis dandæ gratia, domini seruos conuiuio adhibebant, nec enim solebant cū dominis serui discumbere, quod cum fieret, signum erat datæ libertatis, tanquam eum liberum esse iussissent, quem sustinuissent habere consessorem, & conuiuam. Iure Hebręorum omnibus seruis Hebræis quinquagesimus annus apud eos solemnis, finē
5 seruitutis afferebat, idque erat quinquagesimo quoque anno solitum fieri, qui Iubilæus appellabatur. Liberati postea tyrannide Pharaonis eius rei, memorięque retinendæ causa statuerunt, vt nemo gētis Hebreæ diuturniorem, quam sex annorum apud eos sentiret seruitutem, ideo in septimo anno egrediebatur liber cum vxore, & filijs, vt Deuteron. cap. 15. & Exodi 21. scribitur, Ancillæ vero, & puellæ etiam ante septimum annum statim, ac nubiles erant manumitti debebāt, nisi eas sibi Dominus, aut filio suo iungi voluisset ad subsidium generis humani. d. c. 21. Verū si seruus eligebat manere cum dño, vt quia diligebat ipsum, & domum suam, & bene sibi apud eū esse sentiebat, offerebat eum Dñs iudicibus, & perforabat aurem subulà in signum perpetuæ seruitutis.

uitutis.d.cap.15.Deuteron.& 21.Exod. id quod hodie mulieres nostri temporis inter sua ornamenta retulerunt.l.argumento.§.ornaméta. ff.de auro,& argen.legat. Hæc ornamenta iure merito damnauit D. Hieronymus in epistola, quam dedit ad Demetriadem, & ad Lætam, & D.Cyprianus in libro de habitu virgin. dicentes, non licere vulnera auribus inferre, vt ex earum cicatricibus patrimonia pendeant.

SVMMARIVM.

Manumissio sēper,et in quocūque loco fieri potest.
Quæ sunt voluntariæ iurisdictionis in quocunque loco exerceri possunt.
Voluntariæ & contentiosæ iurisdictionis,quæ dicantur.

§. Serui vero.

Vbi, & quando manumissio fieri possit.

Manumissio semper,& in quocunque loco, & omni tempore fieri potest, ita quod non est necesse,vt pro tribunali sedeat Iudex,nec quod seruet horas iuris,aut tempora feriarum.§. serui vero hoc tit.& ratio est, quia ea, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis,quocunque loco,& tēpore exerceri possunt, secus si sint contentiosæ; intellige tamen in loco in quo Iudex possit,iurisdictionem suam exercere,quia dispositio.l.fin.ff. de iurisd. omn. iud. habet locum etiam in iurisd. voluntaria,clem.Ne Romani.§.porrò ext.de ele-
2 ctio.& elect.potest. notat Dec.consil.557.col.3.
3 Voluntariæ iurisdictionis dicuntur ea,quę partes faciunt de eorum voluntate, absque eo quod ad illud possint necessitari. Contentiosæ q̄ in inuitū redduntur.glos.in l.2.ff.de offic.Proconf.& legat.

SVMMARIVM.

1 *Triplex erat olim libertinorum status.*
2 *Hodie vnicus est,& omnes efficiuntur Ciues Rom.*

§. Final.

Quotuplex esset olim libertinorum status.

Triplex erat olim Libertinorum genus, alij Ciues Romani, alij Latini, & alij Dedititi,
1 dicebantur,tex.est in §.fi.hoc tit. Ciues Romani maiorem,& iustam libertatem consequebantur, & ij erant,qui in testamento in Ecclesia, Censu, aut vindicta manumissi fuerant: Latini,qui aut p epistolam,aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione manumittebantur, minorem libertatem requirebant, nam post manumissionem liberi viuebāt,sed in vltimo vitæ spiritu animam, simul, & libertatem amittebant, testari enim, & de bonis post obitum, præter patroni voluntatem disponere non poterant. §.Sed hæc inf. de success. libert. Id vnum tamen eis relictū erat, quod priuilegia ciuium Romanorum consequi poterant, si iterum,aut testamento,aut in Ecclesia,Censu, vel vindicta manumitteretur. Ideo Plin.2.in epist. ad Fabatum epist.136.scribit.Spero imò cōfido, facile me impetraturū, vt ex itinere deflectat ad te, si voles vindicta liberare,quos proxime inter amicos manumisisti: Dedititij inferiorem,& minimam libertatē habebāt,pessimaq.eorum conditio erat, multoq peior quam latinorum: nam Latini viuebant, vt liberi, moriebātur vt serui,sed Deditij, neque vt serui, neque vt liberi viuebāt, vmbra tantum quadam libertatis vtebantur; dominis enim ad seruilia opera sedere solebant, vt tota vita inseruirent, in morte tantum libertatem recepturi,in hoc tamen seruis feliciores, qđ successorem bonorum suorum habere permittebantur. Et ij erant secundum Caium lib.1.Instit. qui post admissa crimina supplicijs subditi,& publice pro criminib. cęsi essent, aut in quorum facie, vel corpore quæcunque notæ, aut igne, aut ferro impressæ essent, ita vt deleri non possent: isti enim si gratia dominorum inita, postmodum manumittebantur, Deditiij appellabant,ad imitationem fortè peregrinorum hostium,qui abiectis turpiter armis, se Romanis dedere nō essent veriti,intellige de hostibus,qui ab amicitia,& fœdere, quod antea ipsis cū Populo Romano erat, defecerunt vt censet Connan.Comment.iur.ciu. lib.2.ca.6.nu.4. Hodie verò omnes libertini effi-
2 ciuntur Ciues Romani, & iustam libertatē nullo discrimine habito acquirūt.§.fi.hoc tit. & l.vnica. C.de Latin.libert.toll. & sic hodie nulla est differentia inter ingenuos,& libertinos, nam Libertini eandem libertatem habent, quam habent manumissores, quod verū est, respectu aliorum hominum,sed respectu manumittēris, retinetur ius patronatus, quod in pluribus consistit, vt tradit glo. hic in verbo libertinus,& in l.fi. C.de bon.libert.necnon in §.sed nostra, inf.de success.libert.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio,& concordantes tituli.*
2 *Debitor in fraudem creditorum manumittere non potest.*
3 *Quæ requirantur ad hoc,vt manumissio in fraudem creditorum facta censeatur,*
4 *Fallit si Dominus seruum in testamento cum libertate heredem inst tuat.*
5 *Ignominiosum apud veteres erat res defuncti publicè præconis voce vendi.*
6 *Argumentum à verisimili ad multa valet.*
7 *Minor viginti annis manumittere non potest.*
8 *Fallit si iustam causam habeat.*
9 *Secundo fallit si manumissio fiat in testamēto,nā tūc in decimoseptimo anno manumittere potest.*
10 *Hodie minor de iure nouissimo eo tempore, quo testari potest, quod est in decimoquarto anno, etiam seruis libertatem dare potest.*

EX QVIBVS CAVSIS
Manumittere non licet.
Titulus VI.

SVpradictum fuit de varijs manumittendi mo-
dis, verum quia non omnibus manumittere
licet, nec ex omnibus causis, ideo de hoc nunc
1 submittit Imperator negatiue ponens de ijs per-
sonis, quæ prohibentur, quia qui non reperitur
prohibitus manumittere intelligitur à iure per-
missus argumento text. in l. 1. ff. de testibus, vbi
omnes testes esse possunt, qui non prohibentur,
& habet hæc Rubrica concordantes titulos in
ff. Qui, & à quibus manumissi liberi non fiunt, &
in C. qui manumittere non possunt.

Qui manumittere non possint.

PRimo debitor, qui soluendo non est, in frau-
dem creditorum manumittere non potest;
§. 1. hoc tit. & l. in fraudem la 1. ff. qui, & à quibus
2 manumiss. liben. nõ fiunt. Nec obstat, quod in re
sua quilibet sit moderator, & arbiter. l. in re man
data. C. mandati, nam qui nõ est soluendo, & dis-
ponit de bonis, non potest dici disponere de bo-
nis proprijs, cũ nihil dicatur esse in bonis nostris
nisi quod deducto ere alieno superest. §. fi. inf. de
l. Falc. & licet libertati plurimũ debeamus, tñ per
hoc ius creditorum tolli nõ debet. l. 2. §. si quis à
principe, & §. merito. ff. ne quid in loco publico,
vel itin. fiat, & dr in fraudẽ creditorũ manumitte-
re, quotiescũq; eo tpe, quo manumittit, soluẽdo
nõ est, vel datis libertatib. desiturus est soluẽdo,
ad qđ tñ duo copulatiuè, vt fraus facta dicat, req-
3 runt, animus. s. fraudandi, & euentus damni. § in
fraudem, hoc tit. & l. 1. C. qui manumit. non poss.
Nec. n. satis est bona debitoris creditoribus non
sufficere, nisi fraudandi cõsilium accesserit, cum
sæpe de facultatibus suis, amplius quàm in ipsis
est sperent homines, quod frequẽter accidit his,
qui trãsmarinas negociationes, & alijs regionib.
quam in quibus ipsi morantur per seruos, atque
libertos exercent. d. §. in fraudem, hoc tit. & l. in
fraudem. ff. qui, & à quib. manumiss. lib. nõ fiunt.
4 Fallit si Dominus seruum suum in testamẽto cũ
libertate hæredem instituat, nam tũc libertas cõ-
cessa tenet, etiam si soluendo nõ sit, & seruus ve-
lit, aut nolit cogitur esse hæres, & necessarius hę-
res dr. §. licet autem, hoc tit. & hoc inductum est
partim in fauorem creditorum, partim, & preci-
puè in fauorem debitoris. In fauorem creditorũ,
vt habere possint quos conuenire, & à quibus sa-
tisfieri possint, cum hæres satisfacere creditorib.
teneatur. l. fin. §. cum igitur. C. de iure deliber. in
fauorẽ debitoris, ne res hæreditariæ defuncti, sed
serui nomine vẽdantur, & sic ne iniuria defunctus
afficiatur. d. §. licet autem in fi. Ignominiosum. n.
valde apud veteres erat res defuncti publica prę-
conis voce vendi, vt Cic. in Orat. pro Publ. Quint.
demonstrat. Idẽ iuris est, si seruus simpliciter hę-
res instituatur absq. expressa libertatis mẽtione,
nã nihilominus liber erit ex prę sumpta testatoris
voluntate, cum non sit verisimile, eum quem hę-
redem sibi elegit, si pretermiserit libertatis datio-
nem, seruum remanere voluisse, & neminem sibi
hæredem fore, quod sine dubio procederet, cum
seruus absq. libertate hęres esse nõ possit. §. idẽ q.
iuris, & ibi glo hoc tit. Hinc argumentũ à verisi-
mili colligitur, quod ad plurima valet, & multum
vtile est, & primo ad coniecturandam mentẽ te-
statoris. l. cum auus. ff. de cõdit. & demonstr. l. cũ
acutissimi. C. de fideicom. & l. ex facto. §. si quis
autem. ff. ad Trebel. secundo ad cõiecturandã vo-
luntatẽ cõtrahentiũ. c. inspicimus de reg. iur. in 6.
& ibi Doct. notãt. tertio ad conuincendũ quẽ de
malitia, & delicto, c. Scribam, & c. Quia verisimi-
le, cum ibi notat per Abb. & Doct. de præsumpt.
6 Quarto ad transferendum onus probandi in
aduersarium. l. ex persona, & ibi glos. l. siue possi-
detis, & ibi Bald. & Doct. C. de probatio.

Quinto ad Corroborandam probationem mi-
norem numero. l. ob carmeo. §. fi. ff. de testib.

Sexto ad aggrauandã probationẽ, efficacior. n.
probatio requirit ab illo, qui vult probare id, qđ
non est verisimile. l. nõ est verisimile. ff. qđ metus
causa, propterea licẽt regulariter habẽti semiple-
nam probationẽ deferatur iuramentũ in supple-
mentũ probationis, iuxta ann. per Doct. in l. ad-
monẽdi. ff. de iureiur. attamen in re nõ verisimili
habenti semiplenã probationẽ pro se non deferẽ
iuramentum in supplementũ glo. & Bal. in d. l. nõ
est verisimile, hinc etiã emanat regula illa, qđ q.
vult cõsequens videtur etiã velle antecedens. l. le-
gatum, & l. ad rem nobilem cum ibi notatis per
glo. ff. de Procuratorib. c. quoniam de senten. ex-
com. lib. 6. Quod non est prę sumptio, vt quis velit
facere actum inualidum, & frustratorium. l. quo-
ties. ff. de reg. iur. Quod nũquam capienda est in-
terpretatio per quam impugnetur volũtas alicu-
ius. l. non ad ea. ff. de condi. & demonst. & similia.

Secundò manumittere non potest minor 20.
7 annis. §. eadem lege hoc tit. & l. 1. ff. de manumiss.
fragile. n. & infirmum huiusmodi ætatis est consi-
lium multorum insidijs expositum. Fallit si iustã
manumittendi causam habeat, quæ tñ apud con-
silium approbari, & vindicta postẽa etiam manu-
8 missio fieri debet. d. §. eadem lege, consilium cõ-
stabat Romæ ex quinque senatoribus, & totidem
equitibus (vt auctor est Vlpian. in Fragmen. tit. 1.
& Theoph. hic) & si causa semel fuerit approbata
siue vera, siue falsa amplius non retractatur. d. §.
eadem l. in fi. liberum. n. est dum examinatur cõ-
tradicere, sed examinata, & approbata nõ est am-
plius cõtradicendũ, præsertim cũ libertas semel
collata nõ retractetur, nisi ex magna causa. l. si ex
causa in fiscum l. seq. ff. de minorib. iustę autẽ ma-
numissionis causæ sunt, veluti si quis patrẽ, aut
matrẽ, filium, filiamve, aut fratres, vel sorores, aut
pedagogũ, nutricẽ, educatorẽ, alumnum, alum-
nam, vel collactaneum, qui eisdem mammis nu-
tritus

tritus sit, aut seruum procuratoris habēdi gratia, aut ancillam matrimonij habendi causa, dummō intra sex mēses in vxorem ducat, nisi iusta causa impediat, & seruus, qui manumittitur procuratoris habendi gratia, non minor decem, & septē annis manumittatur. d. §. eadem lege, item iusta manumissionis causa est, si seruus dominū à periculo vitæ, aut infamiæ liberauerit. l. iusta. ff. de manumiss. vindict. sed quomodo possit qs patrē, matrē, & cęteros manumittere, declarat glos. hic in verbo patrē. si si seruus, qui patrē etiam seruū habeat à domino liber factus, & hæres institutus sit. Secundo fallit in testamento, & vltima voluntate, tunc. n. minor si decimumseptimum annum
9 impleuit, & decimumoctauum attigit libertatem etiam seruo in testamēto dare potest. §. si. hoc tit. Imo hodie de iure nouissimo, auth. vt admonet hic gl. in verbo adimpleuerit, minor eo tempore, quo testari potest, quod est in 14. anno, libertatē
10 etiam seruis dare pot. §. 2. auth. vt sponsalitia Largitas nouel. 119. & hoc quidem optima ratione. Nam cui licet qđ plus est, debet etiā licere qđ est minus, c. cui licet de reg. iur. in 6. sed minori licet in 14. anno de omnib. bonis testari, ego seruis et libertatem dare licere debebit, cū hoc minus sit, q̃ de omnib. bonis disponere, preterea vna determinatio respiciēs plura determinabilia debet oia pariformiter determinare. l. iā hoc iure. ff. de vulgar. & pupil. sed minori in 14. anno data est facultas disponendi de omnib. bonis, inter quæ bona enumerantur etiam serui, ergo eodem modo de eis, sicut de alijs bonis disponere posse debet.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Vnde dicta sit lex Fusia Caninia.*
3 *Quomodo procedat argumentum à contractibus ad vltimas voluntates.*

DE LEGE FVSIA CANINIA tollenda. Titulus VII.

SVpradictum fuit olim per l. Aeliam Sentiam minorib. 20. annis prohibitum fuisse manumittere seruos, cuius dispositio multis modis limitata fuit per Imperatorem nostrum; Verū quia alia erat lex quæ vsque ad certum numerum tantum, manumissionem in testamento permittebat
1 libertatemq. valde, & multum restringebat, hanc Imperator noster tanquam inuidam, & libertatē impedientem omnino sustulit, & abrogauit, & de eius abrogatione in hoc tit. ptractat, concordatq. tit. in C. de l. Fusia Caninia tollenda, lex Fusia Caninia non à caene, vt falsò putat Accurs. nomē habet, sed ab auctorib. P. Fusio, & C. Caninio Gallo consulib. qui eam Augusti temporibus rogarunt, cuius legis sententiam refert Caius lib. 1. Instit. tit. 2. Vlpian. in fragmentis tit. 1. & Paul. lib. 4. sent. tit. vlt. eaq. talis erat. Habēs duos seruos, ambos poterat in testamento manumittere, sed si plures habebat, tunc à duobus vsque ad decem dimidiam partem tantum, a decem ad triginta, tertiam partem, à triginta vsque ad centum, quartā partem, à centum ad quingentos, quintam partē, nec plures vnquam ex quacunque grandi familia vltra centum in testamento manumitti poterat, hanc legem, vt libertatem impedietem de medio sustulit, & abrogauit Imper. hic, & in d. rubrica. C. de latin. libert. toll. ea ratione, quia valde inhumana videbatur, vt per eam morientib. adimeretur facultas, quæ viuentib. concessa erat, & sic plus tribui actibus inter viuos, quàm in vltima voluntate contra tex. in l. 1. C. de sacros. eccles. Ex quo glo. & Doct. hic notant, quod valet argumentum à contractib. ad vltimas voluntates. Intellige affirmatiuè, non negatiue, Veluti, hoc licet in contractibus ergo & in vltimis voluntatib. valet, tanquā argumentum de minori ad maius affirmatiue, sed si dicamus, hoc nō licet in cōtractibus, ergo nec in vltimis voluntatibus, non valet tanquā argumentū de minori ad maius negatiue, quod in iure nostro non est receptum, fauorabilior. n. & plenior est interpretatio vltimarum voluntatum, quam contractuum. l. in testamentis. ff. de reg. iur.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quæ sit secunda personarum diuisio.*
3 *Argumentum à contrarijs quomodo procedat.*

DE HIS QVI SVNT SVI, vel alieni iur. Titulus VIII.

In principio Tituli.

1 HActenus summam hominum diuisionem in liberos, & seruos accurate explicauit Imperator, nunc ad alteram diuisionem descendit, circa quod est aduertendum quod superior diuisio iuris gentiū est, sequens vero pro maiori parte iuris ciuilis, vel inuentione, vel reformatione, vt aduertit hic glos. 1. & cōcordat cum hac rub. Tit. in ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iur.

Quæ sit secunda personarum diuisio.

2 SEcunda personarum diuisio est, quòd quædam personæ sunt sui iuris, & quædam alieni iuris. §. 1. hoc Tit. & l. 1. ff. eodem.

Quæ sint personæ sui iuris.

PErsonæ sui iuris sunt illę, quę nullius potestati, nec parentum, nec dominorum subiectæ sunt, veluti omnes illi, qui liberi sunt, & parentes non habent, vel si habent ab eis emancipati sunt, & ex ijs, alij sunt sub tutela, vt impuberes, minores quatuordecim annorum. Alij sub cura,

vt puberes, maiores quatuordecim, & minores vigintiquinque. Alij nec sub tutela, nec sub cura, vt maiores 25. ann. De quibus omnibus habetur infra à tit. de tutel. vsque ad finem primi libri.

Quæ personæ alieni iuris dicantur.

ALieni iuris personæ dicuntur illæ, quæ vel dominis, vel parentibus subiectæ sunt, vt serui, qui in potestate dominorum sunt, & filijfamilias, qui parentum potestati subiacent. De ijs omnibus. §. & de personis, quæ sui iuris, & de personis, quæ alieni iuris sunt, dicturus Imperator, prius initium sumit ab his, quæ alieni iuris sunt, ea ratione, quia facilius cognitis istis, intelligi poterunt, quæ sui iuris sunt, cum contrariorum eadem sit ratio, & disciplina. Hinc argumentum illud à contrarijs colligitur, quo passim Iurisconsulti, & interpretes nostri vtuntur. Pro cuius perfecta cognitione sciendum est, quod contrariorum eadem est ratio, & disciplina, quo ad cognitionē, quia cognito vno ex contrarijs, & reliquum cognoscitur, vnde si cognouero quid sit virtus, facile vitium dispiciam, & cognita priuatione, cogno
3 scam habitum. l. decem. ff. de verb. oblig. Item, & quo ad potentiam, quia quicquid potest fieri in vno contrariorum, illud idem receptum est in altero, vt sicut consensu contrahimus, ita dissensu distrahimus. l. ab emptione. ff. de pact. Hinc relucet illud, quod quotidie dicitur, sicut operatur propositum in proposito, ita oppositū in opposito. Ang. & Ias. in §. plus autem. inst. de actio. Intellige nisi sit diuersa vtrobiq. ratio, nam vbi diuersa militat ratio, ibi etiam diuersa esse debet dispositio. Exempla afferunt Bal. & Cast. in l. lege 12. tab. C. de legit. hæred. Vbi dicunt, quod si statuto caueatur, vt soror non succedat fratri, non tamen in casu contrario videtur statutum disponere, vt frater non succedat sorori, quia non est par ratio, sed contraria conseruandæ, scilicet, agnationis.

SVMMARIVM.

1 *Qui sint in potestate dominorum.*
2 *Effectus dominicæ potestatis.*
3 *Nimia dominorum asperitas D. Pij constitutione coercetur.*
4 *Non sunt audiendæ vanæ populi voces.*
5 *Seruis de domino quærentibus non est credendum.*
6 *Hodie dominus in seruos moderatam correctionem tantum habet.*
7 *Ex causa cogitur dominus vendere rem propriam.*
8 *Diuites tempore famis cogi possunt, vt iusto pretio vendant frumentum.*
9 *Fugientes ad statuam Principis, vel ædes sacras, fiunt securi.*

§. In potestate, & §. Sed maior.

Qui dicantur esse in potestate dominorum.

1 SErui in potestate dominorum esse dicuntur, & hæc potestas iuris gentium est, nam ab omnibus per æquè gentibus constat hanc potestatē recepta esse. §. in potestate, hoc tit. & l. 1. ff. eodē. Reperio tamen quod Plin. lib. 6. c. 22. testatur in Taprobane insula nemini seruos fuisse, sic apud Locros, & apud Phocenses seruos habere lege vetitum erat, vt legitur apud Athenæum. lib. 6. cap. 7. ex quo obseruandum erit dictionem Omnes, aut aliam quamlibet, vel generalem, vel vniuersalem, ex subiecta materia coarctari, ne omnia in vniuersum comprehendat.

Qui sint effectus dominicæ potestatis.

2 EFfectus dominicæ potestatis varij, & multi recensentur per Doct. hic. Primus est, quòd seruus quicquid acquirit, acquirit domino, etiā inuito, & ignoranti. d. §. in potestate hoc tit. & §. item nobis infra per quas pers. nob. acquir. intellige, dummodo licitè acquirat, nam iniustè quæsita domino nō acquiruntur. l. quod seruus. ff. de acquir. possess. Secūdò, seruus aduersus dominū nec torqueri, nec interrogari potest. l. seruos. C. de quæst. excepto crimine adulterij. l. nō solum. C. ad l. Iul. de adult. crimine fraudati Census, & annonæ, vel falsæ monetæ. l. vix. ff. de iudic. & crimine læsæ maiestatis. l. fin. C. ad leg. Iul. maiest. & l. 1. C. de quæst. Tertiò, seruus dominū in ius vocare non potest, nisi quæstio sit de his, quæ ad statum, & libertatem serui pertinent. d. l. vix. ff. de iudic. Quartò, olim dominus habebat ius vitæ, & necis in seruos, ad eo quod impunè etiam eos occidere poterat. At hodie nullis hominibus, qui sub Imperio Romano sunt, licet supra modum, & sine causa legibus cognita in seruos suos sæuire: exceptis casibus notatis per glo. hic in verbo cognita, vltra quos, si quis proprium seruū occiderit, non minus punitur secundum D. Pij constitutionem, quàm si alienum seruum interfecisset, el §. in potestate hoc tit. & l. 1. in fi. ff. eod. Dura. n. nimis, vel ipsis dijs semper visa fuit, nimia dominorum in seruos sæuitia. Nam Iuppiter ipse Annio cuidam per somnium imperasse fertur, vt senatui nunciaret, non sibi placuisse Atronij Maximi factum, qui seruum suum verberatum patibuloq. affixum ante spectaculi commissionem per circum egerat, quod cum resciuisset senatus supplicium de crudeli domino sumi iussit, & ad propitiandum Iouem ludis illis Circensibus diem addidit Macrob. Satur. lib. 1. c. 2. Vlp. in l. 2. ff. eod. refert Vmbriciā matronam ab Hadriano in quinquennium relegatam fuisse, ex quo lenissimis de causis ancillas suas atrocissime tractauerat, & nō solum domini, qui immaniter sæuientes seruos occidunt, sed etiam qui duriores, & asperiores sunt, quàm æquum est, ex eiusdem D. Pij constitutione coercentur. §. sed & maior, hoc tit. Huius
3 constitutionis occasionē prębuit Iulius Sabinus, qui cum in seruos crudelis admodū esset, & ipsi

tam

tam grauem immanitatem diutius ferre non possent, relicto domino, ad Principum statuas confugerunt Aeliani, Martiano Proconsule eius Prouinciæ illac transeunte, eius auxilium inuocarũt. Is qui legem in hoc nullam habebat, more solito Principem rei veritate ad eum fideliter perlata, consuluit. Cui Imperator Antoninus in hæc verba rescripsit. Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, nec cuiquã hominum ius suum detrahi, sed & dominorum interest, ne auxilium cõtra sæuitiam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur ijs, qui iuste deprecantur, ideoq. cognosce de querelis eorum, qui ex familia Iulij Sabini ad sacram statuã confugerunt, & si vel durius habitos, quàm æquũ est, vel infami iniuria adfectos esse cognoueris, venire iube, ita vt in potestatem domini non reuertantur, quod si meæ cõstitutioni fraudem fecerit, sciat me hoc admissum aduersus se seuerius exequuturum, dicit dominorum potestatem in seruos illibatam esse oportere, nec cuiquam ius suum detrahi, quia neque iustum, neque legibus cõsentaneum est, inuitis dominis seruos in libertatẽ eripi, propterea Hadrianus Imper. populo volenti aurigam, qui in Circo placuerat liberum fieri, noluit consentire, ne domino fieret iniuria Dion. & Spartia. in Hadri. à quo non abhorrens D. Marcus, ex acclamatione populi seruos manumitti vetuit. l. si priuatus. ff. qui, & à quibus, & alibi vanas populi voces non esse audiendas le-
4 gislator scriptum reliquit. l. decurionum. C. de pœnis. c. 2. de elect. & si aliquando publica causa suadente, aut alia iusta ratione, lex, vel Princeps, ius alterius imminuit, eodem tramite rerum pretiũ persolui iubet. l. venditor. §. si cõstat. ff. commun. præd. dicit, sed & dominorum interest. Qualiter intersit dominorũ ne auxilium seruis denegetur, declarat Theophilus. s. ne serui durissima seruitute oppressi, & atrocitate desperata huiusmodi iugi liberatione in ipsos dominos aliquid machinẽtur, aut manus sibi inferant, aut fuga arrepta pretium sui domino auferant, & certe clades multas, ac perniciosas à seruis fabricatas fuisse legimus, dum iugum à ceruice excutere aggressi sunt. Illæ potissimum insignes fuit, quæ Herodonio Sabino duce, illatæ fuerũt, de quibus Liuius lib. 4. nec non illæ dum capta fuerunt castra Manilij Lentuli Pisonis, seruorum tumultu, & acie, vt narrat Plutar. in Crasso, Orosius lib. 5. cap. 8. & D. Aug. lib. 3. de Ciuit. Dei cap. 26. aliam seruorum rebellionem duce Athemone pastore seruo, in dominos, qua exercitus Seruilij, & Luculli trucidatus fuit superiores authores narrant. Extat etiam memoria alterius rebellionis seruorũ, Duce Sparthaco in liberos, qua Campania tota, & ferè omnis Italia direpta fuit, vt docet Orosius lib. 5. cap. 25. Eutrop. lib. 6. cap. 2. & Appian. lib. 1. bellorum ciuilium, dicit, cognosce, quia seruis de dominis
5 querentibus non est credendum, cum genuinum quoddam odium seruis in dominos insitum esse videatur. Sene. epist. 47. Subdit, venire iube bonis cõditionibus. Ne dominus interim seruo infensior graues venditioni conditiones apponat, addit, ita vt in potestatem Domini non reuertatur, quia hæc conditio in venditione apponi debet, ne vnquam in potestatem Domini reuertantur.
6 Hodie igitur restat Dominis moderata tantum correctio, & potestas quædam in seruos. l. vnica. C. de emendat. seru. & hoc ne dominica potestas omnino inanis reddatur, si nec modicam correctionem haberent, cũ præsertim totidem hostes, vt est in prouerbio nobis esse soleant, quot serui Macrob. lib. 1. Saturn. c. 11. Hinc colligunt Doct. ꝙ succurrendum est non iniqua postulantibus. l. Attilicinius. ff. de seruit. rusti. prædior. & iusta petentibus nõ est denegandus assensus l. iustum. C. de eden. Quòd licet nemo inuitus cogatur vendere rem suam, iuxta l. nec emere. C. de iure deli-
7 ber. tamen subsistente aliqua causa cogi potest, vt hic in tex. nostro, sicut & tempore famis diui-
8 tes cogi possunt, vt iusto pretio vendant frumentum secundum Bald. & alios in l. 1. C. de episcop. audien. Item ꝙ qui ad statuam Principis cõfugit, sit securus, adeo ꝙ inde extrahi nõ potest, id qđ & multo magis locũ habet in fugientib. ad ædes
9 sacras. § sed neque auth. de mand. Princ. qui mos originẽ traxit à Moyse, qui post reditum in trib. ciuitarib. ab ipso conditis ædes cõstituit ad quas, qui non ex proposito hominem occidissent confugientes tuti erant, nec inde extrahi poterant, vt legitur apud Ioseph. lib. 4. Nepotes Herculis post quam ipse è terris migrauit, eos forte timentes, quos auus vexauerat, Athenis misericordiæ templum collocarũt, vt esset eis asylum, à quo nemo per vim extrahi poterat. Vt Seru. in 2. & 8. Aenei. tradidit eum Statij locum citans 11. Thebaid.

Fama est defessos acie post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium.

Quod & Romulum fecisse Romæ authores sunt. Liu. lib. 1. ab vrbe condita, & Dionys. Alicar. lib. 2. antiq. Rom. de quo meminit. Virg. lib. 8. Aeneid.

Huic locum ingẽtem, quem Romulus acer asylũ
Retulit, & gelida monstrat sub rupe Lupercal.

Et Ouid. 4. Fastorum.

Romulus, vt saxo locum circumdedit alto
Quilibet huc inquit, confuge, tutus eris.

Apud Athenienses, Thesei sepulchrum seruis, & ijs, qui potentiores metuebant Asyli loco fuit, quemadmodũ Plutarchus in Theseo scribit apud Lacedemonios Palladis templum tãtæ dignationis fuit, vt pecunia indicati, & nocentes quicunque etiam capite damnati, qui ad illud confugissent pecunia, noxaq. soluerẽtur. Pausanias in Atticis existimat non ob aliam causam Syllam in diram incidisse calamitatem, quàm quòd Aristonem, qui in Mineruæ templum confugerat, vi extractũ interfici iussisset. Idem Pausanias in Achaicis Helices vrbis excidium cõmemorans multa

exempla

exempla tradit, quibus apparet implacabilem omnino fuisse numinū iram ob violata Deorum templa, quo loci etiam refert Dodonæi Iouis oraculum Atheniensibus redditum.

Ara tibi Eumenidum fumans, & curia martis
Sint cordi, hinc bello domiti, nam forte lacones
Suppliciter tristes venient, tu prouce tela
Supplicibus parcens diuum quos iura tuentur.

Traditum est etiam Orestem, matre occisa, cum à tribus furijs infestaretur in templum Apollinis confugisse, nec ausas ingredi Eumenidas, sed expectasse, dum exiret. Hinc Verg. lib. 4. Aeneid.

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes
Armatum facibus matrem, & serpentibus atris
Cum fugit, vltricesq. sedent in limine diræ.

Si igitur veteres falsis, ac vanis suorum deorum seducti superstitionibus, eorum simulacra adeò sacrosancta habuerunt, vt ad ea se recipientes ab omni iniuria tutos, atque immunes, tamdiu esse voluerint, quamdiu eas ædes, ac templa haberent receptacula arctiori multo, & fortiori ratione tenemur nos honorem debitum sacris domibus, & locis exhibere. Hac de causa statuerunt Imperatores, quòd ad aras, vel ędes sacras confugientes tuti sint. §. sed neque auth. de mandat. princip. id quod voluerunt summ. Pont. procedere quamuis gratia maleficia perpetrauerint, quicquid sit de iure ciuili, cap. inter alia, & ibi Abb. nu. 24. de immunit. eccles. Verum cum Ecclesijs immunitas data non sit, vt sint asyli delinquentium, & speluncæ latronum, sed vt præstēt refugium miseris, qui humana fragilitate, aut casu in aliquod crimē inciderūt, ideo quædam crimina excepta sunt, quæ qui patrauerint, tametsi ad templum accedentes impunitate non donantur, qualia sunt sacrilegiū, proditorium, homicidium, blasphemia, publicū latrocinium, nocturna depopulatio, delictum in Ecclesia commissum, frustra. n. tunc, vt dicit sum. Pont. in c. fi. de immunitate eccles. legis auxilium inuocat, qui in legem committit. Et alia id genus de quibus, & alijs ad hanc materiam pertinentibus, dicam in meis Canonicis quæstionibus.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Patria potestas quid.*
3 *Mater ius patriæ potestatis non habet.*
4 *Roma communis patria dicitur.*
5 *Nati extra matrimonium in potestate patris non sunt.*
6 *Ex paterno, & non materno genere deducitur nomen, & nobilitas, & quare? & ob quam causam.*
7 *Pater olim habebat ius vitæ, & necis in filios, hodie non.*
8 *Propter necessitatem famis filius per patrem vendi, vel pignori tradi potest.*
9 *Nulla lis inter patrem, et filium consistere potest.*
10 *Nec patrem, nec matrem, sine venia, filius in ius vocare potest.*
11 *Quod peculium patri acquirat filius.*
12 *Nec mortis causa donare filius sine consensu patris, nec ex mutuo obligari, nec in iudicio stare potest.*
13 *Quare Duces Venetiarum crucem in fronte gestare soleant.*

DE PATRIA POTESTATE.
Titulus IX.

1 Dictum est supra de Potestate, q̄ habent dñi in seruos, nunc succedit de Potestate, quā habent parentes in filios, & habet hic Tit. concordantem Rubricam in C. de Patria potestate.

Quid sit Patria potestas.

2 Patria potestas est ius à populo Romano introductum per quod filij, & filiæ, cæterique descendētes per lineam masculinam ex legitimo matrimonio nati, vel legitimati, aut adoptati suis parentibus, & ascendentibus paternis subijciunt, quoad certos effectus. §. 1. & toto hoc tit. nostro.

Dicitur in primis, Patria potestas, quia solummodo patres hoc ius in liberos habent non matres, & licet ęqualis reuerentia debeatur tām patri, quàm matri, secundum text. in l. parentes de
3 in ius vocando, tamen fœminæ hanc potestatē, quam ius ciuile introduxit non habent. §. fęminę infra de adoptionibus. Dicitur ius à pepulo Romano introductum, quia hoc ius proprium est ciuium Romanorum, & non omnibus hominibus, sed solum ciuibus Romanis, hoc est illis, qui sub Imperio Romano sunt cōpetit. §. ius autem, hoc tit. & ibi glos. in verbo Romanoru, solebant olim Romani principio nascentis Vrbis vicinos populos in ciuitatem admittere, ex quibus Latini antiquissimi socij fuerunt, qui iure ciuitatis Romanę donati sunt, deinde alij Prouinciales iure veteris Latij ciuitate donari cęperunt, vnde iure Italico donari dicebātur. l. 1. ff. de censibus, qua ratione Italos omnes, Strabo scribit lib. Geogra. 5. Romanos appellatos fuisse. Demum Antonius Imperator, qui ex pietate cognomētum Pij meruit, hoc ipsum omnibus, in cōmmune subditis, lege lata, donauit, constituens, vt quicunque Romano Imperio subiecti forent, Romani ciues essent, & haberētur. l. in orbe. ff. de statu hom. quod eo pertinet, vt magistratus creari, & honores in ciuitate adipisci possent, nec non legitimas hęreditates adire testamenta facere, liberos in potestate habere, & similia, hac de causa Romam
4 communem patriam esse, dicit Modestinus iuris. C. in l. Roma. ff. ad municip. Alci. lib. 2. dispunct. c. 21. Dicitur filij, & filiæ nati ex legitimo matrimonio, quia nati ex damnato coitu, & extra ma-
5 trimonium non sunt in potestate nostra. l. 3. ff. de his, q̄ sunt sui, vel alien. iur. l. lex naturæ. ff. de statu homin. Dixi, vel legitimati, aut adoptati. Legitimati,

mati, quia quamuis aliquis non ſit natus ex iuſtis nuptijs, ſi tamen legitimetur deuenit in poſtatem patris. §.fi.inf.de nupt.adoptati, nam licet aliquis non ſit filius, ſi tamen vt filius adoptetur efficitur in poteſtare illius, qui adoptat. §.1.inf. de adopt. vbi dicam, & leg.5.ff.de his, qui sũt ſui, vel alien.iur. & ſic tres ſunt cauſæ patriæ poteſtatis, iuſtæ nuptiæ, legitimatio, & adoptio, gloſ. in l. 3.ff.de his, qui ſunt ſui, vel alien.iur.dixi, & cęteri deſcendentes, quoniam non ſolum filij, & filiæ, ſed etiã nepotes, & pronepotes in poteſtate noſtra ſunt. §.fin.hoc tit. & l.4.ff.de his, qui ſunt ſui, vel alien.iur.dixi, deſcendentes ex linea maſculina, quia qui deſcendunt ex fœminina non ſunt in poteſtate noſtra, ſed patris eorum. d.§.fi.in fine. Ratio eſt, quia filij quo ad familiam ſequuntur patrem, & non matrem. l.cum legitimæ. ff.de ſtatu homin. ex paternoq. genere, & non materno
6 deducitur nomen, & nobilitas. l.exemplo. C.de decurion.lib.10. & l.familiæ. §.fi.ff.de verb.ſignif. Huius rei cauſam refert Coraſ.lib.1.Miſcell.c.15. Emanante in Athenarum arce aquarum ſcaturigine, eodemq. fortè loco enata oliua arbore, à Cecrope Rege miſſi fuerunt homines Apollinis oraculũ ſciſcitaturi, vt ſi quid illo oſtento dij minitarentur, rationem ediſcerent; quibus reſponſum eſt, non ad alicuius calamitatis ſignificationem factum oſtẽtum, ſed deorum duorum inter ſe certantium, vter eorum Athenis nomen imponeret, & per vndam Neptunum, per Oleam Mineruam ſignificari. Quare liberum, & integrum eſſe Athenienſibus vtrius Dei nomine nuncupandam vellent ciuitatem decernere. Quæ cum à Legatis Cecropi renunciata eſſent, & mares, & fœminas (nam tum & mulieres publicis cõſultationibus intererant) ad ferenda ſuper hoc ſuffragia conuocauit. Maribus igitur pro Neptuno, Fęminis pro Minerua in ſuffragia euntibus, fœminæ cum plures eſſent, quia fœminarum vna plus inuẽta eſt vicerunt, & quod vſu venire videmus vicit meliorem partem numeroſior, ſicq. Mineruę nomine ciuitas Athenas nũcupata fuit Minerua, Græcis Athena dicitur, qua de re indignatũ Neptunum, tantam aquarum vim effudiſſe fertur, vt Athenienſium terram omnẽ occuparit maris facies, quem vt placarent triplici ſupplicio mulieres affectæ fuerũt. Primum, vt ne quis Atheneas eas vocaret. Alterum, vt nulla fœminarum poſt hac ferret ſuffragia. Tertium, vt nullus naſcentiũ materno nomine cenſeretur. Caunij, vt Herodotus tradit lib.1. qui Clio inſcribitur, necnon, & Licij, Cęlio authore, à matribus, & auijs nomina accipiebant, & genus ſuũ repetebant. dixi, ſubijciuntur patri, vel aſcendentib. paternis, quia donec viuit auus, vel proauus, nepos in eorũ eſt poteſtate, & non patris. l.5.ff.de his, qui ſunt ſui, vel alien.iur. & §.1.inf. Quib.mod.ius patr.pot.ſoluit. dixi, quoad certos effectus; ideo de his videamus.

Qui ſint effectus Patriæ poteſtatis.

7 Primus effectus Patriæ poteſtatis eſt, quòd olim pater ius habebat vitæ, & necis in filios, docet hoc Paulus I.C. in l.in ſuis.ff.de liber. & poſthum. Sic apud Aegyptios nulla alia pœna patribus filios occidentib. conſtituta erat, quam quod trib. diebus totidemq. noctibus circa cadauer interempti aſſiſterent, minime enim iuſtum putabant ob interfectum filium vita priuari eum, qui eius vitæ author fuiſſet, ſed dolore, & pœnitentia facti affligendum eſſe, vt ſcribit Diodorus Siculus, lib. 2. Biblioth. eamq. ſufficientem pœnam putarunt, nam (vt ait Euripides) in ſupplicib. Actu.5. verſic. 128. nullum cruciabilius malum inueneri poteſt, quàm filium mortuum conſpicere. Sic legimus Cardianos, vt ſupplicio acerrimo afficerent Miltontem Thracem, amicum Athenienſium, proditum Caudemo cum filio, primum filium ante patris oculos in naui iugulaſſe, & è naui in pelagus proieciſſe, vt ſcribit Demoſthenes contra Ariſtocratem. Fertur etiam Strateſicleam Spartiatam mulierem cum filio captam tortores rogaſſe, vt prior filio necaretur, ſed vt crudelius vexaretur non obtinuiſſe, Plutarcho teſte, & apud Vergiliũ Priamus increpat Neoptolenum, non de cæde filij, ſed quod ante patris occidiſſet oculos, vt animaduertit Sextus Victor lib.1. variar.lect.cap.8. Sed cum id nimis acerbum videretur, nimiſq. ferina, & vltra ferarum humanitatem parentibus licentia data eſſet, Romani varijs legibus immodicam illam poteſtatẽ coercuerunt. l.vlt.C.de Pat. pot. etenim Patria poteſtas in pietate debet, non in atrocitate conſiſtere, vt dicitur in l.5.ff.ad l. Pomp.de parricid. Propterea hodie non licet patri, filium, quamuis improbum occidere, ſed decenter tantummodo caſtigare. l.vnica. C.de emẽdat.propin. vel accuſare apud competentem magiſtratum. l.2.ff.ad l.Corn.de ſycar. eiq. puniendũ offerre, ita vt magiſtratus paterni deſiderij in pęna infligenda rationem habeat. l.3.C.de Patr.poteſt. Qua in re humanum erit ſequi D.Pij exemplum, cuius meminit I.C. in l.milites agrum. §.fi. ff.de milit. Is deſertorẽ qui à patre oblatus fuerat, in deteriorem militiam dari iuſſit, ne videretur pater ad ſupplicium filiũ obtuliſſe. Sic Ionatas ſententia patris Saulis cõdemnatus à populo pęna immunis fuit reg.1.c.14. Rhaco cum haberet filium quendam infandum delictis, nomine Cartonem, comprehenſum, manibus in terga reuinctis, iudicibus puniendum obtulit, at illi rei nouitate conſternati, vtrunque ad Regem Perſarum Artaxerſem adduxerunt, qui cognita conſtantia patris perſeuerantis in filij peccati vindictam, filium liberauit, & Rhaconem in ſuorum iudicum numerum cooptauit, vt refert Aelianus lib.1.de var.hiſt. Quid igitur de illis parentibus ſentiendũ erit, qui plus æquo duri proprios filios negligũt, & immoderata auſteritate exoſos habent? Nihil certe grauius habuit Aeſchines, quod exprobaret Demoſtheni, quàm quòd ſtatim poſt filij mortẽ, candida veſte indutus, luctũ neglexiſſet, adijciẽs eum, qui filios odit deſerit, aut contemnit, neque

ptobum

probum esse, neque bonum populi gubernato-
rem futurum, Aeschines in Orat. contra Cthesi-
phontem,& Demosthenem, inter ferasq. potius,
quam inter homines censeri debent, qui in pro-
priam sobolem sine causa sęuiunt quos dominus
Iob ca.39. Struthioni aui comparat, quæ derelin-
quit oua sua in terra,& obliuiscitur, q; pes con-
culcet ea,& bestia agri conterat. Duratur, inquit,
ad filios suos quasi nō sint sui priuauit eā Deus
sapientia, nec dedit illi intelligentiam, refert Sen.
lib. de Clem. cap. 14. equitem Romanum in foro
graphijs à populo confossum fuisse, quia filiū fla-
gellis occiderat. Secundò, pater filium vendere,
vel pignori tradere pōt, non indistincte (vt olim
8 permissum erat) sed tantum propter vrgentem
necessitatem famis, ita vt postea oblato pretio,
vel æque bono mancipio emens teneatur illum
restituere pristinę libertati. l. 2. C. de patribus, qui
filios distrax. & pater ad pinguiorem fortunam
deueniens compelli potest, vt filium liberet, se-
cundum Bald. in cap. ex rescripto de iureiur. Idq.
solum in patre locū habet non in matre, nec auo,
licet nepos in aui potestate sit, ita Doct. in d. l. 2.
maximus certe est dolor famis, vt inquit Menan-
der,& miserrimum fame mori. Eusebius lib. 9. hi-
stor. ecclesiast. cap. 8. refert tempore Maximiani
Imperatoris multos parentes filios suos vendi-
disse, & Erisichthon cum præ fame patrias atte-
nuassęt opes, tandem & filiam vendidit, de qua
Ouid. lib. 8. Metamorph.

—— & tandem demisso in viscera censu
Filia restabat non illo digna parente,
Hanc quoque vendit inops.

Tertio inter patrem,& filium ciuilis obligatio in-
tercedere nō potest. §. inutilis inf. de inutil. stipul.
& ratio est, quia cum pater,& filius vna,& eadem
persona fictione iuris censeantur, iuxta tex. in l.
fi. C. de impuber. & alijs substit. si oriretur inter
eos ciuilis obligatio, pater sibi ipsi obligaretur,
cū quicquid acquirit filius, acquirat patri. tot. tit.
infra per quas personas nobis acquiritur, quod
valde absurdum esset, cū sibi ipsi nemo obligari
possit. l. 2. ff. de stipulat. seruo. & actio,& passio in
eodem subiecto nō concurrant, sic nec lis aliqua
consequenter inter patrem,& filium esse potest.
9 l. lis nulla. ff. de iudic. pręterquam in Castrensi pe-
culio, vel quasi,& nonnullis alijs casibus, de qui-
bus glo. in d. l. lis nulla. Veluti cum filius alimen-
ta petit. l. si quis à liberis. ff. de liber. & posthum.
vel filia dotem. l. qui liberos. ff. de ritu nupt. vel cū
filius allegat patrem restituere grauatum fidei-
commissi bona dissipare. l. Imper. ff. ad Senatusc.
Trebell. Quartò, filius patrem in ius sine venia
vocare non potest. l. fi. ff. & C. de in ius vocando;
10 iste non est proprius effectus patriæ potestatis,
quia nec emancipatus hoc potest, nec mater vo-
cari potest, quæ filios in potestate non habet. l. fi.
C. de in ius vocando. Quintò, quicquid acquirit
filius, excepto Castrensi peculio, vel quasi acqui-
rit patri. l. cum oportet. C. de bonis quæ liberis,&
quidem totum secundū veteres leges vndecunq;
ad filium res peruenissent, sed hodie ita demum
si ex bonis patris, aut eius occasione obueniāt,
nam aduentitij peculij proprietas apud filium re-
manet solo rerum vsufructu patri delato d. l. cum
oportet. §. 1. Sciendum est, quod peculium aliud
est castrense, aliud quasi castrense, aliud profecti-
tium,& aliud aduentitium, ita glo. in d. l. cū opor-
tet, Castrensia sunt quæ filius acquirit in castris,
vel quæ ei in militia degenti donata sunt. l. 1. C.
de Castrensi peculio lib. 12. quasi castrensia dicū-
tur, quę filius acquirit occasione militię inermis,
siue literariæ. l. vlt. C. de inoffic. testam. Et illa fi-
lius in totum sibi acquirit tàm quoad proprieta-
tem, quàm vsumfructum, ita quod de ipsis ad li-
bitum disponere potest. d. l. fi. C. de inoffi. testam.
Aduentitia dicūtur, quæ filius acquirit ex succes-
sione matris, vel extranei, vel q̄ liberalitate Dei,
aut laboribus suis adeptus est,& hęc patri acqui-
runtur quoad vsumfructum tantum, non quoad
11 proprietatem. d. l. cum oportet. Profectitia dicun-
tur ea, quæ à patre, vel ex substātia, aut rebus pa-
ternis proficiscuntur, aut eius occasione quæsita
sunt,& hæc patri,& quoad vsumfructū,& quoad
proprietatem acquiruntur. §. 1. inf. per quas per-
son. nob. acquiritur. Sextò, filius mortis causa do
nare non potest absque consensu patris. l. tam is.
§. 1. & ibi glo. ff. de donat. causa mort. testamen-
tum verò, nec consentiente quidem patre, facere
potest, nisi de castrensi, vel quasi castrensi pecu-
lio, in quibus pro patrefamil. habetur. l. pen. & fi.
C. qui testam. facere poss. Septimò, filiusfamilias
ex mutuo obligari non potest. l. 1. ff. ad Senatusc.
Maced. nec ex pollicitatione,& voto Reip. facto.
12 l. 2. §. voto. ff. de pollicit. Alciat. lib. 4. Parad. c. 2.
Octauò, pater filiū, q ab alio inuitus detinetur,
petere,& vēdicare pōt interdicto de liber. exhib.
tot. tit. ff. de liberis exhib.& l. 1. ff. de rei vendicat.
Nonò, licet hæreditas non agnita, non transmit-
tatur. l. vnica. §. in nouissimo. C. de caduc. tollen.
tamen patria potestas efficit, vt hæreditatem in-
fanti delatam, nec dum aditam, pater nancisca-
tur. l. si infanti. C. de iure deliber. Decimò, filius-
familias non potest esse in iudicio cōtra aliū sine
licentia patris. l. fi. §. 1. C. de bonis quæ liberis, qđ
verum est in causa ciuili, secus in criminali, quia
cum agatur de publico interesse potest. l. inter li-
beras. §. filiusfamilias. ff. ad l. Iul. de adult. in ijs. n.
quæ sunt publici iuris nō curatur patria potestas,
propterea patrem nolentem restituere hęredita-
tem filiofamilias, Iudex cogere potest. l. nam qđ.
ff. ad Senatusc. Trebell. Extra vero publicas cau-
sas inter filium magistratum,& patrem priuatum
publicos honores cessare dicit, Taurus Philoso-
phus apud Gell. lib. 2. noct. Atticar. c. 2. vbi refert,
quid in huiusmodi negotijs, & patris, & filij offi-
cio cōueniat ex claud. annal. lib. 6. eius verba sunt
hæc. Facti sunt Consules Sempronius Gracchus
iterū, & Q. Fabius Maximus, filius eius, qui præ-
cedenti anno Consul erat,& Consuli, pater Pro-

consul

consul obuiam factus in equo vehens venit, neque descendere voluit, qui pater erat, neq; lictores ausi sunt descendere iubere, tum Consul ait, descendere iube, quod postquam lictor intellexit Maximum Proconsulem descēdere iussit, Fabius imperio paret, & filium collaudat, eo quod imperium, quod populi esset retineret, sed magis laudandus est Laurus Celsus nobilis Venetus, qui Dux creatus, patre superstite, cum patrem obuiā non haberet, eo quod iniquo ferret animo, se ita filio occurrere debere, vt eum nudato capite salutare cogeretur, pileo suo in fronte crucem an-
12 ream figendam curauit, vt crucis vexillo, si non filij dignitati reuerentiam exhibere videretur, id quod pater pacato animo accepit, & reliqui Duces in hunc vsq; diē retinēt, teste Aegnat. de exēplis illustriū virorū, Reipubl. Venetæ. lib. 5. cap. 7. de parentum amore, & indulgentia in liberos.

Deest hoc in loco Titulus de Nuptijs, qui impressus separatim legitur, & in eo tota matrimonialis materia continetur.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Adoptionis antiquissima est origo.*
3 *Adoptio quid.*
4 *Liberorum species plures sunt.*

DE ADOPTIONIBVS. Titulus XI.

1 CONtinuatur Titulus noster ad præcedentes hoc pacto supra in tit. de Patr. potest. dictū fuit, quod tres sunt causæ patriæ potestatis. Iustæ s. Nuptiæ, Legitimatio, & Adoptio, quarum duæ priores cum in præcedenti Titulo explicatæ sint, subijcit nunc Imperator tertiam, & sic incipit Titulus de Adopt. qui habet concordantes Titulos in ff. & C. de Adopt. & extra de cognat. legal.

Quæ sit adoptionis origo.

2 ADoptionis originem, & vsum, vel ex eo vetustissimum esse constat, quòd à filia Pharaonis Mosem adoptatum fuisse sacræ testantur literæ Exod. cap. 2. Theseum item fortissimum illum Athenarum Regem, Herculeç virtutis æmulum ab Aegeo adoptatum legimus, taleq. in alienam familiam transitum, magna ratione veteres induxerunt ad leniendum nempè dolorem, & in solatium eorum, qui nullū, aut sterile matrimonium experti liberos non habebant, aut quos habuerunt infelicitate fortunæ amisetant, vel habebāt, sed degeneres, & improbos, aut debiles malaq. valetudine affectos, & hoc ne familiarum dignitas naturalis sobolis penuria periret; sicq. lex benigna mater defectum naturæ supplens sterilitati, & mortalitati deficientium familiarum, medetur. Hac ratione Aphricanus maior cum filiū haberet minus benè valentem, & gignēdis liberis parum idoneum, Pauli Aemilij filium adoptauit, q. postmodum ob deletam fœliciter Carthaginē, Aphricanus minor dictus fuit. Sic Augustū à Iulio Cæsare, Tyberium ab Augusto, Traianū à Nerua, Aelium Adrianum a Traiano, ab Adriano Antoninū, & à Iustino Iustinianū adoptatos legimus; tamq. necessarius visus fuit sapientibus hic adsciscendi liberos modus, vt Plato constituerit lib. 9. de legibus, plures masculos filios habentē teneri omnes præter vnū, quem sibi retineret ciuibus, qui non haberent, & id postulantibus tradere.

Quid sit Adoptio.

3 ADoptio nil aliud est, quàm gratuita quædam electio alicuius in filium, vel secundū Theoph. & Aldobrand. hic nu. 21. quibus conuenit glo. in verbo Adoptio. est actus ad eorum, qui liberos non habent, solatium inuentus, per quem authoritate iuris ciuilis, qui filius non est ad similitudinem naturæ filius efficitur, qua in re quod plerunque fit significatur, nam & qui liberos habent adoptare quoq; possunt, licet vix eueniat, & difficulter concedatur. l. nec ei. §. præterea. ff. eod. hinc glosa plures liberorum species refert. Alij enim sunt Legitimi, & Naturales, qui. s. ex legitimo, & vero matrimonio nati sunt, vel etiam ex putatiuo data ignorantia alterius coniugum. cap. ex tenore extra qui filij sint legit.

Secundo, alij sunt naturales tantum, qui. s. ex concubina soluto, & soluta domiq. retenta, & loco vxoris tradita cap. liberi. 32. q. 4. gl. in cap. nisi de renunc. nati sunt, dicunturque naturales, quia secundum naturam geniti sunt, nec eis ius ciuile liquo modo aduersatur, vt not. in rub. ff. & C. de aconcub. & in auth. licet. C. de natural. liber. Item naturales etiā lata significatione sunt, qui ex cōcubina soluto, & soluta etiam domi non retenta nascuntur, quos pleriq. Nothos appellāt eo quod non adeo custodita matre, nec quæ loco vxoris haberetur nati sint. Alciat. lib. 4. parerg. iur. cap. 5. & sic ad differentiam eorum, qui patribus incerti sunt de quibus infra.

Tertio igitur alij sunt spurij, seu vulgo quæsiti, qui & Manzeres dicuntur Exodi c. 23. & hi sunt, qui ex publica meretrice, & incerto semine nascuntur, patremquè demonstrare non possunt. l. vulgo quæsiti. ff. de statu hom. hos Seneca in controuersijs publicos pueros appellat, vel à Græca voce Poradpsi, quod sparsim concepti sint, vnde non illepide Diogenes ad spurium in turbam populi lapides iactātem iocando dixit. Caue ne patrem ferias, Laert. in Diog. vel quod sint sine patre, apud Romanos. n. qui sine patre erant literis S.P. designabantur, atque inde factū fuit, vt spurij dicerētur, qui incerto patre nati essent, quasi sine patre filij, Plutarchus in problem. c. 103. Budæus in l. vulgò quæsiti. ff. de statu homin.

Quarto

Quarto alij sunt nati ex coitu etiam à iure ciuili expressè damnato, quorum alij sunt incestuosi, qui ex Collateralibus in gradu prohibito nascuntur, alij nefarij, qui ex ascendentibus, & descendentibus, alij adulterini, qui ex adulterio, & alij sacrilegi, qui ex sacrilegio procreantur.

Quinto alij sunt filij spirituales, quos ex sacro fonte Baptismatis, vel ex confirmatione leuauimus, de quib. in tot. tit. ext. de cognat. spirituali.

Sexto, & vltimo, alij sunt legitimi tantum, seu vt communiter dici solet adoptiui, qui non secundum naturam à parentibus adoptiuis procreati sunt, sed auctoritate iuris ciuilis filij efficiuntur, & de his titulus noster loquitur.

SVMMARIVM.

1 *Adoptio duplex est.*
2 *Adoptio in specie quid sit.*
3 *Quæ requirantur in adoptione.*
4 *Adoptio, & ab extraneo, & ab ascendente fieri potest.*
5 *Quid operetur adoptio facta ab extraneo.*
6 *Si ab ascendente adoptio fiat, cuius sit effectus.*
7 *Duo vincula fortius ligant, quàm vnum.*

§. Adoptio, & §. Sed hodie.

Quotuplex sit adoptio.

1 ADoptio duplex est, nam aut adoptamus eũ, qui filiusfamilias est, aut eum, qui sui iuris est. Prior dicitur adoptio, nec ei aliud specialius nomen inditum est, posterior dicitur arrogatio. §. adoptio hoc tit. l. 1. & 2. ff. eod. Et sic adoptio est genus, qđ habet sub se duas species, adoptionem, scilicet, strictè sumptam, & arrogationem.

Quid sit adoptio.

2 ADoptio strictè sumpta, est legitimus actus, per quem filiusfamilias, qui patrem naturalem adhuc superstitem habet, & in eius potestate est, imperio magistratus qui ordinariam habet iurisdictionem efficitur filius alterius, adoptantis, scilicet, vt hic, & in l. 2. ff. eodem.

Quæ requirantur in adoptione.

3 IN adoptione duo requiruntur, primò Imperiũ, & auctoritas magistratus. §. adoptio hoc tit. lib. 2. 3. & 4. ff. eod. Secundò consensus tàm illius qui adoptat, quàm illius qui in adoptionem datur. l. 5. ff. eod. Tertiò consensus etiam, & auctoritas patris, aut aui eius, qui adoptatur. d. l. 5.

Qui sint effectus adoptionis.

QVoniam adoptio dupliciter (vt supra diximus) fieri potest, scilicet, ab extraneo, & 4 ab ascendente, ideo non ijdem etiam sunt effectus adoptionis factæ ab extraneo, & ab ascendente, sed quod plures habet adoptio facta ab ascendente, propterea distinctè etiam vniuscuiusque adoptionis effectus enumerabimus.

Qui sint effectus adoptionis factæ ab extraneo.

PRo extraneo hoc in loco, & quãtum ad iura adoptionis attinet habetur non solum, qui nullo sanguinis vinculo adoptato iunctus est, sed etiam omnes consanguinei Collaterales secundũ glos. in l. cum in adoptiuis. §. si vero in verbo naturalia. C. eod. Quando igitur filiusfamilias adoptatur ab extraneo, licet in hoc casu in potestatem adoptantis non transeat, nec iura patris naturalis dissoluantur, vt dicit Imperator hic, tamen hæc adoptio plures alios effectus habet.

Et primus effectus est, quòd filius adoptiuus succedit patri adoptanti ab intestato etiam simul cum filij legitimis, & naturalibus ipsius adoptantis. §. sed hodie hoc tit. Dico ab intestato, quia si
5 testatus, & condito testamento pater adoptiuus moritur, filius adoptiuus ei succedere nõ potest, nisi inquantum dispsoſuerit testator, adeo quod si nihil ei reliquerit, nihil etiam habere poterit, hanc enim facultatem testando pater adoptiuus habet, vt si vult nihil filio adoptiuo relinquere teneatur, sed id totum, quod relinquit ex sua liberalitate relinquere videatur, non legitimo aliquo iure astrictus, ita dicit tex. in l. cum in adoptiuis. §. sed nec articulum. C. eod. tit. de adopt.

Secundus effectus est, quòd sicut filius naturalis patrem naturalem sine venia in ius vocare nõ potest, vt est tex. in l. parentes. ff. de in ius vocando, ita nec filius adoptiuus patrem adoptantem sine venia vocare potest. l. adoptiuum. eod. tit. de in ius vocan. tradit Aldobrand. hic num. 3. & 4.

Tertius est, quòd sicut pater naturalis habet ius corrigendi, & emendandi filium naturalem, ita & pater adoptiuus filium adoptatum emendare, & corrigere potest, iuxta text. in l. 1. C. de emendat. propinq.

Quartus est, quòd sicut dignitas Senatoria patris naturalis transit ad filium naturalẽ, ita & dignitas Senatoria patris adoptantis, transit ad filiũ adoptatũ. l. Senatoris filiũ, & ibi gl. ff. de Senator.

Quintus effectus est, quòd ratione adoptionis prohibetur matrimonium inter patrem adoptiuum, & filiam adoptiuam, qua de re dixi supra in tit. de nupt. mentiris, nam tit. iste desideratur, in §. ergo non omnes, & hi sunt effectus adoptionis factæ ab extraneo.

Qui sint effectus adoptionis factæ ab ascendente.

QVando filiusfamilias adoptatur ab ascendẽte, veluti ab auo, vel proauo materno, aut etiam paterno, vtputa, quia eius pater antea fuerat emancipatus, vt declarat glos. hic in verbo

verbo emancipatus, in hoc casu vltra effectus supra enumeratos, qui etiam huic competūt, vnus effectus specialis est, ꝙ filius desinit esse in pote-
6 state patris naturalis, & transit in familiam, & potestatem adoptantis. §. sed hodie hoc tit. & adeo transit in familiam, & potestatem adoptantis, vt quicquid acquirit nō patri naturali, sed adoptāti acquirat. l. cū in adoptiuis. §. si verò pater. C. eod. id quod non euenit in eo, qui adoptatur ab extraneo, vt dixi supra, & ratio diuersitatis est, quia cum duo vincula fortius ligent, quàm vnum, vt
7 probat tex. hic in d. §. sed hodie iuncta glo. in verbo iura, & filius adoptatus ab ascendente patri adoptanti duplici vinculo coniunctus sit, naturali sanguinis. s. & ciuili, adoptionis, nō mirū est etiā si in eius familiam, & potestatem transeat.

SVMMARIVM.

1 *Adrogatio quid sit, & vnde dicta.*
2 *Adrogatio quare cum maiori solemnitate fieri debeat.*
3 *Quæ requirantur in adrogatione.*
4 *Effectus adrogationis.*
5 *Differentia inter adrogationem, & adoptionem.*

§. Cum autem impubes, & §. Item non aliter.

Quid sit Adrogatio.

1 ADrogatio, est legitimus actus, per quem homo sui iuris, & sic paterfamilias authoritate principis in alterius familiam, & potestatem, trāsit, & eius filius legitimus efficitur. §. adoptio sup. eod. & dicta est Adrogatio, quia adoptās rogari. i. interrogari debet, an velit adrogatum iustū sibi esse filium, & is, qui adrogatur an id fieri patiatur. l. 2. ff. eod. Principis authoritas in adrogatione dupliciter interuenire potest, vt q̄d vel ipse examinet, & cognoscat causas, vel per rescriptū adrogandi facultatem cōcedat, & per eum talem cognitionem, & examinationem alteri iudici ordinario, vel cuicunque cōmittat, vt est glo. hic in verbo rescripto, ratio aūt cur adrogatio fieri debeat coram Principe, & sic cum maiori solemnitate, q̄ adoptio, q̄ fieri potest corā quouis magistratu, talis assignatur, primò, quia vbi maius est
2 periculum, ibi cautius est agendū cap. vbi periculū de elect. lib. 6. sed in adrogatione versatur maius præiudicium, cum adrogatus, qui est sui iuris, transeat in potestatē adrogantis cum omnib. suis bonis, qđ nō est in adoptiuo, qui potestati patris adhuc subiectus remanet, vt sup. diximus, secūda ratio est, quòd in adoptione subest cōsiliū patris, quo prouidetur filio, quod non est in adrogato, qui sui iuris est, ita Ias. hic in addit. ad Port. nu. 6.

Quæ requirantur in adrogatione.

PLura requiruntur, & necessaria sunt, ad hoc, vt adrogatio locum habeat, & primò requiritur, vt fiat authoritate Principis. §. adoptio sup. eod. l. 2. ff. eod. Secundò requiritur, vt adrogādus, sit sui iuris. d. §. adoptio, & l. 1. ff. eod. Tertiò, vt is,
3 qui adrogat interrogetur, an velit Titium iustum sibi filium esse, adrogandus verò, an patiatur se adrogari. d. l. 1. & 2. ff. eod. & hoc si loqui possit, quod si non posset, non est necessaria interrogatio, dum alias apud magistratū per cōiunctos super eo prouideretur glo. in d. l. 2. Quartò, ꝙ in impubere, causa cognita, adrogatio fiat. §. cum autē hoc tit. In qua causæ cognitione, hoc potissimū versatur, an potius pro creatione liberorū patrisfamilias incumbere debeat, quā sibi ex aliena familia adrogare, item ne turpitudo, ne damnū, ne dolus, ne captio subsit, & cætera id genus, de qb. in l. si paterfamilias. §. in adrogationibus, & in l. nec ei. ff. eodem, de hac causæ cognitione, agitur apud Cic. in Orato. pro domo sua, vbi de Claudij adoptione disserit. Quintò, adrogator cauere debet, & satisdare personæ publicæ, veluti Notario, bona, q̄ ab adrogato consequutus fuerit, se restituturū ijs, ad quos ea res pertinet, si impubes adrogatus decesserit. §. cum autē impubes hoc tit. & l. nec ei. §. vlt. cum l. seq. ff. eod. qua satisdatione prospicitur non modo substitutis, sed etiā legitimis hæredib. l. his verbis. ff. eo. dixi, si impubes decesserit, quia in maiore, & adulto adrogādo hæc satisdatio non exigitur. l. hęc autē cum glo. ff. eod.

Qui sint effectus adrogationis.

PRimus, & pcipuus adrogationis effectus est, ꝙ adrogatus transit in familiā, & potestatē adrogatoris vnā cū omnib. suis liberis, & bonis, si quos in potestate habet, ad eo quod ab adrogatore alij in adoptionē dari potest. §. in plurimis, & §. illud propriū inf. eod. l. si paterfamilias, & l. adrogatos. ff. eod. & sic adrogator eā patriā potestatē in persona, & bonis liberorū consequitur, quā antea pater naturalis, & legitimus simul habebat de qua sup. in tit. de Pat. potest. dictū fuit.

Secundus effectus est, quod adrogator succedit filio adrōgato ab intestato tot. tit. infra de acquisit. per adrogat.

Tertius est, quòd adrogatus patri adrogator ab intestato cum ceteris filijs æqualiter succedit, & eius legitimus hæres existit. l. pen. & fin. & ibi Doct. C. de adopt. & si in testamento prætereaī,
4 vel sine iusta causa exhæredetur, nō solum restituēda sunt ei omnia sua bona, quæ ad adrogatorem transtulit, sed etiā quarta pars bonorū adrogatoris. §. item nō aliter hoc tit. dubium tū est, sit ne quarta omnium bonorum, an verò eius partis sibi ab intestato debitæ, quæ vulgo legitima dicitur, & omnium bonorum esse Aldobrand. hic, & alij multi tradiderunt, neque Batt. in l. si adrogator. ff. eod. expresse dissentit, cōtra, quartam esse eius partis, quā habiturus ab intestato esset, Accurs. hic, & alibi affirmat, cuius opinionē frequētiores omnes approbant, vt refert Iason. in d. l. si

arrogator.nu.35. & quamuis filio arrogato non cōpetat querela inofficiosi testamenti contra testamentum ipsius arrogatoris, tamen ad consequendam illam quartam, datur ei condictio ex l. D.Pij, & Doct. hic, & in d.l.si arrogator tradunt. Quartus effectus est, ꝙ arrogator sine causa filiū arrogarum inuitum emancipare non potest, qđ si faciat nihilominus tenetur ei quartam bonorum relinquere d.§.item non aliter, & ibi Doct. not.hoc tit. & sic ex his constat adoptionem, & arrogationem inter se multis modis differre.

In quibus adrogatio ab adoptione differat.

PRimò adoptantur filijfamilias, arrogantur verò patresfamilias.d.§.adoptio supra eod. Secundò adoptio fieri potest apud quemcunque Magistratum, qui legis actionem habet, arrogatio autem solum apud Principem, vel eum cui à Principe delegata sit causę cognitio.d.§.adoptio. Tertio, adoptatus ab extraneo in eius potestatem nō transit, d.§.sed hodie sup. hoc eod.rit.sed arrogatus cum omnibus suis bonis, & liberis, subijcitur potestati arrogantis.l.si paterfam.ff.eod. Quarto, adoptans, in testamento filio adoptiuo aliquid relinquere non tenetur, sed solum ab intestato filius ei succedit, vt patet ex d.§.sed hodie, & nos ibi diximus, at arrogatus si in testamento à patre arrogatore prætereatur, vel iniustè, & sine causa exhæredetur, licet non querelam inofficiosi testamenti, tamen habet condictionē ex l.D.Pij ad consequēdam quartam in bonis ipsius patris arrogantis, vt suprà quoque diximus.

SVMMARIVM.

1 *Omnes adoptare possunt, qui expressè non prohibentur.*
2 *Minor natu maiorem adoptare non potest.*
3 *Quot annis adoptās adoptādū praecedere debeat.*
4 *Variæ hominum ætates.*
5 *Castrati adoptare non possunt, spadones possunt.*
6 *Vera differentia inter castratos, & spadones aduersus Accursium traditur.*
7 *Cur spadones adoptare possint, & castrati non.*
8 *Fœminæ an adoptare possint.*
9 *Quid de Hermaphrodito.*
10 *An tutor, aut curator adoptare possint.*
11 *Qui filium adoptatum emancipauit, an eundem iterum adoptare possit.*
12 *An seruus adoptare valeant.*

§.Minorem, cum multis sequentibus.

Qui adoptare possint.

1 ADoptionis verbū generaliter hic accipi debet, tam de adoptione in specie, quam de arrogatione, in quo pro regula est statuendum, quòd omnes adoptare possunt, qui expresè nō prohibentur, prohibentur autem, & primò minor natu maiorem adoptare non potest, qua ra-
2 tione, Cic.in Orat.pro domo sua, probat Clodiū à Fonteio adoptari nequaquā potuisse, ars enim imitatur naturam, vnde cum per naturam filius non possit esse maior patre, neq; per artem hoc fieri potest, sed q adoptat plena pubertate, idest,
3 decem, & octo annis (hæc enim plena pubertas dicitur) adoptatum præcedere debet.§.minorem hoc tit.l.si paterfamilias in fi.& l.arrogato.§.non tantum.ff.eod. quæ ætas debet esse complera secundum Aldobr.hic nu.6. Verum valde laborant Doct.in perquirenda ratione diuersitatis, cum ad iustas nuptias quatuordecim annorum ætas sufficiat, cur diuersum in adoptione decem, & octo annorum ætas requiratur? quidam existimant ea ratione hoc statutum esse, quòd cum electione res agatur, firmitate etiam iudicij opus est, quam assecutus cēsetur is, qui annum decimumoctauū compleuit iuxta tex.in §.fin.sup. Quibus ex caus. manum.non licet, quæ ratio militaret quidem, si ageremus, quo tempore adoptans posset adoptare, sed cum agamus quantum distare debeat adoptans ab adoptato, apparet etiam, quòd nō refertur ad iudicium intellectus, qui exercendus sit tempore adoptionis, sed ad possibilitatem naturæ, vt.s.ille possit naturaliter esse filius adoptātis. Ideo alia, & melior ratio reddi potest, quæ fuit de mente Aldobr. hic sub nu.1. & 5. quam ēt sēsisse videtur Ias.in l.si is, qui pro emprore.ff. de vsucap.s.ꝙ quamuis re vera in quartodecimo anno leges præsumpserint adesse pubertate m ad possibilitatem generādi, tamen qm̄ in adoptione de ciuili, & certa generatione agitur, leges se retulerunt ad ætatem, in qua non solū sit possibilis generatio, sed in qua à communiter accidētibus omnes puberes sunt, arg.l.nam ad ea.ff. de legib. Secūda potest esse ratio, quia decimosexto anno pueri deposita prætexta, sumebant togam virilē, incipiebant exercitationes, & à Pædagogo discedebant, vnde in decimoseptimo anno accipere poterant vxores, quæ si grauidæ factæ essent, decem mensibus postea pariebant, quo fit, vt non ante, vel saltem parum ante decimumoctauum annum detur filiorum facultas, hinc sumpta occasione, plura à Doct. nostris ætatum tempora obseruantur, quæ in iure nostro recepta sunt.

Primū tēpus est infantiæ, q durat vsq; ad septimum annū inclusiuè.l.si infanti. C.de iure delib.

Secundum est, pupillaris ætatis, quę durat vsq;
4 ad decimumquartum annum in masculo, & duodecimum in fœmina.l.qua ætate.ff.de testam.

Tertium est pubertatis, quę durat vsque ad decimumoctauum annum, vt hic in tex.nostro.

Quartum tēpus est plenæ pubertatis, seu adolescentię, quę à decimooctauo anno durat vsque ad vigesimumquintum.l.1.§.apparet.ff.de mino.

Quintum est iuuentutis, seu virilis ętatis, & hęc durat aliquando vsque ad quinquaginta annos, aliquando vsq; ad sexaginta, & aliquando vsq; ad septua-

septuaginta, secundū varias regiones, nam in quibusdam patrib. citius homines senescunt, quam in alijs, secundum gl. in l. non aliter. ff. de legat. 3. Sextum tempus est senectutis, quæ durat vsq; ad annum 80. l. fin. cum ibi not. C. qui ætate, vel professione, se excusant lib. 10. Cod. septimum, & vltimum tempus est illud, quod appellatur senium, vel decrepitas, & durat vsque ad centesimū annum, quod longissimum vitæ hominis spatium dicitur. l. fin. C. de sacros. Eccl. secundò adoptare prohibetur castratus, spado verò licèt generare
5 non possit, adoptare tamen non prohibet. §. sed & illud hoc tit. l. 2. §. illud. ff. eod. Castratos pleriq. Accursium sequuti, intelligunt eos esse, qui castè nati sunt, & sic qui à natura ad generandū inhabiles sunt, spadones verò quib. virilia amputata sunt, indeq. maximè probari posse putant, quod adoptio naturam imitetur, ideo quem prohibet natura prohibeat etiam lex: è conuerso Aldobr. hic in d. §. sed & illud num. 1. existimat, Castratos eos proprie esse, quibus virilia, vel amputata, vel excisa, vel euulsa sunt, erraréq. toto cœlo, & Ac-
6 cursium, & qui eum sequuntur credit, dum Castratos eos esse intelligunt, qui ita à natura producti sunt, vt generare nō possint, quasi castè natos, nec mirandū de Accursio esse dicit, qui rudi illo seculo floruit, quòd tam insigniter errauerit, cum etiam eruditissimus tempore suo Zaz. in tit. ff. eod. in suis Paratitil. Ioan. Ferrarius Montanus hic, & Alciat. in l. spadonum. ff. de verb. signific. in eandem opinionem iuerint, licet idem Alciat. ab ea postea recedere videatur lib. 1. Prætermissorū, tacet Ias. & alios huius classis doctissimos viros, qui eandem sententiā amplexi sunt, probat hanc suam opinionem Aldobran. 1. per tex. in l. 3. ff. ad l. Corn. de Sycar. vbi Marcellus ait, qui hominem libidinis, vel commercij causa castrauerit ex Senatusconsulto pœna legis Corneliæ punitur, secundò per tex. in l. 4. ff. eod. tit. ad l. Corn. de Syc. vbi Vlpianus, nemo inquit liberum, seruumvè inuitum, sinentemvè castrare debet, tertiò per tex. in l. si seruus seruum. §. & si. ff. ad l. Aquil. vbi Iul. scribit cessare aquiliam, si quis puerum castrauerit, & pretiosiorem fecerit. Iuuenalis,

Nullus ephebum
Deformem sæua castrauit in arce Tyrannus.

Spadones autem specialiter, & propriè appellat eos, qui ad generandum natura tantum inhabiles sunt, licèt generaliter sumpto vocabulo spadonū nomine comprehēdantur omnes, qui quauis ratione, siue natura, siue arte, aut alio quouis modo ad generandum inhabiles sunt. l. spadonū 128. ff. de verbor. significat. eiusdem opinionis videtur fuisse Theophilus hic in suis institutionibus, dum hunc locum explicat in illis verbis, & spadones quidem sunt, sequitur Coras. in l. 1. num. 8. & 9. ff. eod. & August. lib. 3. Emendat. cap. 5. Ratio autem cur factum sit, quòd spadones adoptare possint, & castrati non, secūdum eundem Aldobran-
7 dinum talis est, quia impossibile est secundū naturam, quod castrati quib. virilia execta, attrita, vel aliter euulsa sunt generare possit, ideo cum adoptio naturam imitetur, sitque vt Papinian. ait in l. filio. ff. de liber. & posthum. imago naturæ, nō habet locum nisi vbi natura locū habere potest, at qui natura spadones sunt, ideo adoptare possunt, quia natura ipsa potest remouere aliquaratione illud impedimentum, nec est desperandum naturę auxilium vbi materia, & res subiecta non repugnat. l. si quis posthumos in princ. ff. de liber. & posth. Tertiò fœminæ adoptare non possunt, nisi ex indulgentia Principis hoc eis conces-
8 sum sit, vt in solatium liberorum amissorum adoptare possint, non vt ius patriæ potestatis consequantur, sed vt filiū, qui ipsi hæres sit futurus habeant. §. fœminæ, & ibi glo. in verbo amissorū hoc tit. & l. mulierē. C. eod. nec refert secundū Aldobrand. hic, quicquid dicat glo. in d. verbo amissorū an in acie, vel in ocio filij mortui sint. De Hermaphrodito quærit an possit adoptare, & ita di-
9 cendum videtur si sexus virilis in eo præualeat. l. quæritur. ff. de stat. hom. Hermaphroditus ab Ausonio in 102. Epigram. his versibus describitur.

Mercurio genitore satus, genitrice Cythere
Nominis vt mixti, sic corporis Hermaphroditus
Concretus sexu, sed non perfectus vtroque,

& ab Ouid. lib. 4. Metamorph.

Mercurio puerum, & diua Cythereide natum,
Naiades idæis enutriuere sub antris,
Cuius erat species in qua materq. paterq.
Cognosci possent, nomen quoque traxit ab illis.

Quartò, tutor, & curator eos, quibus præsunt ad-
10 optare non possunt, nisi certū sit sanctissima eos duci affectione. l. nec ij, cum similibus. ff. eodem. Quintò, qui semel adoptatum emanciparunt, eūdem amplius adoptare non possunt. l. adoptare. §. 1. ff. eod. & hoc ne leges sint ludibrio, vt ibi glo. dicit. Sextò, & vltimo, serui adoptare nō possunt, adoptio. n. est actus iuris ciuilis, & serui de iure ciuili pro nullis habentur. l. q. attinet. ff. de reg. iur.

SVMMARIVM.

1. *Omnes liberi homines, & fœminæ etiam adoptari possunt.*
2. *Seruus per adoptionem filius fieri non potest aduersus Doct. omnes.*
3. *Adoptare licet non solum in locum filij, sed etiam Nepotis, & pronepotis.*
4. *Restituitur. §. licet autem.*
5. *Verus intellectus. §. sed si quis.*
6. *Filius naturalis adoptari non potest, vt per adoptionem legitimetur.*

§. Licet autem, cum §. seq. & fi.

Qui adoptari possint.

1 OMnes liberi homines regulariter adoptari possunt, ita q. & fœminæ, licet regulariter adoptare

adoptare nequeant, tamẽ ipsæ adoptari possunt, l.nã & fœminæ 21.ff.eod. Secundo Doct. omnes volunt etiam seruum adoptari posse, ita q; adoptione filius, & liber simul efficiatur, dummodo à Dño proprio adoptetur, secus si ab extraneo, ita glo. Porc. Angel. & alij ferè omnes intelligunt tex. in §.fi. hoc tit. nostro excepto Aldobran. qui in d.§.fi. nu.4. existimat adoptatũ à dño proprio libertatem quidem cõsequi, sed filium nequaquã fieri, mouetur ex illatione facta per Imperatorẽ ibi, dum dicit, quòd ex respõso Catonis eruditus cauit, quòd si Dñs actis interuenientib. nominet seruum suum filium, facit quidem eum liberum, sed non filium, quæ illatio æqualis certe nõ esset, si priori casu liber, & filius fieret, secundo autem casu liber tantum, & nõ filius, idem sentire videtur Theophil. hic, verba eius sunt hæc, quidam seruum suum adoptauit, quæritur, an valeat adoptio aut quid inde sequatur? & scribunt veteres respõsum esse à Catone, adoptionem quidem non valere, nam ea in liberis personis locum habet, sed tamen adoptione, quamuis, vt adoptio nullã vim habeat, liberum fieri seruum hunc, qui enim seruum adoptare voluit dubium nõ est, quin tacitè eum manumittere festinauerit, hic igitur id quod expressit non confecit, quod verò in animo non habuit id peregit, hæc ratio, & sanctissimum Imperatorem nostrum mouit, vt constitueret cum quis in iudicio, & actis interuenientibus de seruo suo dixerit, Filius meus est, ex huiuscemodi verbis seruum quidem ius filij non habere, sed tamẽ seruum esse desinere, eandem opinionem nouissimè sequutus est insignis Iurisconsultus Ioannes Borcholten in d.§.fin. quæ litteræ etiam magis conuenire videtur, & ego libentius eam sequor, quod sciam eiusdem opinionis fuisse prꝍstantissimum iuris consultum, & Dominum meum colẽdissimum dominũ Alexandrum Sanminiatellum, qui iã in Almo Pisarũ Gymnasio institutiones in primo loco ꝑfitebar, & post discessum meũ à Pisana Ciuitate in sacrorũ Canonũ lectura mihi successor extitit, & vsque in hodiernum diem extat.

3 Tertiò, licet adoptare non solum in locũ filij, sed etiam nepotis, & pronepotis, etiam si quis filium non habeat. §.licet autem hoc tit. quod posterius aduersari videtur ijs, quæ à nobis superius dicta fuerunt. Si quidem adoptio naturam imitatur, at secundum naturam, qui filium nõ habet, neq etiã nepotem, aut pronepotẽ habere potest, cęterum dicendum est eum, qui in locum nepotis adoptat fictione quadam, & cõmentitio iure videri filium habuisse, id quod iure lex fingere potest, cum hoc possit esse secundum naturã habitu, quãuis actu nõ sit, item & tam filium alienum quis in locum nepotis, q̃ nepotem proprium in locũ filij adoptare potest d.§.licet autem, Aldobran. hic putat hoc vltimum carere dubitatione, & proinde locum corruptum esse, quia cum dictum sit licere in locum nepotis adoptare, vtiq. clarum ẽst adoptandum alienum filium esse debere, ideo restituit textum in hunc modum, & tam alium filium

4 quis in locum nepotis adoptare potest, q̃ nepotem in locum filij, saluando tamen priorem lectionem, dicit, ita dictum esse ea ratione, quia dubium esse poterat, an seruandus esset ordo naturæ, qui est in ipsa naturali progenie, videlicet, an ille, qui vere est filius posset effici ciuiliter nepos, & ille, qui est naturalis nepos possit fieri ciuilis filius, ideo dixit Imperator, & tam filium alienũ quis in locum nepotis adoptare potest, quã nepotem proprium in locum filij, vt demonstraret se non seruare gradum, nec ordinem, qui apud patrem naturalem est, hinc Theophilus necesse mihi non est, inquit, ordinem, gradumquè, qui apud patrem naturalem est seruare, illud à nobis omittendum non est, quod si quis nepotis loco aliquem adoptet, quasi ex filio, quem iam adoptatum habet, vel quasi ex illo quem naturalem in sua potestate habet expressim nominato, veluti, quasi ex Titio filio meo natum, hoc casu filium consentire oportet, ne absurde dicamus ei inuito suum hæredem agnosci, & quoniam ęquũ est negotium ab ijs, quos causa cõtingit, quique lædi, & ideo contradicere possunt, approbari. l. de vno quoque. ff. de re iudic. l. nam ita. ff. eod. & hic est verus sensus, & intellectus. §. sed si quis hoc tit. nostro, ex quo à cõtrario colligo, quòd si quis

5 simpliciter, & generaliter aliquem nepotis loco adoptet sine vlla expressa filij commemoratione filij consensum nõ requiri, cum nec adoptatus ei suus hæres agnascatur, vtpotè, qui magis ex alio copiam filio, quem adoptans habere potuit, quã ex hoc Titio adoptatus intelligatur. l. si is, qui. ff. eod. similiter, quando auus dat nepotem in adoptionem filij consensus non requiritur, cum inde non videatur incommodari pater, cui semper liberum erit filium hęredem scribere, nec eius iura per adoptionem dissoluantur. d.§. sed si quis, in fi. §. sed hodie supra eod. Fratrem autem quis adoptare non potest, vt. l. per adoptionem fratrẽ sibi constituat. l. nec apud. C. de hæred. instit. hoc enim legibus naturæ consentaneum non est, vt à fratre frater procreetur, ideo nec per artem, quę naturam imitatur fieri potest, illud pro complemento est addendum, Bastardum, seu filium naturalem adoptari non posse, vt per adoptionem legitimetur. §. & nos non latuit Auth. quib. mod.

6 nat. effic. legit. lege legem. C. de nat. liber. idq. singulare esse tradit Roman. singulari 621.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*

2 *Concordantes Tit. in ff. & C.*

QVIBVS MODIS IVS PATRIÆ potestatis soluitur. Tit. XII.

1 QVemadmodum omnium rerum, quas natura profert, certi sunt modi, quibus enascuntur,

scuntur,& rursus emoriuntur, ita similis est ratio earum rerum,quæ arte fiunt,& ob id Imperator postquā tradidit,quomodo patria potestas con-
1 stituatur nunc docet,quomodo rursus eadē constituta dissoluatur,& concordat cum hoc tit.in ff. secunda Pars Rubricæ de adopt.& emancip.& in Cod.Titulus de emancip. liber.

SVMMARIVM.

1 *Mors soluit patriam potestatem.*
2 *Filius quando morte patris patria potestate liberetur.*

§. Hi verò.

Quot sint modi per quos Patria potestat soluitur.

SEx principales modos enumerat Imperator in hoc titulo nostro per quos patria potestas soluitur, & primo soluitur patria potestas morte
1 naturali eius,qui liberos in potestate habet, hac adhibita distinctione,nam aut filius habet tantū patrem,& non auum paternū,& tunc morte patris liberatur ab eius potestate, aut habet auum tantū,& non patrem, & tunc mortuo auo,nepos quoq; sui iuris efficitur,aut habet auum,& patrē
2 simul,& tunc mortuo auo nepos non liberatur à potestate sui patris,sed incidit in ipsius patris potestatem,in qua antea viuente auo non erat,nam viuēte auo in aui potestate erat.§.hi verò hoc tit. l.nepotes.ff.de his,qui sunt sui,vel alien.iur.

SVMMARIVM.

1 *Morte ciuili soluitur patria potestas.*
2 *Deportati,et serui pœna ciuiliter mortui dicūtur.*
3 *Quid sit deportatio,& in cuius locum successerit.*
4 *Aqua,& ignis interdictio quid.*
5 *Quid recuperet deportatus si restituatur.*
6 *An per relegationem dissoluatur patria potestas.*
7 *Quid sit relegatio.*
8 *Differentia inter relegatos,& deportatos.*
9 *An bauniti nostri temporis æqu parentur deportatis, vel relegatis.*
10 *Quid decidant Doct. de bannitis nostri temporis.*
11 *Qui serui pœnæ esse dicantur.*

§.Cum autem, §.Relegati,& §.Pœnæ seruus.

SEcundò soluitur patria potestas morte ciuili, quæ est quotiescunque quis (salua vita) Ciuitatem,& libertatem simul,aut etiam Ciuitatem tantum amittit,sicut enim homines morte intereunt,ita maxima, aut media capitis diminutione interire dicuntur, vt eleganter loquitur I.C. in l. verum.§.vlt.ff.Pro socio. Itaque illi, qui deportati, aut pœnæ serui effecti sunt ciuili iure mortuorum loco habētur, patriamq. potestatē amittunt.§.cum autem.& §.pœnæ seruus hoc tit.l.1. §.penult.ff.de bonor.possess.contra tabul.

Quid sit deportare.

DEportare est hominem de Ciuitate in aliū locum certum ablegare, & quasi sententia
3 ipsa portare,vt reliquo orbe dis.lusus,ibi suorum delictorum pœnam luat, necessitq. hæc deportatio in locum, interdictionis aquæ,& ignis.l.3.ff. ad l.Iul.Peculat.l.2. §.1. ff.de pœnis, olim enim iure quiritum Ciui Romano vita adimi non poterat, quod Cæsar apud Salust. in coniuratione Catilinæ elegantissime persequitur,eodem iure nemo inuitus Ciuitatem, aut libertatem amittebar, vt Cicero tradit pro Balbo, pro Cecinna, & pro domo sua,ne tamen delicta impunita remanerent, rationem Romani excogitarunt,qua noxios ciues saluis maiorum suorum cōlitutionibus, Ciuitate pellerent, itaque aquā, & ignē eis interdixerunt,vt ijs subsidijs quibus humana vita continetur destituti in alias terras migrare,seque
4 in aliam ciuitatem conferre cogerentur in quam recepti Romanam Ciuitatem amittebant, nec enim quisquam duarum Ciuitatum ciuis esse poterat,vt Cic.in Orat.pro Balbo,& Cornel. nepos in Pomponij Attici vita tradunt in talique interdictione nominatim comprehendebatur, ne liceret eos quibus aqua, & igni interdictum erat tecto excipere.Cicer.pro domo sua,legeq. Iulia de vi publica, & priuata tenebantur, qui eos recepissent, celassent, vel tenuissent. Paulus lib.5. sentent. tit.28. Iuuenalis Satyr.3.

Nemo cibo, nemo hospitio,tectoq. iuuabit.

Et sic Romani noxios suos ciues non palam, sed vi ipsa è ciuitate expellebant.l.fin. ff.de legatione mansitq. Romæ hæc aquæ,& ignis interdictio vsque ad Augustum Imperatorem, qui primus deportationem loco interdictionis aquę,& ignis in rem pub.inuexit,deportatione igitur tollitur patria potestas,& hoc siue ipse pater, siue filius deportetur.d.§.cum autem,dicitur q. hæc deportatio mors ciuilis,nam quoad ius ciuile deportati pro mortuis habētur omnesq. actus iuris ciuilis illis interdictu sunt. d.§.cum autem, & l.actione. §.publicatione.ff.pro socio,fallit tamē hoc si deportatus restituatur per principem,nam tunc recuperat patriam potestatem,famam,honores,&
5 bona,tex.est hic,restitutio enim est integra repositio in priorem statum.l.quod si minor. §.restitutio. ff.de minor.l.1. C.de senten.pass. & restit. Sed an simpliciter restitutus per Principem,censeatur etiam restitutus ad bona distinguendū est, nam aut Princeps vtitur verbo restituo,& in hoc casu ex natura verbi restitutus censetur repositus per omnia in pristino statu,vt dicitur in text. nostro hic,& eodem modo,si dixerit etiam restituo in integrum,censetur restitutus ad omnia.l.1.C. de sent.pass.nulla enim differentia est, si dicatur restituo,vel restituo in integrum, cuius cōtrariū, & male dicebat Ioan.Fab.vt animaduertit Aldobrā.hic sub nu.43.sequitur Cuiac.hoc eod.loco,

aut verò Princeps non vtitur verbo, restituo, sed indulgeo, & tunc de sola pœna remittenda cogitasse videtur tex. est in l. fi. C. de general. abolitio. sed si verba essent dubia, & possent importare indulgentiam, & restitutionem in dubio semper ea interpretari debemus, vt importent restitutionẽ, ita decidit Bar. per illum tex. in l. 1. §. si quis vltro, ff. de quæst. Pro quo autem delicto hæc pœna deportationis imponatur habemus inf. in tit. de publ. iudi. & qui hanc potestatem habeãt, tradit gl. hic in verbo deportatur de relegatis dubium esse poterat, an amittant patriã potestatẽ, & decidit
6 Imperator in §. relegati hoc tit. ꝙ non amittunt, vnde nec relegati ciuiliter mortui dicuntur, quod tamen vt facilius percipiatur videbimus quid sit relegatio, & in quo à deportatione differat.

Quid sit relegatio.

Relegatio est, quando alicui certa Ciuitas, vel Prouincia ob aliquod delictum interdicitur, quod Cicero sedibus expellere interpretatur, & aliquando etiam quando ab his, qui habent insulas quis in certam insulam mittitur, in exilium ad certum tempus, vel etiam in perpetuum. l. relegatorum. ff. de interdict. & Releg. differt igitur relegatio à deportatione vt glo. hic in verbo retinent pluribus modis.

In quo relegatio a deportatione differat.

Et primò relegatio à deportatione differt, quia mitior est relegatio, quàm deportatio, nam relegatio fit ad tempus, & in perpetuum deportatio vero semper in perpetuũ. l. relegatorũ. §. hęc est differentia. ff. de interd. & releg. in contrarium tamen obstat text. in l. fine præfinito. ff. de pœn. vbi habemus, ꝙ si iudex imperitia ductus aliquẽ in metallum damnet sine statuto tempore intel-
8 ligitur damnatus ad decennium, & sic cõstat, ꝙ etiam ad tempus in metallum damnari, & consequẽter deportari potest. glo. in d. l. fine præfinito in §. hæc est differentia soluit, dicens, quod regulariter deportatio est perpetua, licet aliquãdo ex voluntate iudicis quis ad tempus deportari possit. Secunda differẽtia est, ꝙ deportatus amittit ciuitatem, patriam potestatem, & omnia iuris ciuilis beneficia. l. sunt quidã. ff. de pœn. ideo, & testamenti factionem actiuam, & passiuam Clar. in §. testamẽtum. q. 22. nu. 1. & 2. Imol. communem dicit in cap. quia ingredientibus de testamen. & Alex. in l. 1. nu. 2. C. de hæred. instit. At relegatus retinet ciuitatem, quia non desinit esse ciuis Romanus patriam potestatẽ, & omnia alia iura sua retinet, & sic testamenti factionem tam actiuam, quam passiuam. l. relegati. ff. de interd. & releg. l. eius. §. fin. ff. de testam. Clar. d. q. 22. nu. 3. Tertia, deportatio existimationẽ consumit, relegatio minuit. l. cognitionum. ff. de var. & extraord. cognit. Quarta, deportatus amittit bona. Relegatus non nisi per sentẽtiam specialiter fuerint adempta. l. deportatorum. C. de pœn. l. 4. ff. de interd. & releg. Quinta, deportato circunscribitur pœnæ locus. l. 5. & 6. ff. de interd. & relegat. relegato autẽ non circũscribitur locus, sed fines patriæ suæ exire cogitur. Sexta, deportatus si egrediatur prouinciam in quam deportatus fuit, capite punitur, At relegatus ad tempus, si reuertatur intra tempus, relegatur in perpetuum, si est relegatus in perpetuum deportatur. l. relegati. ff. de pœn. quod deportatus fines excedens capite puniatur exponit Aldobrand. hic sub num. 53. & rectè, non vltimo supplicio, sed eo capite priuetur, quod habet. l. libertate, cum ex deportatione prius ciuitatem amiserit, & sic vel seruus pœnæ efficiatur, vel in metallum damnetur, & hoc præsertim, quia pœna capitis intelligitur de minori, nõ autem de vltimo supplicio. glo. in l. 1. C. ne Iudæi christ. mancip. Imo. in l. 2. col. 2. ff. de public. iudic. mouetur etiam ex eo, quia damnatus in opus metalli, quę est maior pœna quam deportatio, cum adimat libertatem, vt hic in tex. nostro, si aufugiat, non punitur vltimo supplicio, sed in metallũ damnatur, modo si deportatus fines excedens, morte puniretur, maximum sequeretur absurdũ, nempe, ꝙ qui non seruat minorem pœnã vltimo supplicio puniatur, qui verò non seruat maiorem, non puniatur morte, sed in metallum dãnetur, vide hic p eum. Ex prædictis mouetur quæstio per gl. hic in eodem verbo, retinet. De bannitis nostri temporis, an æquiparentur deportatis, vel relegatis, in quo articulo tanta est inter Doct. cõtrouersia, vt vix discerni possit, non modo quæ sit communis opinio, sed quid in tanta scribentium varietate sit tenendum. Et in primis aliqui simpliciter dicunt, quod bannitus æquiparatur deportato, quæ opinio ab omnibus ferè reprobatur. Alij simpliciter dicunt, ꝙ æquiparantur relegatis, non autem deportatis, & fuit opinio Bart. quam dicit communiter approbari Socin. iun. conf. 147. nu. 20. lib. 2. Aliqui verò distinguunt, & dicunt, ꝙ aut quis est bannitus propter crimen, pro quo non imponi-
9 tur pœna mortis, & in hoc casu volũt æquiparari deportato, aut est bannitus propter crimen, pro quo non imponitur pœna mortis, & tunc volunt æquiparari relegato, sed & hæc opinio communiter reprobatur, vt dicit Ripa in l. ex facto. §. ex facto nu. 14. ff. ad Senatusc. Trebel. Ideo alij aliter distinguunt. s. ꝙ aut pœna banni est, cum cõfiscatione bonorum, & tunc dicunt æquiparari deportato, aut est sine confiscatione, & in hoc casu volũt æquiparari relegato, & hæc fuit opinio glossę nostræ, quæ opinio non est tuta, nec communis, neque tenẽda, ideo eam communiter reprobari attestatur Curt. senior conf. 59. num. 18. Nonam opin. tenet Clar. lib. 5. sent. §. fi. q. 71. nu. 12. s. bannitos nostri temporis quocunq. modo sint banniti, sine perpetuo, siue ad tempus, siue cum confiscatione bonorum, siue non, æquiparari simpliciter deportatis, neque relegatis, sed tertiã quandam

dam ſpeciem de per ſe conſtituere, & propterea non eſſe licitum arguere de deportato ad bannitum, neque etiam de relegato ad bannitum, ſed ſtandum eſſe, vel deciſionib. Doctorum de bannitis in ſpecie loquentium, vel conſuetudini, ſequitur Cacheranus in ſuis deciſionib. Pedemontanis deciſ.105.nu.9.qui poſtea nu.10. gaudet ſe cum Clar.quem antea non viderat,conueniſſe,& hæc opinio etiam mihi magis probatur, ideo videamus quid in hac materia bannitorum Doct. decidant. Reperio ꝙ magis communiter tenent bannitos noſtri temporis,etiam ſi ſint banniti cũ confiſcatione bonorũ,& pro maleficio pro quo veniat imponenda pœna mortis,nõ amittere niſi
10 iura municipalia illius ciuitatis, vel prouinciæ à qua banniti ſunt, iura autem cõmunia non amittere,ideo ſuccedere poſſunt,& capaces ſunt tam ex teſtamẽto, quam ab inteſtato omnium iuriũ, & ſucceſſionum,quę illis de iure communi deferuntur,ſecus ſi deferantur ex forma ſtatutorum illius Ciuitatis,vel Prouinciæ à qua banniti ſunt, nam tunc ſuccedere non poſſunt. Exemplum. Extat ſtatutum, ꝙ patre mortuo,filius maſculus excludat filiam dotatam à ſucceſſione patris,modo filius eſt bannitus,& pater moritur, certe huiuſmodi filius non poterit vti, & gaudere beneficio huius ſtatuti,vt filiam excludat, poterit tamẽ vti beneficio iuris cõis.ſ.vt pariter admittatur ad hæreditatem cum filia iuxta text.in l.inter filios. C.famil.erciſcun. ita tenet Bart.in ſuis quæſ. q.1. nu.29.cõmunẽ dicit Alexan.in l.1.nu.4.& ibi Iaſ. nu.5.C.de hæred.inſtit. Rip.in l.ex facto. §.ex facto,nu.14.ff.ad Senatuſc.Trebell.Neſius de bannitis par.1.ſecundi temporis,q.5. Ruin.conſ.49. nu.3.lib.4.Curt.ſenior conſ.59.nu.19. Curt.iun. conſ.182.nu.4. & hoc ſine dubio procedit quantum ad bona ſita extra territorium, quia bannũ vnius ciuitatis,vel iuriſdictionis diſtinctę non poteſt afficere,nec tollere iura cõmunia in loco ſibi non ſubdito.l.extra territorium.ff.de iuriſd.omn. iud.ſed dubium eſt de bonis ſitis intra territoriũ ciuitatis, vel prouinciæ à qua iſti reperiũtur banniti.Rayner.in l.1.C.de hæred.inſtitut. tenet ꝙ iſti banniti nullo modo poſſint ſuccedere in bonis ſitis intra territorium à quo ſunt banniti,etiã ſi eis huiuſmodi bona ex diſpoſitione iuris communis deferantur,communem appellat Iaſ. cõſ. 166. col.3. lib.2. In contrarium tamen quicquid dicat Iaſ.eſt magis communis opinio, ſecundum Rip.in d.l.ex facto. §.ex facto, nu.15.ff.ad Senatuſc.Trebell.Maran.in repet.l.is poteſt.nu.119.ff. de acquir.hæred.& Clar.in §.teſtam.q.20.nu.3.ſ. tales bannitos poſſe ſuccedere ex diſpoſitione iuris cõmunis,tam in bonis ſitis in territorio,quã extra territorium, & ſic non amittere iura communia, nec etiam in ciuitate à qua banniti ſunt, niſi tamen adeſſet ſtatutum qđ ſpecialiter,& expreſsè eos excluderet à ſucceſſione, nam in hoc caſu poſſet quidem procedere, & locum habere Rayner. & Iaſ.opinio, vt dicit Clar. d.loco, ꝙ ſ. nec ex diſpoſitione,& beneficio iuris communis poſſint ſuccedere in bonis ſitis intra territorium a quo ſunt banniti,nec aliquid facit quantum ad ſucceſſionem ſi etiam eis fuerint confiſcata bona,qa in confiſcatione non veniunt bona futura, vt tradit idem Clar.lib.5.ſenten.§.ſi.q.78.nu.24. poſt Iaſ. in l.ſi ſtipulatus fuerint. §.cum ſtipulamur,nu.7.de verbor.oblig.& Boſs.in tit.de bonis publ.nu.81. Ideo rectè ſuccedere poterũt etiam poſt confiſcationem bonorum; ex iis igitur infertur,ꝙ cum banniti non perdant niſi iura ſuæ ciuitatis tãtum à qua exulant, non autem iura cõmunia ciuitatis Romanæ nõ amittunt patriã poteſtatem, quia illa eſt ciuium Romanorum, vt eſt tex. ſecundum intellectum Bal.Ang.& Alex.in l. ſi cum dotem.§.ſi patri.ff.ſolut.matr.Infertur ẽt, ꝙ filijs bannitorum non eſt dandus tutor, quia durant in poteſtate patris, inſ.de tutel.in princ. Item ꝙ filij bannitorum teſtari non poſſunt,tanquam exiſtẽtes adhuc in poteſtate patris iuxta l. qui in poteſtate.ff.de teſtam.& ita in terminis cõſuluit Corn.cõſ.55.lib.2.Item quòd præteritione filij banniti teſtamentum effici tur nullum, vt cõſuluit idem Corn. conſ.28.lib.2. Item ꝙ filij ſuſcepti poſt bannum faciunt deficere cõditionem fideicommiſſi, vt dicit Bart. in l.ex facto.§.ex facto.ff.ad Senatuſc.Trebell. Item ꝙ banniti,& ipſi teſtari poſſunt,& hoc etiam ſi fuerint bãniti cum confiſcatione bonorum, Clar.in d.§.teſtamentũ, q.19.nu.2.in fi. quod licet fortaſſe prima fronte alicui inutile,& abſque fructu videatur, attamen eſt magni momenti,quia poterunt teſtari de bonis ſi quæ habent extra territoriũ ciuitatis à qua ſunt bãniti,cum ea in bonorum confiſcatione nõ veniant,vt tradit idem Clar.in d.q.19.& in §.fin. q.78.nu.27.in fi.vbi refert etiam ſe plerunque vidiſſe ita in Ducatu Mediolanenſi obſeruari.Item & de illis, quæ acquirerent poſt confiſcationem cum & ipſa in confiſcatione bonorũ non veniãt, vt ſupra diximus. Imò dato etiam,ꝙ nulla bona haberent,nõ eſt adhuc ſine vtilitate,vt quis poſſit condere teſtamentum,quia in eo filio ſuo poterunt pupillariter ſubſtituere in bonis ipſiuſmet filij,quod quidem facere non poſſent, ſi non haberent teſtamenti factionem.l.2.§.filius.ff.de vulg. & pupill.ſubſtit. Item & tutorem filijs ſuis dare poterunt,quod pariter fieri non poteſt niſi in teſtamento, aut codicillis teſtamento confirmatis. l.3.ff.de teſtam.tutell.ita pulchrè cõſiderat Imol. in cap.quia ingredientib.nu.7.extra de teſtam.& Clar.in d.§.teſtam.q.22.in fi. Plura de hac re etiã vide apud Marcum Antonium Peregrinum virum magni nominis,& iuriſconſ præclariſſimũ in ſuo tract.de iure fiſci lib.3.tit.7.per totum, & Didac. Rodriguez ab Aluardo de coniect. mente defuncti lib.2.cap.1.nu.14.& 15. necnon Ludou.Molin.de Hiſpan.primog.lib.4.cap.11.nu.18. Et qa in principio huius §.diximus quod & deportati, & ſerui pœnę ciuili iure mortuorum loco habent, & conſequenter ꝙ & deportatione, & ſeruitute

pœnæ

pœnæ tollitur patria potestas, & iam vidimus qd sit deportare, omniaquè alia, quæ ad deportationem pertinent, restat nunc recto ordine, vt videamus, qui nam serui pœnæ dicantur.

Qui serui pœnæ dicantur.

11 Serui pœnæ dicuntur, qui vel in metallū damnantur, vel bestijs subijciuntur. §. pœnæ seruus hoc tit. In metallum damnari dicuntur, qui grauioribus vinculis pressi ad inquirendas eruendasquè metallorum venas ob patratum crimen damnātur. l. aut damnum. §. est pœna cum §. seq. ff. de pœn. & hoc pœnæ genus Tarquinius superbus primus excogitasse fertur, vt tradit Eutrop. lib. 1. c. 10. Differunt hi à damnatis in opus metalli (qui similiter serui pœnæ dicunt) quia damnati in metallum ad fodiendum, & adportandum in fodinis metalli manebant, grauiore quodam pondere vinculorum, nam cum ibi assiduè permanere deberent, neque huc, neque illuc, ventitare, grauioribus vinculis etiam premebātur, at ij, qui in opus metalli damnabantur, quoniam inseruiebant reducendo in massam metallo, necesseq. erat illos circa varia exercitia versari, ideo leuioribus vinculis premebantur, & ea erat mitior pęna, quia non assiduè ibi ad fodiendum morabantur, sed ad exportandum, coquendum, & huiusmodi, minor adhuc erat pœna damnatorum in ministerium metallicorum, hi enim quamuis idē operarentur, quod dānati in opus metalli, tamen nullis vinculis premebantur, Aldobrā. hic nu. 69. hodie hæc pœna recessit ab aula, vt dicit Folle. in sua pract. crim. cano. fol. 131. nu. 8. & Mantua in l. transigere nu. 6. C. de transact. & in eius locū successit pœna triremium, quę hodie valde frequens est, non modo in laicis, sed etiam in clericis, fieriq. solet, & perpetuo, & ad tempus, vt attestatur Carrer. in sua pract. crim. nu. 121. Diaz in pract. crim. canon. cap. 135. & Clar. in d. §. fi. q. 67. nu. 7. & q. 70. nu. 5. Bestijs autem subijci dicuntur, qui deuorandi in lacum bestiarum alligati tradūtur, vt de Daniele legimus c. 6. qui in lacum Leonum demissus fuit, pulchreq. hoc supplicij genus Prudentius in Hamartigenda his versibus describit.

Sanguinis humani spectacula publicus edit
Consensus, legesq. iubent venale parari
Supplicium, quo membra hominum discerpta cruentis
Morsibus oblectent hilarem de funere plebem.

Alij erant, qui seruabantur, vt in publicis venationibus, cum bestijs pugnandi causa in arenam int: omitterentur. l. 4. ff. de accusat. & inscript. & hi propriè ad bestias, siue in venatorium ludum dānati dīr, & horum melior erat cōditio, quā priorum, quia fieri poterat vt corporis agilitate, se aliqn aduersus bestiarū ferociā tuerentur, & non nunquā ad spectantis populi clamorē, per Principem eximerentur. l. ad bestias dānatos. ff. de pęn. Ad gladium etiam, seu in gladiatorum ludum multi damnari solebant, vt pugnare inter se tanquam in duello deberent, qd pœnæ genus Constantinus sustulit in l. vnica. C. de gladiator. lib. 11.

SVMMARIVM.

1 *Patriciatus dignitate soluitur Patria potestas.*
2 *Consulari dignitate hodie tollitur etiam Patria potestas.*
3 *Quæ aliæ dignitates sint, quæ filium à Patria potestate liberant.*
4 *An pater habeat vsumfructum in bonis filij sui clerici, quæ post clericatum acquisita fuerunt.*

§. Filiusfamilias.

Tertio soluitur Patria potestas summa dignitate patriciatus filiofamilias collata. §. filiusfamilias hoc tit. l. fin. C. de cōsul. lib. 12. Patricij
1 olim apud Romanos dicebant, qui à primis illis parentibus, & senatoribus à Romulo conscriptis nati erāt quos in nullo magistratuum gradu collocarem, quia licèt à magistratibus descendant, non tamē erant necessario, & ipsi magistratus, vt tradit Pater meus in suo libello de Venet. & Roman. Magistratuum inter se comparat. num. 16. Postea sub Imperatoribus Patricij cęperunt dici cōsiliarij Imperatorum, quod quasi patres eorū
2 essent. d. §. filiusfamilias, sic Alexāder Imperator in l. ex diui. C. locat. Vlpian. I. C. patrem suum appellat. vel patricij, vt Suidas scribit quasi Patriæ, & communis Reipubl. Patres, dicebantur etiam ij Patricij Patres conscripti, q̄ in senatū cōscripti. i. allecti essent, de quibus Halicarnasseus lib. 11. De prima patriciatus dignitate text. noster non loquitur, licèt in numerum eorum aliquando Imperatores aliquos ascisere consueuerint, vt est apud Tacitum, sed de hac vltima, quam Imperatores posteriores summam dignitatem esse voluerunt ad quā nemo ascendebat, nisi eius fides, & industria fuerit in alijs dignitatib. approbata, vt post Io. de Platea firmat Pater meus dicto loco, & hæc dignitas eo ipso q̄ Imperiales codicilli præstiti sunt filium à Patria potestate liberat, vt dicitur hic in tex. nostro, Imperiales codicilli sūt diplomata lino traiecta, & complicata, quemadmodum in bullis videmus, & alijs priuilegijs, vel patentibus literis electionum ad magistratus, & officia. Ratio autem quare dignitate patriciatus filiofamilias collata tollatur patria potestas ea est secundum Imperatorem hic, quia absurdū esset, q̄ quilibet pater posset filium eximere à sua potestate, Imperator autem non posset eximere à potestate parentis, quem sibi in patrem elegit, inconueniensq. videretur si hi, qui ab Imperatore, vt Patres honorantur, reperirētur alieno iuri subiecti, & quāuis consularis dignitas olim non eximeret à patria potestate, vt hic tamē de iure nouissimo Auth. corrigitur. §. istę, sicq. hodie consularis dignitas filiū à patria potestate liberat, tum ratione

ratione dignitatis,cum conſules poſt maieſtatem Imperatoriam nomen ſuum tempori addant,qđ nihil aliud ſignificat, niſi quod dinumeratio annorum non ſolum fit ab annis Imperij,ſed etiam a conſulibus,vt notiſſimum eſt,tum etiam ratione abſurditatis cuiuſdam,vt is,qui tot hominibus præiturus eſt Imperio , totq. hominibus daturus eſt mandata ſub alterius poteſtate maneat , nec conſularis dignitas tantum hodie filium à Patria poteſtate liberat,ſed multæ aliæ etiã,quæ recenſentur in l.fi.C.de Decur.lib. 10.& in Auth. Conſtitutio, quæ de dignat. inter quas præ omnibus Epiſcopalis dignitas eminet,cum iuſtum non ſit, vt qui omnium ſpirituales patres ſunt in aliorum poteſtate maneant , ita tamen intellige, vt nihil inde filio decedat de commodis, quæ haberet,ſi in poteſtate manſiſſet.§.illud d.Auth.Cõſtitutio, quæ de dignat.ne dignitas ſit ei damnoſa.l.ſi longus.§.1.ff.de indic. nevè in eius odium,& detrimentum conuertatur, quod lex in gratiam,& ſingulari prærogatiua induſſit. l.quod fauore. C.de legibus,& ſic,vt procedat, & locũ habeat quoad commodum , non autem incommodum filij ſecundum Bart.in l.item in poteſtate,& Iaſ.in l.patre furioſo.ff.de his,qui ſunt ſui,vel alien.iur. Eodem modo filiusfamilias creatus S.R.E.Card.immunis eſt à Patria poteſtate glo. in extrauag.exe crabilis de præben.inter communes in verbo ſublimitatem, Barbat.in tract.de præſtant.Cardin. 1.par.q.1.nu.69. neque parentes vllum grauamẽ accipiunt,cùm in hoc releuentur, quòd fruuntur gloria,quàm ex honore filij concipiunt.d.Auth. conſtitutio,quæ de dignat.in fine, vbi glo.notat, quòd dignitas filij gloria,& laus patris eſt.

Addunt Doctores,quòd monachatio etiã filiũ à Patria poteſtate liberat, eodem modo in Denoſis,non in vtilibus,ita probat.tex.in l.Deo nobis in fine.C.de Epiſc.& Cler.per quem. tex. ita tenet Bald.in l.apud hoſtes.C.de ſuis,& legit.hæred.Bart.in d.l.item in poteſtate, Iaſ.in d.l.patre furioſo,Gomez.var.reſol.Tom.1.cap.3.nu.20.in fine,& omnes Inſtitutiſtæ hic. Doctoratus autẽ dignitas filium à Patria poteſtate non liberat,ſicut nec armatæ militiæ dignitas,tex.eſt hic,& ibi Porc. licet quantum ad Peculium Caſtrenſe, vel quaſi filius familias miles,vel Doctor loco patris familias habeatur.l.3.C.de Caſtren.pecul.lib. 12. idem eſt dicendum de Sacerdotio,& Clericatu, q.ſ.non liberant à patria poteſtate , intellige tñ quantum ad patrimonialia, & profectitia, ſecus quoad ſpiritualia beneficialia, & aduentitia etiã, quæ poſt clericatum fuerũt acquiſita, in ijs enim nullum vſumfructum pater habet. l.ſacroſanctæ, vbi Bald.& alij. C.de Epiſc.& Cler.not.Innoc. & Abb. in cap. quia nos de teſtam. Dec. in cap. in præſentia nu.64.de probat.& hoc ſiue occaſione militiæ clericalis,ſiue ex alio titulo quæſita fuerint,Caſtr.in d.l.ſacroſanctæ, Ioan.Lup.in Rubr. de donat.§.42.num.7.Couar.in cap. quia nos de teſtam.nu. 2. poteſtq. clericus in ſpiritualibus,& beneficialibus ſine conſenſu patris agere, cap. ſi annum de iudic.in 6. Item & quoad perſonam, vt percuti non poſſit,clericus.n.per ſacrum ordinem à poteſtate patris eximitur,notat Innocen. in cap.Indecorum de ætat.& qualitat.

SVMMARIVM.

1 *Captiuitate ſoluitur patria poteſtas.*
2 *Legis Corneliæ fictio.*
3 *Fictio poſtliminij.*
4 *Quid ſit poſtliminium.*
5 *Vnde dictum ſit poſtliminium.*

§. Si ab hoſtibus.

1 QVartò ſoluitur patria poteſtas captiuitate, quando.ſ.pater,vel filius in iuſto,& legitimo bello capitur ab hoſtib. §.ſi ab hoſtibus hoc tit.l.in bello. §.ſi quis. ff.de captiuis,& poſtlim.reuerſ.iuſtum,& legitimum bellum dicitur illud, quod per Pop.Rom. alijs, vel per alios Populo Romano indictum eſt, gloſ.hic in verbo ab hoſtibus, dixi ſupra in §. ius autem gentium, nu.5.de iur.natur.Gent.& ciuil.intellige,ſi captus apud hoſtes decedat,q tunc ſoluitur patria pote

2 ſtas,nam hoc caſu lex Cornelia fingit eum non præambula hora captiuitatis,vt communi ſcriptorum errore in l.ſi is,qui.ff.de vſucap.vſurpatũ video,ſed ſtatim eadem hora captiuitatis mortuum eſſe,filijſquè ab ipſa die captiuitatis ſui iuris fuiſſe cẽſentur.l.in omnib.ff.de captiu.&p oſtlim. reuerſ. At ſi reuertatur non ſoluitur patria pote-

3 ſtas, quia reuerſus per ius poſtliminij recuperat omnia ſua priſtina iura, ac ſi nulla captiuitas interueniſſet, fingiturq. in ciuitate ſemper manſiſſe tex.eſt hic,& in l.retro,& l.poſtlim. ff.de captiu. & c.Romani.n.quib. diſciplina caſtrorum,& militiæ antiqua fuit,vt dicit I.C.in l.poſtlim. §.filius. ff.de capt.& poſtlim.reuerſ.in fauorem eorũ,qui fortiter pugnando pro patria ab hoſtibus potius capi, q̃ fuga turpiter ſe eripere maluerũt,duas fictiones introduxerunt, vnam legis Corneliæ, alteram iuris poſtliminij,lex Cornelia,vt diximus, fingit captum ab hoſtibus prima hora captiuitatis mortuum fuiſſe,ius poſtliminij fingit captum ab hoſtibus,domumq. reuerſum nũquam captũ fuiſſe,ſed in ciuitate ſemper manſiſſe,ideo captiuitas potius ſuſpendit,q̃ tollat patriã poteſtatẽ, interim.n. ſpecto futuro euẽtu,reditus,vel mors eius, qui captus eſt in ſuſpenſo permanet, vnde ſi morit fingitur mortuus ex eo tẽpore,quo captus eſt,ſi reuertit fingit nunq̃ captũ fuiſſe. Prima fictio eſt legis Corneliæ,ſecunda eſt poſtliminij.

Quid ſit Poſtliminium.

4 POſtliminium eſt ius amiſſæ rei recuperandæ, & in ſtatum priſtinum reſtituẽdæ,inter omnes liberos populos,regeſquè,moribus,& legib.

con-

constitutum.l.Postliminium.ff.de captiu. & postlim.reuerl.vel secundum Theophil. est ius quoddam quod ijs,qui ab hostibus tedeunt,pristinam omnem conditionem restituit.

Vnde dictum sit Postliminium.

5 POstliminium dictum est à limine,& post eo quia captus liberatus ab hostium potestate ad idem postea limen reuertitur,quod amiserat. §.dictum est hoc tit. sicut enim diuina in domo ingressum,& egressum constituunt, ae finē quendam faciunt,ita Imperij finem limen esse veteres voluerunt, ideo & limen dictum est,quasi finis quidam,& terminus,vt inquit Imperator hic inde,& limitanei milites dicti sunt,qui constituuntur pro præsidio in liminibus Imperij, vt vicinorum inimicorum impetum arceant,& agri limitanei,qui deputantur, vt ex eorum fructibus limitanei milites alantur.l.fin.C.de fund.limitrophis, lib.11.hinc etiam liminarchæ dicti sunt custodes portuum,vnde ad inimicos fit transitus quos Aristoteles in politicis limenophylacas appellat.An autem hodie in christianis captis à turcis opus sit fictione legis Corneliæ,& Postliminij,dixi supra in §.serui autem el 2.de iure perso.ibi vide.

SVMMARIVM.

1 *Emancipatione soluitur patria potestas.*
2 *Vnde dicta sit emancipatio.*
3 *Hodie vnus tantum est emancipandi modus.*
4 *Quæ requirantur ad emancipationem.*
5 *Ex quibus causis filius inuitus emancipari possit.*
6 *Casus in quibus pater filium emancipare cogitur.*
7 *Pater potest filium emancipare, & nepotem retinere, & è contra.*
8 *Emancipationis effectus multi sunt.*

§.Prætetea, §.Admonendi, & §.Fin.

QVintò soluitur patria potestas emancipatione, quę est paternę potestatis relaxatio vtriusque,& patris, & filij interueniente cōsensu.
1 §.præterea hoc tit. l.emancipari. ff.de adopt. dictaq. est emancipatio quasi è manu,seu potestate
2 patris dimissio,& sicut in seruis manumissioné, ita in liberis emancipationem propriè dicimus.

Qualiter olim emancipatio fieret.

OLim emancipatio duobus modis fieri solebat,vel imaginaria quadam venditione,& manumissione, de qua Theophil. hic,& casus in suis institutionibus lib.1. cap.6. vel Imperiali rescripto. Hodie tamen explosa hac venditionum
3 fictione (nó functione,vt dubitat Accursius)vnus tm̄ est emancipādi modus,videlicet,vt pater recta via ad cópetentē iudicē intret vna cū filio,& declaret se velle,vt filius à sua potestate liberet, idque apud acta iudiciaria postea scribendum est tex.est hic in §.prætetea. & in l.pen. C.de emancipat.liber. & sic ad emancipationem requiritur.

Quæ ad emancipationem requirantur.

PRimò requiritur, vt fiat coram Iudice competenti,qui habeat aliquam iurisdictionem. l.fi.C.de emancip.liber.ad eo quidem,vt si fieret coram Notario non valeret,secundum Dec.cōs.
4 13.& Aldobr.hic nu.15.& si pater alicui iurisdictioni præsit coram ipso etiam filij emancipatio fieri potest.l.4.ff.de adopt.& si filius similiter alicui iurisdictioni præsit apud seipsum emancipari potest.l.3.ff.de adopt. Ratio est,quia cum simus in ijs,quę sunt voluntariæ iurisdictionis,quę à iudice inter volentes duntaxat exercentur,& super eo in quod ab illis mutuo consensum est.l.3.ff.de offic.procons. & legat. non potest cadere repugnātia,quòd quis ius sibi in causa propria dicat. l.qui iurisdictioni. ff.de iurisdict. omnium iudic. ideo in contentiosa iurisdictione,quæ in inuitum redditur aliud omnino dicendum est,propterea si essemus in emancipatione,quæ est cōtentiosę iurisdictionis,vtputa,quia vel filius vellet cogere patrem,vt eum emancipet,vel pater vellet inuitū filium emancipare ex causis,de quib. videbimus infra, talis causa non posset cognosci, nec apud patrem,nec apud filium,etiam si iurisdictioni alter eorum pręesset,Aldobr.hic nu.33.post Iaco. de Rane.& Alberic.in d.l.3.ff.de adopt. Secundo requiritur,quod emancipatio apud acta insinuetur hoc est scriptura super ea conficiatur. l.pen. & ibi glo.C.de emācip.liber.quæ si fuerit amissa, tenor eius testibus postea probari poterit, Bart. & Bald.in l.ne in arbitris.C.de arbitr.Dec.in cap. quondam contra in fi.extra de probat.Tertio requiritur,consensus filij emancipandi,nam inuitus emancipari non potest,secundum tex.in l.penul. C.de emancip.liber.ex causa tamen poterit filius etiam inuitus emancipari, veluti si filius esset ri-
5 xosus,& pater ex lege municipali teneat soluere condemnationem pro eo, Ias.& Ang.in l.vtrum. ff.de verb. oblig. & generaliter ex omnib. causis, ex quibus filius potest exhæredari, de quibus in §.Aliud quoque capitul.Auth. vt cum de appell. cognoscit, ex omnibus illis etiam poterit inuitus emācipari,ita Doct.omnes in §.fi.hoc tit.nostro. Quarto requiritur,consensus etiam patris emancipantis,quia nec ipse inuitus ad emancipandum filium cogi potest.§.fi.hoc tit. nostro. Fallit tamē in quatuor casibus relatis per glo. hic in d.§.fin. Primus casus est,quādo pater vltro agnonit legatum relictum sub modo,vel cōditione,vt filium emancipet.l.si cui,vbi Bart.& Doct.ff.de cond.& demonstr.Secundus casus est,quando adrogatus
6 impubes dāno sibi esse probat in patentis adoptiui potestate manere,tunc enim iudex causa cognita patrem ad emancipandum filium cogere potest.l.nonnunquam 32.ff.de adopt. dixi causa cognita,

cognita, quia iudex non temerè ad petitionem adoptiui filij compellere debet patrem, vt eum emancipet, sed ita demum si diligenti causæ cognitione adhibita, & cunctis perpensis, intelligat, adoptionem filio non expedire, quid enim si iuuenili leuitate ductus, & effrenatæ libertatis auidus, se postulet filius emancipari? tertius est casus, si pater malè, & contra pietatem in filium sęuiat. l. fin. ff. si quis à parent. fuer. manumiss. Quartus est, si pater leno sui sanguinis impurè factus peccandi necessitatem filiabus suis imponat. l. si lenones. & ibi Alberic. & Salic. C. de Episc. aud. l. fi. C. de spectac. lib. 11. In hoc tamen casu Aldobran. in d. §. fi. existimat non esse necessariā emancipationem, sed re, & causa Episcopo patefacta, statim eius authoritate patres priuandos esse patria potestate, filias ab eis separandas, & saluti earum prouidēdum, adde vna cum Doctoribus, vt etiā pater ad emancipandū filium cogi possit, propter omnes illas causas, propter quas, & filius ipse patrem exhæredare potest, cum correlatiuorum eadem sit natura. l. fin. vbi notant omnes. C. de indict. viduit. tollend.

An Pater filium, & nepotem simul emancipare possit.

7 Pater non modo filiū emancipare potest, sed etiam nepotem tex. est hic in §. præterea, itē & vnum tantum emancipare, & alterum retinere, veluti filium emācipare, & nepotem retinere, aut è contra nepotem emācipare, & filium retinere. §. admonēdi hoc tit. & quia dubium esse poterat de filijs conceptis, ante emancipationem patris, an essent in potestate aui, vel patris, ideo decidit Imperator in §. fin. hoc tit. nostro, quòd concepti ante emancipationem, remanēt in potestate aui, concepti verò post emancipationem, remanent in potestate patris emancipati.

Qui sint effectus emancipationis.

Primus effectus emancipationis est, solutio patriæ potestatis, ita quod filius postea suo nomine libere cōtrahere, testari, & omnia agere potest, sicut paterfamilias. Secūdus effectus est, qđ filius acquirit plenum dominium. i. proprieta-
8 tem, & vsumfructum in bonis aduētitijs, excepta dimidia parte vsusfructus, quæ ipsi patri, velut in præmium emācipationis reseruatur. l. cum oportet. §. fin. C. de Bonis, quæ liber. Tertius effectus est, quod eadem iura post emancipationem pręstantur parenti in bonis filij, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. d. §. præterea in fi. & ibi gl. verum, quia ex hac æquiparatione facta per Imperatorem hic, inter patrem emancipantē, & patronum, videri poterat, quòd nō esset differentia inter eos glo. ne talis æquiparatio animos iuuenū deciperet, suppleuit quasdam differentias, q̄ sunt inter patrem emancipantē, & patronum, de quibus vide apud eam, & Aldobrandinum in d. §. præterea, à num. 39. vsque ad num. 52.

SVMMARIVM.

1 *Adoptione soluitur patria potestas facta ab ascendente.*
2 *Quatuor alij casus sunt in quibus soluitur patria potestas.*
3 *An filiafamilias nupta liberet à potestate patris.*
4 *In quibus vxor dicatur esse in potestate mariti.*

§. Sed & si pater.

Sextò soluitur patria potestas adoptione, facta ab ascendēte, adoptatus. n. ab auo paterno, vel materno, vt supra quoque, in §. sed hodie,
1 dictum est, in adoptantis potestatem transit ex iusta patris sui naturalis potestate tex. est hic in §. sed & si pater cū quo cōcordat. l. in adoptiuis, & l. fi. C. de adop. Prędictis adhuc quatuor, alios addite modos, quib. similiter patria potestas soluit.
Primus est propter crimen hæresis patris cap. 2. §. illorum de heret. lib. 6.
2 Secundus est, quando pater incestas contrahit nuptias, Auth. incestas, C. de incest. nupt.
Tertius est, qn̄ pater, vel alius eius nomine languidum filium exposuit cap. vnico, & ibi Abb. & Doct. de infantib. exposit. l. 2. & ibi Ang. C. de infant. exposit. summa Syluestr. Ang. Arm. & aliorū in verbo expositi. Clar. tract. crimi. §. fi. q. 83.
Quartus est, quando iniustè denegat alimenta necessaria filio, necare enim videtur non tantum is, qui partum abijcit, sed etiam qui alimenta denegat. l. necare. ff. de liber. agnosc. tradit Abb. in c. ex literis de conuers. infidel. & confert text. in c. Pasce 86. distinct. vbi D. Ambrosius inquit. Pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominē seruare poteris, si non paueris fame occidisti, vnum restat videndū an filiafamilias, & nupta liberetur à potestate patris, in qua quæstione, communis Doctor. conclusio est, quod filiafamilias
3 nupta remaneat in potestate patris, quantum ad effectus patriæ potestatis. s. de quib. in tit. de patr. potest. diximus, ita probat tex. in l. si vxor. C. de cōdit. insert. in l. patri iuncta. l. nec in ea. ff. ad l. Iul. de adult. & inf. de S. C. Tertull. in princ. ideo secūdum Porc. Ang. & alios ibi, viuente patre, nec testamentum condere, nec sine cōsensu patris, mortis causa, donare potest, itē acquirit vsumfructū patri ex bonis aduentitijs, non autē ex bonis mariti. d. l. si vxor cum ibi notat, in multis tamē vxor dicitur esse in potestate mariti, & primo quātum ad obsequia matrimonij, secundo quantū ad operas, tenetur. n. vxor pro conditione suæ personæ
4 marito operari, in his maximæ, quæ ad sustinendam rem domesticam pertinent tex. est, & ibi gl. in l. sicut. ff. de oper. libert. Tertio quoad residentiam, quam debet facere cum viro, & maritum sequi cap. vnaquæque, & ibi glo. 13. q. 2. Quarto quoad

quoad iurisdictionem, seu forum. l. exigere dotē. ff. de iudic. Quinto quoad vindicationem, vigore enim, & ratione potestatis maritalis, maritus vxorem à patre, vel alio sine iusta causa detentā, vindicare pôt. l. si inuita, & ibi Cyn. C. de nupt. Abb. post glo. in cap. literas de restitut. spoliat.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Personæ sui iuris, aut sunt sub tutela, aut sub cura, aut neutro iure tenentur.*
3 *Cognito vno ex contrarijs cognoscitur, & alterū.*
4 *Concordantes tituli.*

DE TVTELIS.

Titulus XIII.

HIC Iustinianus proponit alterum membrum diuisionis supra positæ, quod vsque
1 ad finem huius primi libri persequitur, dixerat. n. in tit. de his, qui sunt sui, vel alien. iur. ibi secundā personarū diuisionē ponens, qđ quædā personæ sunt alieni iuris, & quædā sui iuris, & quia de his, q̄ alieni iuris sunt, hactenus, à d. tit. vsq; in fi. pertractauit, ideo nūc incipit de his, q̄ sui iuris sunt.

Quæ personæ sui iuris esse dicantur.

1 PErsonæ sui iuris, aut sunt sub tutela, vt impuberes 14. ann. aut sub cura, vt puberes maiores 14. ann. & minores 25. aut neq; sub tutela, neque sub cura, vt quæ neutro iure tenentur, verum quia cognitis ijs, quæ sub tutela, & cura sūt, facilè ex natura contrariorum cognosci possunt, quæ neutro iure tenentur, cum cognito vno ex
3 contrarijs, cognoscatur, & aliud, vt hic in principio tit. nostri, ideo de prioribus tantum se dicturum proponit Imperator, & quia tutela præcedit curam, vt impubes puberem, naturę, & ætatis ordinem secutus Imperator primū de tutelis generali tractatu differit, & concordat cum hac rubr.
4 tit. ff. de tutel. C. de testam. tutel. Auth. vt sine prohibitione matres, & Auth. de hæred. ab intest. venient. §. ex his collat. 9. & in iure canonico 87. distin. in cap. defenbonis, & 88. distin. in cap. Episcopus, cum subsequentibus.

SVMMARIVM.

1 *Tutela quid sit.*
2 *Verbum, vis, & potestas, in definitione positum, qualiter accipiatur.*
3 *Verbum in capite libero positum in definitione, præter alios declaratur.*
4 *Vnde dictus sit tutor.*
5 *Quæ requirantur ad tutelam.*
6 *Quæ requirantur antequam tutor res pupilli administrare valeat.*
7 *In quo consistat officium tutoris.*
8 *Vbi pupillus educari debeat.*
9 *Quotuplex sit tutela, & quo ordine tutores vocentur.*

In Principium tit. & §. Est autem.

Quid sit Tutela.

1 TVtela, est vis, atque potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, iure ciuili data, ac permissa. §. est autem hoc tit. l. 1. ff. eod. multa circa hanc definitionē Accurs. multa Doctrr. nimium à re abhorrentia, & cum maximo digressu retulerūt, nos breuitati, & vtilitati studentes, singulaq. verba ip-
2 sius definitionis percurrentes, dicamus, & primo quòd verba illa, vis, atque potestas non pro violenta potestate accipi debent, vt interpretes opinantur, neque pro virenti, seu viridi, & non infructifera potestate, vt Barron. in d. l. 1. ff. eod. neque pro iure, vt Alciat. Parer. iur. 1. cap. 28. sed vis pro facultate, & possibilitate vsurpatur, & sic eiusdem ferè significationis est vis, cuius est potestas, in hoc saltem distantes quod per vim indicatur facultas, quam ex ingenuitate quis habet, vt tutelę munus subire concedatur, per potestatem verò facultas illa legibus data ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, sequuntur illa verba, in capite libero, vt ostēdatur quod ista potestas, & facultas non competit seruis, cū tuto-
3 res non possint esse serui, vt infra tit. proximo in princ. & in l. in seruili. C. q. dare tut. vel curat. poss. ponuntur postea illa verba, ad tuēdum, vt excludatur patria potestas, & dominica etiam, nam vtraque est vis, atq; potestas in capite libero, sed non simpliciter ad tuendum, & defendendum, sicut tutela, inde tutores quasi tuitores, seu defensores dicti sunt, vt hic in tex. nostro, & in d. l. 1. ff. eod. sicut editui, qui ædes tuentur, filij enim dum pater viuit, in eius potestate manent, at mortuo patre succedit alter quasi parens, cuius fidei, & curæ lex, & magistratuum auctoritas, imbecillā ætatem gubernandam committunt, tutor à tuendo sic dictus, additur deinde ad tuendum eum, vt excludat curationem, quę datur ad tuenda bo-
4 na, non personam. l. in copulandis. C. de nup. tutor enim principaliter datur personę pupilli, & in consequentiam rebus, eius gerendis, curator autem principaliter datur rebus, & bonis, & non personæ minoris, vt inf. in tit. de curat. videbimus subdit, qui per ætatem se defendere nequit, vt ostendat, quid intersit inter tutorem datū pupillo, & datum furioso, nam curator furioso quidem datur ad tuendam personam, & bona, in quo est vis, atque potestas in capite libero ad tuendū eū, sed non eum, qui per ætatem, sed eum, qui propter furorem se defendere nequit. l. si furioso. ff. de curat. furios. demū apponuntur illa verba, iure ciuili, ad differentiam tutelæ proprij corporis,

quæ

quæ iurisgentiũ est, his additur data, ac permissa, data.s.personæ, permissa secũdario rebus, vel data, quia quidam tutores à lege ipsa dantur, vt sunt legitimi, & quidam dantur à testatore, vel iudice, permittente lege, vt sunt testamentarij, & datiui de quibus infra suo loco videbimus.

Quæ requirantur ad tutelam.

QVatuor requiruntur, ad hoc, vt tutela valeat, duo ex parte pupilli, & duo alia ex parte tutoris.

Quæ requirantur ex parte pupilli.

PRimò ex parte pupilli requiritur, quod ipse sit sui iuris, vt hic in principio tex. nostri, ideo seruo tutor dari non potest, cũ sit potestati
5 Domini subiectus, glo.in §.est autem, in verbo, libero hoc tit. nec filiofamilias, qui in potestate patris est, secundum glo. hic in princ. tex. in verbo, non sunt, secundò etiam ex parte pupilli requirit certa ætas. s. vt masculus sit minor 14. ann. fœmina 12. infra in principio, quib. mod. tutel. finit.

Quæ requirantur ex parte tutoris.

PRimo ex parte tutoris requiritur, quod sit liber, vt supra quoq; in diffinitione diximus, secundo requiritur, quòd sit perfectæ ætatis hoc est 25. ann. ita interpretatur glo. in §. fi. infra de Fiduc. tutel. & optimè probat tex. in l. fi. C. de legit. tutel. id quod, & in curatore locum habet, vt in d. §. fi. infra de Fiduc. tutel. habetur.

Quæ requirantur antequam tutor res pupilli administrare valeat.

QVinque necessaria sunt, antequam tutor res pupilli administrare valeat, de quibus habemus in tit. ff. & C. de administrat. tut. quæ in quacunque tutela, tam testamentaria, quam legitima, & datiua, locum habent, ideo diligenter sunt obseruanda.

Primò requiritur decretum iudicis, vt. s. decernatur ei administratio à iudice, gl. in l. legitimos, ff. de legit. tutor. & hoc in testamentario tutore intellige locum habere, dummodo testator non concesserit licentiam tutori propria auctoritate administrandi bona pupilli, nam hoc testator facere potest, vt not. Bart. in d. l. legitimos.

Secundo debet tutor antequam administret, inuentarium, seu repertorium omnium rerũ pupillariũ conficere requisito ad id publico Tabel-
6 lione, l. tutor qui repertorium, ff. de administrat. tut. l. tutores, C. eodem tit. forma huius inuentarij traditur in l. vlt. C. de iur. delib. s. vt in eo describi debeant omnia bona mobilia, & immobilia, corporalia, & incorporalia, omnesq; aliæ pupilli res, & licet ea lex loquatur in inuentario rerum hæreditariarum, idem tamen est etiam seruandum in inuentario rerũ pupillarium cum in vtroq. eadem sit ratio, l. 3. §. tutores, ff. de suspect. tut. & adeò hoc est necessarium in tutore, vt si inuentarium non fecerit, præsumatur in dolo, & tanquã suspectus ab officio tutelæ remoueri debeat, l. fi. in fi. C. arbitr. tutel. teneturque ad omne interesse pupilli per iuramentum præstandum, d. l. tutor, qui repertorium eod. tit. de administrat. tut. nisi sit tutor testamentarius, & ei testator specialiter confectionem inuentarij remiserit, d. l. fin. C. arbitr. tutel. & si maiora in hac materia inuentarij videre cupis, legas Sebastianum Monticulum Clarissimum Iurisconsultũ huius Patauini Studij Decus, & ornamentum, in suo eleganti Tract. de inuentar. ad quem me remitto, ibi enim copiosè videre poteris. Tertiò requiritur satisdatio per fideiussores, qua caueatur rem pupilli saluã fore, à qua tamen excipiuntur tutores testamentarij, & illi etiam, qui à maioribus iudicibus ex inquisitione dati sunt, hi enim propter approbatã eorum fidem à testatore, aut iudice ad satisdationẽ non compelluntur, vt infra in tit. de satisd. tut. dicemus. Quartò debet tutor iuramentum etiam præstare de faciendis vtilibus, & omittendis inutilibus in administratione, §. fin. Auth. vt hi, qui obligãt se habere perhib. res min. collat. 6. Quintò vltra iuramentum, requiritur etiam promissio de defensione pupilli tam in iudicio, quam extra l. fin. §. defensionem cum ibi not. C. de administr. tut. & hæc sunt, quæ facere debet tutor, antequã administrationẽ rerum pupilli suscipiat. Animaduertendum tamen est, quòd licet regulariter non valeant gesta per tutorem antequam omnia prędicta fuerint adimpleta, tamen si aliqua perirẽt, & dilationem non reciperent, periculumq. esset in mora, tunc etiam non interuenientibus prædictis per tutorem expediri possent d. l. tutor, qui repertorium in principio, ff. de administra. tutor. Ratio est secundum Bart. in d. l. legitimos Angel. & alios infra de legit. tutel. quia ea quæ dilationem non recipiunt, & in quibus periculum est in mora, non subiacẽt ordinarijs legum dispositionibus, hinc Abb. in cap. fin. col. 2. de Eccles. ædific. inquit, quod si imminet necessitas alienãdi bona Ecclesię Cathedralis, & exigit tantam celeritatẽ, vt Romanus Pontifex Consuli non possit, potest Episcopus (inconsulto Pontifice alienare) non obstante iuramento de non alienando eo inconsulto sequit̃ Hippol. de Marsil. in l. 1. §. præterea, colum. antepenult. ff. de quęstionibus.

In quo consistat officium Tutoris.

VIdimus præambula administrationis, & quæ eam præcedere debẽt, nunc de administratione ipsa, & in quo consistat tutoris officium videamus.

Primò igitur, & principaliter ad administrationem, & officium tutoris pertinet cura morum pupilli,

pupilli, vt ipsum rectè instituat, eique de honesta disciplina prospiciat, l. cum plures 12. §. cum tutor. ff. de administrat. tutor. vt ei alimenta præstet quorum summam prætor secundum vires facultatum moderari debet, l. 1. C. de aliment. pupill. præstan. & l. 3. in princ. ff. vbi pupill. educar. deb. hoc secundum intellige, dummodo pupillus sufficientes facultates habeat, nam alias tutor pupillum de suo alere non cogitur, vt dicitur in d. l. 3. §. fin. imò si post decretam certam alimentorum summam, pupillus ad egestate peruenerit, diminui debent quæ decreta sunt, quemadmodũ & augeri solẽt, si quid patrimonio accesserit, d. l. 3. in fi. Tertio tutoris officium consistit in defensione pupilli, tàm in iudicio, q̃ extra, l. tutoris 30. ff. de administrat. tut. Quarto ad officium tutoris spectat administratio rerũ pupilli, item vt pro eo promittat, & soluat, l. generaliter 10. ff. de administr. tut. licet. n. tutor principaliter personæ detur, in consequentiam tñ rebus ipsius etiam dari intelligitur, & cum in personam ipsam potestatem habeat, æquum etiam est, vt in res eiusdẽ habere debeat. Quinto, post finitã tutelã, tutor pupillum admonere debet, vt curatorẽ sibi dari petat, l. ita aũt 5. §. si tutor. ff. de administ. tut. & ibi Bart. not.

Vbi pupillus educari debeat.

EXtat de hac re Titulus, in ff. & C. vbi Pupillus educari debeat, dicamus igitur, quòd si quæratur, vbi pupillus morari, & educari debeat,
8 inspiciendum est in primis, an testator in testamento hoc expresserit, & tunc voluntas eius seruanda est, à qua tamen quandoq. etiam iudex ex iusta causa de nouo emergẽte, recedere poterit, vt dicitur in l. 1. ff. vbi pupill. educari deb. sed si pater nihil disponit, in hoc casu pupillus apud matrẽ educari debet idonee, si innupta maneat, l. 1. C. eod. qđ si secundo nupserit, vel mortua fuerit, iudex postea, cognita causa, ex qualitate personę ex conditione, & tempore statuere debebit, vbi pupillus educari debeat, d. l. 1. ff. & C. vbi pupill. educari deb. exemplum huius rei habemus in l. 2. C. eod. ibi enim quæstio erat, an nepos apud patrem matris, vel apud fratrem patris morari deberet, & responderunt Imperatores id ex singulorum affectione, & qui magis ad suspicionẽ ex spe successionis propior sit æstimandum esse.

Quotuplex sit Tutela.

TVtela, secundum gloss. hic in verbo permissum, triplex est, scilicet, Testamentaria, Legitima, & Datiua.

Quid sit Tutela testamentaria.

TEstamentaria Tutela est, quando parentes filijs suis impuberibus, quos in potestate habent, testamento tutorem constituunt, qui ipsis defunctis, eorum defensionem suscipiat, & de hac habetur infra in §. permissum hoc titulo nostro, & in titulo sequenti.

Quæ sit legitima Tutela.

LEgitima Tutela est, cum Tutor à lege datur.

Quotuplex sit legitima Tutela.

LEgitima Tutela quatruplex est, Legitima agnatorũ, Patronorũ, parentũ, & fiduciaria, de quib. omnib. singuli, & separati tituli extant, vt infra suo loco videbimus, diciturq. legitima hæc Tutela, eo quia à lege datur proximis consanguineis, non extantibus testamentarijs Tutoribus.

Quæ sit Datiua Tutela.

9 DAtiua Tutela est, quæ à Iudice datur, nullis enim extantibus testamentarijs, neq; legitimis tutoribus, à Iudice Tutores impuberibus dantur, vt infra de Attilian. tut. videbimus.

Quo ordine Tutores vocentur.

PRimo loco vocantur testamẽtarij, præferunturq. omnib. alijs tutoribus, nec dignitas est illa, quæ testamẽtarios præferri faciat, sed electio paterna, de qua lex plurimũ confidit, cùm nemo vnquam præsumatur capere melius cõsilium pro filio, quàm pater, nullusq. alius affectus paternũ vincat, l. fin. C. de curat. furios. in princ.

Secundo loco, vocantur legitimi, de quib. post testamentarios lex magis confidit propter præsumptam affectionem, q̃ agnati inuicem habent.

Tertio loco, veniunt datiui, qui. s. à Iudice dant, de quo lex in defectũ confidit, vt inquirat personam, cuius fidei, & curæ animus impuberis instituendus, & formãdus tradi possit, de testamentaria Tutela tractat in hoc tit. in §. permissum vsque in fi. & in tit. seq. de legitima habetur inf. in tit. de legit. agnat. tutel. vsque ad tit. de Attilian. tut. de datiua in d. tit. de Attilian. tut. per totum.

SVMMARIVM.

1 *Qui possint in testamento tutores dare.*
2 *An fœmina tutorem dare possint.*
3 *Quid de Matre.*
4 *An extraneus in testamento tutorem dare possit.*
5 *An ascendentes descendentibus.*

DE TESTAMENTARIA TVTELA.

§. Permissum, & §. itaque.

Qui in testamento tutores dare possint.

1 PRimò, parentes liberis suis impuberibus, quos in potestate habent, tutores in testamento

mento dare possunt, §.permissum, hoc tit.l.1.ff. de testamen.tutel.dixi,quos in potestate habent, quia fœminæ, quæ liberos in potestate non habent, vt supra diximus in §.fœminæ, de adopt. tutorem in testamento dare non possunt, ideo mater filijs suis tutorem in testamento dare non poterit, quod si dederit est distinguendum, nam aut filium etiam simul hæredem instituit, aut nõ.

3 Primo casu, si filium hæredem instituit, tunc
licet datio tutoris ipso iure non valeat, tamen à Iudice, modica inquisitione adhibita, confirmari debet, quasi rei illius, quam reliquit, tuitor, ac conseruator magis, quàm propriæ personæ sit, l. mater, & ibi glo. C. de testam.tutel. not.Bart.in l. naturali, nu.2.ff.de confirman.tut.

Secundo casu, si filium hæredem non instituit, tunc est in potestate Iudicis, an tutorem confirmare velit, & hoc, cum causæ cognitione, magna, ac diligenti inquisitione facere debet, l.2.vbi glo. & Bart.not.ff.de confirman.tut.sed illusoria, & ridicula videtur hæc obseruatio, cum nullus casus contingere possit, quo filio à matre tutor testamentarius dari non possit, cum semper debeat filius à matre institui, æqualisque patris, & matris circa filiorum institutiones sit obligatio, l.1.& 4. ff.de inoffic.testam.quare dicendum est, necessario hoc procedere, quando mater filio ampliorem hæreditatis partem reliquit, quàm futura sit legitima, pro qua re animaduerto, ꝙ nemo iure ciuili attento ex eo actu, ad quem necessario tenetur, reportaturus est meritum, cum necessitas meritũ non habeat, sed voluntas, l.si seruo fideicommissariam, ff.de hæred.institut.l.vnum ex familia, §.1.ff.de legat.secundo, dicitur autem casus necessarius, qui, vt hic noster, immediatè nõ prouenit ab actu voluntario, Bal.in l.magis. §.pupillo, ff.de reb.eor.& ita coactus dicitur non solum, qui manu alterius coactus est, sed etiam, qui ciuiliter per alium compelli potest, l.1.§.necessario, ff.si mulier ventr.nomine, existimo ergo sola legitima relicta filio, non potuisse matrẽ relinquere tutorem testamentarium, sed solum si alia bona relinquat, & ita procedunt iura superiora, cuius rei ratio, est quam modo diximus, & etiam, quia qñ filius solam legitimam habet, non tam dr̃ à matre aliquid recipere, q̃ ab ipsa lege, nec ipsa de suo dare, sed necessario relinquẽdum soluere, & filius rem debitã recipere, l.1.C.de his, qui ante apert.tab.l.nihil.§.1.ff.de bon.liber. quapropter appellarunt iura creditorem filium, l.1.C.de imponen.lucrat.descript.lib.10. Accurs. in Auth.de hæred.& falcid.§.si quis nõ implens in verbo auferre, & in Authent.de Triente, & semisse, §.1.in verbo, debitum, idem est dicendum de quolibet
4 extraneo, qui impuberem instituit hæredem, vt.s.
possit ei tutorem in testamento dare, qui tamen cum inquisitione confirmari debet, l.si patronus cum l.sequenti.ff.de con firm.tutor.secundo, omnes ascendentes descendentib.vsque in infinitum tutores in testamento dare possunt, dummodo,
5 vt dicit Imper.in d.§.permissum, in patris sui potestatem recasuri non sint, ideo nepotes ex testamento aut tutorem habere non possunt, quoties pater eorum viuit, quia mortuo auo in potestatem patris sui recasuri sunt, §.itaque hoc tit.

S V M M A R I V M.

1 *Quibus in testamento tutores dari possint.*
2 *Appellatione liberorum nepotes etiam contineri.*
3 *An filio emancipato tutor à patre dari possit.*
4 *Quid de filio naturali.*
5 *An tutor confirmatus sit datiuus, vel testamentarius.*
6 *Quæ requirantur ad hoc, vt tutoris datio in testamento facta valeat.*

§. Cum autem, & si.

Quibus tutores testamento dari possint.

PRimò tutores dari possunt filijs impuberib. in potestate existentibus, d.§.permissum. Secundo, nepotibus, & reliquis descendentibus
1 impuberibus, si sint in potestate dantis, & in patris sui potestatem recasuri non sint, vt supra in d.§.permissum, declarauimus.

Tertiò, nõ solum filijs iam natis, sed etiam nascituris, & sic posthumis tutor à patre in testamẽto dari potest, §.cum autem, hoc tit.& adeo hoc
2 verum est, vt quamuis simpliciter quis tutorem
filijs suis daret, nihilominus, & posthumis datus intelligitur, cum & ipsi filij sint, filiorumq. appellatione veniant, tex.est in §.fi.infra tit.proxim.obseruandum tamen est, quibus verbis tutoris datio fiat, nam si filijs datus sit tutor, censetur datus tam natis, quàm posthumus, tam masculis, quam fœminis, nepotibus, autem non, sed si liberis datus sit, tunc etiam nepotibus natis, & posthumis, masculis, & fœminis datus intelligitur, liberorũ enim appellatio latius patet, quam filiorũ, l.liberorum ducentesima vigesima, ff.de verb.signific.

Sic etiã si datus sit posthumis, omnib.descendentib.posthumis masculis, & fœminis datus intelligitũ, tex.est in d.§.fi.inf.tit.proxi. & in l.si quis filiabus, & in l.quid si nepotes, ff.de testam.tutel.

At si filiabus datus sit tutor, tunc censetur quidem datus etiam filiæ posthumæ, quia filia est, sed non filio posthumo, masculinum enim concipit fœmininum, non è contra, fœmininum concipit masculinum, vt propriè in tutelę datione loquitur tex.in l.si quis ita, ff.de testamen.tutel. in princ.& in l.si ita scriptum, ff.de legatis secundo, exemplo enim turpissimum est, fœminino vocabulo masculos contineri, irrisionisq. species quędam apud veteres erat, quoties masculus fœminino vocabulo vocabatur, quasi tunc mollis, & effœminatus indicaretur, id quod in nubib. Aristophanes vsurpauit, vt aduertit Alciat.lib.3. Parerg.iur.cap.48.

Quartò etiam filio emancipato in testamento à patre tutor dari potest, licet enim datio ipsa de
3 rigore iuris non valeat, cum emancipatus in potestate dantis non sit, tamē à iudice omnino etiā sine inquisitione confirmari debet, §.fin.hoc tit. nostro, & l.1.§.qui à patre, ff.de confirm. tutor. quamuis enim solutum sit vinculum ciuile patriæ potestatis, remanet tamen naturale illud vinculum affectionis, & amoris paterni, existimātes.n. leges, neminem vtilius cōsilium excogitaturum esse, quam patrem voluerunt ad conseruandum iuris ciuilis rigorem, dationem per se quidē non valere, arctari tamen iudices ad confirmandum tutorem à patre in testamento datum, de eiusq. moribus, & facultatibus non esse inquirendum, indignum putantes, paternum testimonium alia inquisitione egere, sicq. pro satisdatione, & inquisitione paternū testimonium sufficere voluerunt, l.de creationibus, C.de Episcop.audient.

Limita, quando spatium aliquod temporis intercessit à die cōditi testamenti, & dationis tutoris ad mortem, quia tunc inquirere debet iudex, an ex aliquibus coniecturis appareat, patrem recessisse ab illa volūtate, & electione, an tutor datus illo tempore intermedio lapsus sit facultatibus, an mores mutauerit, vel saltem dissimulata improbitas apparuerit, aut inimicus patris effectus fuerit, quibus casibus nō confirmabitur, l.in confirmando, ff.de confirm.tut. idem dicendum est, si cum fisco in eius damnū contraxerit, puta nimis carius emendo vectigalia, vel alios damnatos, & periculosos cōtractus fecerit, l.vel cū fisco ff.de cōfir.tut. æquitas.n.naturalis dictat, vt ptor sequatur testatoris voluntatē in ijs, quę sciuit, qđ si ignorauerit, sequitur prætor iudicium suū, l.vtilitatem pupillorū, ff.de confir.tuto. sicut in simili dicimus, quod prætor recedit à voluntate patris in statuendo, vbi pupillus educetur, l.1.§.1.ff.vbi pupil.educar.deb. & dicunt Doct.in l.fi.C.arbitr. tutel. qđ quāuis pater prohibuerit tutori confectionē inuentarij, quod facere potest, secundum tex.in d.l.fi.C.arbit.tut.tū si iudex cognoscat expedire pupillo, quod fiat, coget tutorem ad cōficiendum inuentarium cōtra voluntatem patris.

Quintò, licet etiam filio naturali in testamento tutor à patre naturali dari non possit, cum in eius potestate non sit, vt supra in titulo de patria potest. dictum fuit.

4 Tamen valet datio si à iudice cōfirmetur, l.naturali, ff.de confir.tut. sed an confirmari debeat cum inquisitione, vel sine inquisitione, dic, quod aut pater eum instituit hæredem, aut non.

Primò casu quando eum hæredem instituit, distingue, aut filius naturalis non habet alia bona, & confirmatur sine inquisitione, aut habet alia bona, & confirmatur, sed in bonis, quæ habet à testatore, decernitur tutori administratio sine inquisitione, in alijs non decernitur, nisi cū inquisitione, l.fi.C.de confirm.tur. notat Bart.in l.naturali, §.si quæratur, nu.2.ff.de confirm.tutor.

Secundo casu, quando eum non instituit hæredem, non confirmatur sine inquisitione, d.l. naturali in principio.

Sed an tutor sic confirmatus, sit datiuus, vel testamentarius, tradit glo. & tradunt Doct.in §.fin. hoc tit. nostro, quorum opinio communis est, quòd sit Datiuus, sapiat tamen naturam testamentarij, maxime in duobus.

Primo, quia non tenetur satisdare rem pupilli saluam fore, sicut alij datiui tutores, l.qui à patre, ff.de confirm.tut.

Secundò, quia Datiuus excusando se à tutela, non perdit legatum relictum in testamento, sed confirmatus excusans se à tutela amittit legatum sicut testamentarius, l.Nesennius cum seq. ff.de excusat.tut.

Dubium est, an talis tutor sic confirmatus, cū Datiuus sit, secundum communem opinionē, de qua diximus, præferatur legitimo tutori, glo.hic in §.fi.tenet legitimum præferri, cuius opinio tū ab omnibus communiter reprobatur, vt testatur Aldobrand.in d.§.fin.nu.32.ea ratione, quia certum est, quòd quoad prælationem ante omnia, lex sequitur iudicium testatoris.

Secundò, prę sumptam affectionem proximiorum agnatorum.

Tertiò, fidem iudicis, & hoc ordine voluit Imperator deueniri ad dationem tutoris, vt patet ex ordine titulorum, sed tutela cōfirmata, habet totum fundamentum suum in iudicio patris, & testatoris, l.de creationibus.C.de episc.audien. & l.Nesennius.ff.de excusat.tutor. ergo debet præferri præsumptæ affectioni agnatorum, nec dicatur, legitimus præfertur datiuo, sed tutor confirmatus secūdum communem opinionem, est datiuus, ergo, quia respondeo, hoc verum esse in merè datiuo, sed ille, qui habet testimoniū testatoris pręfertur propter mixtionē naturę, vt declarat Bald.in l.si vt proponis.ff.de administr.tutor.

Quæ requiruntur ad hoc, vt valeat datio tutoris in testamento facta.

Primò, requiritur, q̄ ille, qui dat tutorem, sit pater, vel ascendens, §.permissum, hoc tit.

Secundò, quòd habeat eum, cui tutorem dat in sua potestate, d.§.permissum, & fin.

Tertiò, quòd ille, cui datur tutor sit impubes, d.§.permissum.

Quartò, quòd post mortem dantis non sit recasurus in alienam potestatem, d.§. permissum, & §.itaque, hoc tit.nostro.

Quintò, quòd huiusmodi datio tutoris fiat in solemni, & perfecto testamento, vel codicillis in testamento cōfirmatis, l.3.& ibi glo.ff.de testam. tute.dixi in solemni, & perfecto testamento, quia secus est, si minus solemne, vel imperfectum sit testamentum, tunc enim ex mente Bartol. in l. naturali. §. si quæratur. ff. de confirman. tutor. distinguendum est hoc pacto, aut testamentum

est

est imperfectum, vel minus solemne ratione præteritionis, vel exhæredationis, & valet constitutio tutoris, ex causa enim exhæredationis, vel præteritionis, irritum est testamentum, quantum ad institutiones hæredum, cætera, vt constitutio tutoris legata, & alia firma manent Auth. ex causa, C. de liber. præter. aut est imperfectum ratione defectus numeri testiū, & rursus distingui debet, ant datus est filijs tutor extraneus, & non valet ista datio de iure, sed tutor à iudice cōfirmari debet, aut datus est tutor vnus ex filijs, & valet ista constitutio tutoris etiā sine inquisitione? quoad liberos. n. huiusmodi testamentū valet, l. hac cōsultissima, §. ex imperfecto, & ibi Doct. C. de testam.

Multum autē interest, an valeat datio tutoris ipso iure, an necessaria sit confirmatio iudicis.

Nam tutor rectè datus in testamento, statim quod scit se datum tutorem, debet incipere administrare, aliàs si differat suo periculo id facit, & omne damnum pupilli ad ipsum tutorem ob negligentiam eius causatum pertinet, l. si tibi, C. de testam. tutel. & l. 1. ff. de administr. tut. sed tutor datus in testamento minus solemni, non tenetur ante confirmationem administrare, nec tenetur petere se cōfirmari, & ideo si interim antequam sit confirmatus, cesset administrare, nullum periculum incurrit, l. impuberi, ff. de administr. tutor. & l. 1. C. de testam. tutel.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Patresfamilias testamento tutores dari possunt.*
3 *Filiusfamilias an tutores testamento dari possint.*
4 *Seruus proprius, quando rectè tutor datur.*
5 *Seruus alienus, quomodo tutor dari possit.*
6 *Quomodo furiosus.*
7 *Minor tutor datus, quando tutela fungatur.*
8 *Q a personæ tutela munere fungi nequeant.*
9 *Fœminæ regulariter tutrices esse non possunt.*
10 *Mater, & auia filiorum suorū ne dum legitimorum, sed etiam naturalium tutrices esse possunt, etiamsi creditrices, aut debitrices sint.*
11 *Creditor, vel debitor pupilli tutor esse non potest.*
12 *Mater secundis nuptijs contractis, vel pudore prostrato, ipso iure, desinit esse tutrix.*

QVI TESTAMENTO TVTORES dari possunt.

Titulus XIIII.

In Principium tit. & aliquot §§. seqq.

Continuatur titulus noster ad præcedentes hoc pacto, dictum fuit supra in tit. præced.
1 qui tutores in testamento dare, & quibus dari, nunc vt perfecta totius testamentariæ tutelæ notitia habeatur, qui dari possint, & concordat tit. ff. & C. de testam. tutel.

Qui testamento tutores dari possint.

2 PRimò, Paterfamilias tutor in testamēto dari potest, ita Imper. hic in princ. tit. nostri.
3 Secundò, etiam filiusfamilias in testamēto rectè tutor scribi potest, tutela enim publicum munus est, & in publicis causis filiusfamilias pro patrefamilias habetur, l. filiusfamilias, ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iur. nec obstat oppositio, quam faciunt Doct. hic, & in d. l. filiusfamilias, §. quod testamentum sit publici iuris, & tamen filiusfamilias testari non potest, nam respond. φ quamuis testamentum sit publici iuris, tamen in eo filiusfamilias non agit, vt persona publica, sed vt priuata, secus est in tutela, vt habetur in d. l. filiusfamilias, hinc sequitur, quod quamuis filiusfamilias non possit in ius vocare patrem sine venia, iuxta tex. in l. quique. §. 1. ff. de in ius vocādo, tamen filiusfamilias tutor in causa pupilli sine venia patrem vocare potest, cum hoc non vt filius, sed vt tutor faciat, argumento eius, quod dicitur de liberto in l. quæsitum. ff. de in ius vocando, sic dicimus, quòd filius magistratus patrem hæreditatē adire, & restituere cogit, non vt filius, sed vt magistratus, l. ille à quo. §. si. in fi. ff. ad Trebell. & ibi gl. not. hinc etiā filius tutorio nomine sine consensu patris, in iudicio versari potest, secundum glo. & Bart. in l. fin. in verbo, imponenda vectic. quid in tutore, C. de bonis quæ liberis.

Tertiò, seruus proprius cum libertate tutor dari potest, imò etiam si ei expresse libertas relicta non sit, tutor nihilominus erit, quoniam tacitè ei videtur libertas cōcessa, cum seruus tutor
4 esse nequeat, §. sed & seruus hoc tit. fallit, si iusto errore ductus seruum proprium tutorem dederit, credens eum liberum esse, nam tunc, nec liber, nec tutor erit, §. planè si per errorem hoc tit. & l. generaliter, §. si quis tutorem, ff. de fideicom. hæred. Errantis enim nullus est consensus, l. non idcirco, C. de iuris, & facti ignoran. nec vlla voluntas, l. sed hoc ita, ff. de aqua pluuia arcen. imò nihil tam consensui contrarium est, quàm error. l. nihil consensui, §. non videntur, ff. de reg. iur. sed quomodo quis possit seruū propriū iusto errore ductus, seruum putare, non satis constare potest.

Obstare enim videtur tex. in l. quisquis, C. de. rescind. vend. respondet glo. hic in verbo, datus.

Id facile euenire posset, si seruus ille ex causa hæreditaria ad eum pertineat iuxta text. in l. qui in alterius, ff. de reg. iuris.

Adde, quòd hic sumus in actibus morientium, in quibus error facilè præsumitur, vt tradit Bart. quem alij sequuntur in Auth. sed cum testator, C. ad l. Falcid. humana enim fragilitas mortis cogitatione turbata, difficilè plures res memoria consequi potest, §. illud, Authent. de triente, & semisse.

5 Quartò, seruus alienus cum conditione, si liber factus erit, tutor dari potest. §. seruus, hoc tit. & l. si hæreditas. §. seruus, & ibi Bart. ff. de testam. tutel. Proprius autem hoc modo inutiliter datur, & nec liber, nec tutor erit, tum propter odium Domini, qui quod pure dare potuit in testamẽto distulit, vt dicit hic Ioannes Faber.

Tum quia hic oritur quędam perplexitas mentis, & voluntatis testantis, nam cum non voluerit dare libertatem, quam dare potuit, videtur etiam noluisse ipsum tutorem esse, cum seruus sine libertate tutor esse nequeat.

6 Quintò, furiosus sub conditione, cum compos mentis erit, tutor dari potest. §. furiosus hoc tit. & l. si hæreditas. §. si furiosus. ff. de testam. tutel.

Et si purè datus sit, tacitè nihilominus hæc conditio censetur, inesse, scilicet, cum compos mentis erit, d. §. furiosus.

Interimq. alius à Iudice tutor datur, Datiuus non legitimus: quandiu enim testamentaria tutela speratur, legitima cessat, vt dicitur in l. si quis sub conditione. ff. de testam. tutel.

Sextò, minor vigintiquinque annis in testamento rectè tutor datur, d. §. furiosus.

7 Verum, quia tunc fragile, atque infirmum adolescentis est consilium, multorum insidijs expositum, secundum text. in l. 1. ff. de minoribus, ideo constitutum est, vt tunc demum tutelæ onus subire valeat, postquam vigesimum quintũ annum impleuerit, negatq. lex, quòd ea ætas, cui propter imbecillitatem, ac infirmitatem iudicij, curatorem constituit, admittatur ipsa ad alios tuendos, ne quod in persona sua facere non creditur, in aliena posse recipiatur, d. §. furiosus.

Interim tamen, ne pupillus negligatur, à iudice dabitur tutor.

Ex ijs colligere possumus, qui tutores esse nequeant.

Qui tutores esse non possint.

PRimò, seruus regulariter, dum est seruus.

Secundò, furiosus, dum est in furore.

Tertiò, minor vigintiquinque annis, eo modo quo supra declaraui.

Quartò, omnes illi, qui id pupillo præstare nõ possunt, cuius causa tutela est inducta. f. defen-

8 sionem, & tuitionem, vt surdi, & muti, l. 1. §. fi. ff. de tutel. Imò si post susceptam tutelam, superueniat talis morb., extinguitur tutela iã suscepta secundum glo. & Bart. in d. l. 1. §. fi. ff. de tutel. Sed si minus audiant, aut balbutient, nihil obstat, quin tutores dari possint. l. fi. ff. de legit. tutor.

Quintò, mulieres regulariter propter varium,

9 & parum constans consilium, tutelæ munere, quod virile est, fungi non possunt, l. tutela, & fin. ff. de tutel. hãc legem prius fuisse Solonis tradit Laert. qui dicit in suis legibus statuisse Solonem tutelã virile tantum munus esse, & fœminas tam abesse à tutelę negotio, vt etiam tutorem habitare apud pupillorum matrem prohibuerit, veriti enim fuerunt maiores, ne non euaderent superiores cum pares esse cœpissent, vt Liui. ex mente Catonis libro trigesimoquarto scribit.

Fallit ex noua Iustiniani constitutione in matre, & auia, quæ nedum legitimorum, sed etiam naturalium suorum liberorum tutrices esse possunt, etiã si creditrices, aut debitrices sint, quam-

10 uis regulariter, creditor, vel debitor pupilli tute-

11 lam assumere nequeat, iuxta tex. in Authen. minoris, C. qui dare tuto. poss. ita probat tex. in Authen. matri, & auiæ, & in Auth. ad hæc, C. quando mulier tutelæ officio fungi potest, imò licet in testamento matri nõ deferatur tutela filij, permittitur tamen ei tutelam liberorum administrare, si velit, nam inuita non cogitur, & præfertur (exceptis testamentarijs) omnibus alijs tutoribus legitimis, & datiuis, d. Auth. matri, & auiæ, iuncta glo. in verbo permittimus, intellige quãdiu in casta viduitate permanent, nam contractis secundis

12 nuptijs, vel pudore prostrato, desinunt esse ipso iure tutrices, Auth. Sacramẽtum, & ibi glo. notat in verbo contractis, C. quando mulier tutelæ officio fungi potest, huiusmodi enim immoderatę, & intemperantes fœminæ nouis plerunque maritis, ita adhærent, vt non solum res filiorum, sed etiam vitam addicant, vt inquit text. in l. lex, quæ tutores, §. lex enim, C. de admin. tut.

SVMMARIVM.

1 *Tutor ad certum tempus dari potest.*
2 *Ad certam conditionem.*
3 *Ex certo tempore.*
4 *Sub conditione.*
5 *Ante hæredis institutionem.*
6 *Certæ rei, vel causæ tutor dari non potest.*
7 *Quando etiam certæ rei tutor dari possit.*

§. Ad certum, & §. Certæ.

Quomodo dentur testamentarij tutores.

1 PRimò, dari potest tutor in testamẽto ad certum tempus, veluti ad annum, vel biennium, aut triennium tantum sit tutor, §. ad certũ hoc tit. & l. tutor datus in prin. ff. de testam. tutel.

Item ad certam conditionem, veluti, Titius sit liberorum meorum tutor vsquequo non duxerit vxorem, & elapso tempore, vel adueniente con-

2 ditione finitur tutela testamẽtaria, & in eius locũ subrogatur alius tutor, legitimus, non datiuus; quia cum tutela testamẽtaria cessat absque facto iudicis, & nulla eius spes subest, locus est legitimo tutori, non datiuo, l. si quis sub conditione, §. idem dicimus, & ibi Bart. col. 1. aduersus Dynnot. ff. de testam. tutel.

3 Secundò ex certo tempore dari potest tutor in testamento, veluti, vt à tali die incipiat esse tutor, nec ante talem diem administrare potest, interimq. antequam veniat dies à iudice alius tutor datur,

datur,cuius officiū expirat adueniente d.die, d.l. si quis sub cōditione,& §.1.inst.de Attilian.tutor.

Tertiò,sub conditione tutor dari in testamēto potest,veluti, si nauis ex Asia venerit, si vxorem
4 duxerit,& similia, & interim pendente cōditione alius tutor pupillo à iudice datur,d.§.ad certum hoc tit.& d.l.tutor datus,ff.de testam.tutel.datur autem a iudice, & non succedit legitimus in ijs duobus casibus,quia quandiu spes est testamentariæ tutelæ non deuenitur ad legitimam, sed datiuam,d.l.si quis sub conditione.

Hæc omnia intellige procedere in tutela testamentaria,non datiua, nam iudex, neque ad certum tempus,neque ad certam conditionem, nec ex certo tempore, nec sub conditione tutorem dare potest secūdum glo.hic in verbo,posse,& in hoc Doct.omnes conueniunt, laborant tamen in considerãda ratione diuersitatis inter testatorē, & iudicem, vt videre est apud Aldobrand. hic à nu.18.vsque ad 27.vera ratio est,quod lex tantū de paterna erga filios prouisione cōfidit, vt quo quomodo prouiderit, velit dispositionem ratam esse,quod non est in iudice dante tutorem.

Quartò,etiam ante hęredis institutionē tutor in testamento scribi potest,cū nō ordo scripturę,
5 sed voluntas ipsa disponentis attendenda sit,d.§. ad certū hoc tit. & §. ante hæredis infra de legat.
6 Illud omittendum non est,quòd certæ rei, vel causę tutor in testamento dari nō potest, §.certæ hoc tit.& l.certatum.ff.de testam.tutel. nisi datus sit ad vniuersitatem quandam rerum,veluti,si testator plura bona in diuersis locis possideat,tūc enim poterit dare tutorem rebus Africanis, & alium tutorem rebus Italicis, l.si tamen.ff.de te-
7 stam.tutel.ratio autem quare tutor certę rei dari non possit,assignatur hic in tex.quia.s.personæ, non rei,aut causę datur,datur enim principaliter tutor,vt pupillos tueatur, vt bonis moribus imbuat, & vt tandē persona patris fungatur in educandis illis,qui paterno consilio, & præsidio destituti per ætatem in vitia facile laberentur, licet in consequentiam curare etiam facultates pupillorum tutores teneantur.

Sed contra hoc quòd certę causę tutor dari nō possit,vltra Glos. in hic verbo causæ, oppono de textu in l.impuberi, ff.de tutor.& cur.dat. ab his.

Vbi ad certam causam datur tutor attilianus, scilicet,ad adeundam hęreditatem Doctor.communiter dicunt, illud eo casu speciale esse, rationem tamen specialitatis non adducunt.

Verum quia specialitatem adducere absq. ratione specialitatis, refugium miserorū dici solet, ideo dico, rationē specialitatis esse,quia quando filius impubes est institutus hęres,& ei testamēto datus est tutor,clarum est, quòd ante hęreditatis aditionē,tutela illa testamentaria non confirmatur,& nihil valet, l. si nemo hæreditatem,ff.de testam.tutel. vnde ante aditionem tutor testamēto datus administrare non potest, cum nō sit tutor, adiri autem ab impubere non potest hæreditas sine authoritate tutoris,l.si infanti in fi C.de iur. deliber. ideo vt huiusmodi perplexitas dissoluatur,inuentū est,vt cōtra iuris Regulas dari possit tutor ad adeundam hæreditatem,& sic ad certum actum. Destat §.fin.de quo sup.in tit.præcedenti dictum fuit, ideo hic non repeto.

SVMMARIVM.

DE LEGITIMA AGNATORVM Tutela. Titulus XV.

In Principium tit.& aliquot §§.seqq.

Continuatur titulus noster ad præcedentes hoc pacto,dictum fuit supra in tit.de tutel. tres esse species tutelæ, testamentariam.s.legiti-
1 mam, & datiuam, cum igitur in duobus præcedentib. titulis de testamenraria dictum sit,sequitur nunc vt de legitima dicatur,& concordat titulus,ff.de legit.tutor.& C.de legitima tutela.

Quid sit legitima tutela.

Legitima tutela dicitur illa, quam lex proximis agnatis, patronis, parentibus,aut fra-
2 tribus emancipatis defert, vt ij pupillis impuberibus vtiliter præsint.

Legitima tutela cur sic dicta sit.

Dicitur legitima hæc tutela, non quia testamentaria,& datiua legitimæ non sint, sed quia hæc à sola lege pendet, & quia certæ personæ à lege ad hanc tutelam vocātur absque aliqua alia testatoris, vel iudicis auctoritate, & hoc est, quod dicitur in l.legitimos, ff.de legit.tut. legitimos tutores nemo dat, sed lex 12.tabu. fecit tutores,idest nullus homo,nec testator, nec iudex, sed ipsa lex eos cōstituit tutores,sic legitima ętas dicitur,quæ à lege ꝓ perfecta est approbata, l.1. C.si aduersus rem iudic.legitima conuentio,quę secundum leges,& regulas iuris fit, l.legitima,ff. de pact.legitima hæreditas,quę à lege sine hominis ministerio defertur, l. legitimam, ff.de petit. hæred.legitimum tempus,quod à lege statutum est,l.genero,ff.de his,qui not.infam. & legitimū diem comitijs habendis, dixit Cic.Act.4. in verrem, in quo secundum leges haberi poterant,& Liui.lib.5. belli punici appellat legitimam ætatē ad petendum consulatum eam,in qua secundum leges petere permittebatur.

Quando

Quando locus sit legitimæ tutelæ.

LEgitima tutela tunc demum locum habet, quando testamentaria cessat, & testamentaria cessare dicitur, vel quando pater, nullo condito testamento, mortuus est, vel quãdo fecit te-
3 stamentum, sed tutorem in eo liberis non constituit, vel etiam quando fecit testamẽtum, & tutorem cõstituit, sed tutor (viuẽte adhuc testatore) decessit, in ijs enim casibus, ne pupilli indefensi maneãt recurritur ad legitimã tutelã, §. quod autem lex hoc tit. & l. intestato, ff. de legit. tutor.

Quotuplex sit legitima tutela.

LEgitima tutela secundum glo. & Doct. in §. permissum supra de tutel. quadruplex est. s.
4 agnatorũ, patronorũ, parentũ, & fiduciaria, sicut ex ordine rubricatũ cõstat, & nos diximus supra.

Quid sit legitima Agnatorum tutela.

LEgitima agnatorum tutela, est potestas defendendi pupillum, verbis, ac mente, l. duodecim tabu. proximis agnatis attributa, §. 1. hoc tit. & l. 1. ff. de legit. tuto. idq. summa prouidentia
5 statutum est, vt qui sperant successionem, ijdem tueri debeant bona, ne dilapidentur, vt dicitur in d. l. 1. verba l. 12. tabu. sunt hæc.

Tutores liberis in potestate testamento parentes danto.

Si non sint dati, agnati qui successionem sperãt, tutores sunto.

Qui dicantur agnati.

AGnati dicuntur omnes illi, qui per virilis sexus personas, cognatione iuncti sunt, & qui eandẽ familiã, & insignia retinẽt, veluti, frater ex eodẽ patre natus, fratris filius, patruus, & similes.

Qui cognati dicantur.

COgnati dicuntur illi, qui per fœminei sexus personas cognatione iunguntur, vt sunt fra-
6 tres vterini tãtum, qui ex eadem matre nati sunt, sed diuersis patribus, item & soror matris, §. sunt aũt hoc tit. & l. sunt autẽ, ff. de legit. tut. dixi, soror matris, quia soror patris agnata est, nõ cognata, quia coniuncta per virilem sexum, fœminæ n. esse possunt agnatæ, vt soror, Amita, & huiusmodi, quę per virilem sexum coniunctæ sunt, licet filij sororis, amitæ, & aliorũ cognati sint, d. §. sunt autem.

Quibus debeatur legitima agnatorum tutela.

OLim iure veteri successio in hæreditate, & tutelæ administratione, quantum ad collaterales debebatur agnatis tantũ, & si plures erãt agnati in pari gradu, magis idoneus fiebat tutor Auth. sicut hæreditas, C. de legit. tutel. sed hodie tam agnati, quam cognati ęqualiter, & ad successionem hæreditatis, & ad tutelas non existentib. alijs ascendentibus vocantur, §. ex his Authen. de hæred. ab intest. venient. collat. 9. & si sint plures agnati, vel cognati, proximiori tutela defertur, §. fin. infra tit. proxim. si est idoneus, & pluribus, in eodem gradu existẽtibus, omnes ad tutelam vocantur, sed magis idoneo cõmittitur administratio aliorum periculo, & cum tacita ipsorum hypotheca, d. Auth. si hæreditas, C. de legit. tutor. & d. §. ex his Auth. de hęred. ab intest. venient.

SVMMARIVM.

1 *Agnatio per quamcunque capitis diminutionem tollitur.*

2 *Nihil tam naturale est, quàm vnumquodq. eo vinculo dissolui, quo colligatum est.*

3 *An cognatio capitis diminutione perimatur.*

4 *Cognatio alia naturalis, & alia legitima est.*

5 *An legitima filiorum per statutum tolli possit.*

6 *An capitis diminutio tollat sententiam futuras tutelas, vel iam delatas.*

§. Fin.

Qualiter agnati amittant prærogatiuam, quam habent, quòd præferantur alys in Tutelis.

1 DOcet Imperator in hoc §. nostro, qualiter agnati amittant prærogatiuam, quam habent, quod præferantur alijs in tutelis, & hoc cõtingere dicit per quamcũque capitis diminutionem, tam maximam, quam mediam, & minimã, agnatio enim est iuris ciuilis, secundum tex. in l. non facile, & l. iurisconf. §. 1. ff. de gradib. cognat. ideo per contrarium ius ciuile per capitis. s. diminutionẽ, quam lex ciuilis introduxit tolli potest,
2 cum nihil tam naturale sit, quàm vnumquodque eo vinculo dissolui quo colligatum est, nihil tam naturale, ff. de reg. iur. & omnis res per quascũq. causas nascatur per easdem dissoluatur, cap. 1. de reg. iur. in antiquis, secus est in cognatione, quam ius ciuile perimere non potest, cum sit naturalis, & ius ciuile ea, quæ sunt iuris naturalis tollere nõ
3 potest, vt hic, & in l. iura sanguinis, ff. de reg. iuris, si igitur pater naturalis filium emancipauit, aut alij in adoptionem dedit filius, & patri, & patris agnatis, agnatus esse desinit, sed non cognatus, & sic licet lex ciuilis hoc agat, vt quis nomen, & ius familiæ perdat, & vt nõ sit agnatus, non tamẽ potest facere, vt non sit filius eius, a quo naturaliter progenitus est, tex. est in §. minus infra de hæred. quæ ab intest. deferunt, cum naturalia immutabilia sint, vt supra de iur. natur. §. fin. nec obstat, quòd adoptio cognationem adfert, l. qui in adoptionem, ff. de adopt. ex quo videretur dicendum, adoptionem cognationem quoque tollere, nam respondeo, duplicem esse cognationem,

natura-

naturalem tot.tit.infra de success.cognat. & ciuilem, siue legitimam.l.si qua.ff.de ritu nupt. adoptio cognationem legitimam adfert,non naturalem,siue ius sanguinis,Doct.eliciũt ex hoc,quòd
5 legitima, quæ debetur filijs, ex bonis paternis,
5 statuto tolli non potest, cum debeatur à iure naturali.l.cum ratio.ff.de bonis damnat.& statuta sint iuris ciuilis.l.omnes populi. ff.de iustit. & iur.quęrit glo.an capitis diminutio tollat tantum futuras tutelas,vel iam delatas,& cõcludit,quòd deferendas tantum rationibus in ea allegatis,sed
6 glo.opinio à Doct.communiter reijcitur,vt dicit Aldobr.hic nu.31.iuribus per ipsum adductis.

SVMMARIVM.

DE CAPITIS DIMINVTIONE. Titulus XVI.

In princ. Tit. & aliquot §§. seqq.

1 Continuatur titulus noster ad præcedentem hoc pacto, visũ est supra de legitima agnatorum tutela,& quia ius agnationis capitis diminutione tollitur,vt in §.fin.tit.præced. dictũ fuit, ideo merito sequitur de capitis diminutione, & concordat cum hac rubr.tit. ff.de capit. diminut.

Quid sit capitis diminutio.

PRæmittendum est post glossa hic in verbo, commutatio,quòd caput hic non accipitur propriè pro capite naturalis hominis,sed meta-
2 phoricè pro statu,& conditione, ideò capitis diminutio secundum Imperatorem hic in princ.tit. nostri,& Caium Iurisconf.in l.1.ff.eod.nihil aliud
3 est,quàm prioris status commutatio, qui status secundum glo.in tribus consistit,in libertate, ciuitate,& familia, ideo quotiescunque quis libertatem,ciuitatem,aut familiam amittit,capite minui dicitur, malè ergo addit gloss. facto hominis interueniente, vt euitet oppositionem de filiofamilias,qui per mortem patris, sui iuris efficitur, & mutat statum,& tamen capite minui non dicitur,nam licet mutet statum, nõ mutat familiam, ideò nimirum capite minui non dicitur.

Quotuplex sit capitis diminutio.

4 QVamuis multiplex, & varius sit hominum status, tamen quia status hic (vt diximus) tria tantum complectitur,libertatem,ciuitatem, & familiam, ideo horum ratione triplex etiã capitis diminutio esse dicitur,maxima,media,& minima,tex.est hic, & in l.minim.ff.eod.

Quæ sit maxima capitis diminutio.

MAxima capitis diminutio, quæ etiam magna dicitur in l.1.§.filius autem.ff.de suis,
5 & legit.hæred.est,cum superiora tria amittimus, hoc est,libertatem,ciuitatem,& familiam,§.maxima,hoc tit.& l.fin.ff.eod. idque accidit ijs, qui bestijs obijciuntur, in metallũ, vel opus metalli, vel etiam ad ferrum damnantur,nam ij oẽs serui pœnæ efficiuntur,vt hic, item, quando maior viginti annis passus est se venundari ad pretiũ participandum, & quando libertus propter ingratitudinem in seruitutem reuocatur, d. §. maxima, quod Claudius Cęsar constituit,vt Suetonius tradit,aut Nero,vt Tacitus author est lib.13.exemplo Atheniensium,apud quos libertus ingratitudinis cõuictus, iure libertatis exuebatur per hæc verba,supersedeo te habere ciuem,tanti muneris impium æstimatorẽ, nec adduci possum, vt credam,vrbi vtilem, quem domi scelestum cerno, abi igitur, & esto seruus,quoniam liber esse nescisti, isti maximam capitis diminutionẽ patiuntur, quia ex libertate in seruitutem rediguntur, & amissa libertate, amittunt quoque ciuitatem, & familiam, secundum glos. hic in verbo status, qui enim perdit id,quod est maius, perdit etiam id, quod est minus secundum Angel. hic.

Quæ sit media capitis diminutio.

6 MEdia capitis diminutio,quæ etiam minor dicitur,est quando quis libertatẽ retinet, ciuitatem verò, & familiam amittit,§.minor hoc tit.l.fi. & l.amissione.ff.eod. idque accidit deportatione,q̃ successit in locũ interdictionis aquę, & ignis secundũ tex.hic iuncta glo.in verbo,interdictum,cui pœnę similis est maior excõmunicatio, quantũ ad hoc, q̀ excõmunicati maiori excommunicatione carent commercio hominum.

Quæ sint minima capitis diminutio.

7 MInima capitis diminutio est, cum libertate,& ciuitate retenta,familia tantum mutatur, & hoc fit, vel arrogatione, vel emancipatione,nam arrogatus transit in familiam arrogãtis,& emancipatus non amplius existẽs in patria potestate, propriam familiam habere incipit, §. minima hoc tit. idque iure antiquo attento procedebat,quia emancipati deducebantur in seruilem causam secundum text. in l.liberos.§.1.ff.de capit.diminut. & Alciat.parerg.lib.3.cap.vlt. sed cum hodie cesset imaginaria illa venditio, quę in liberorum emancipatione fieri solebat, vt habemus in §.præterea supra quib.mod.ius patr.pot. soluit. cessat etiam in eis capitis diminutio, & sic hodie

hodie emancipati capite minui dici non possint, post hęc vidi Cuiacium ad notas Vlpia. tit. 10. qui eandem opinionē eadem ratione ductus tenet.

SVMMARIVM.

1 *Capitis diminutio accidit liberis hominibus non seruis.*
2 *Priuatio præsupponit habitum.*
3 *Capitis diminutio non est omnis mutatio status.*
4 *Amittens dignitatem non minuitur capite.*
5 *Remotus ob turpitudinem ab aliqua dignitate, efficitur infamis.*

§. Seruus iuncto. §. sequenti.

Quibus accidat capitis diminutio.

1 CApitis diminutio accidit liberis hominibus, non seruis, ideo serui licet manumittantur, non patiuntur capitis diminutionem, quia nullum caput, idest statum, habent, §. seruus, hoc tit. & l. 3. §. fi. ff. eod. priuatio enim præsupponit habitum, & ideo non potest dici capite minui, qui caput non habuit, sicut non potest dici liberatus,
2 qui non erat obligatus, l. 10. ff. de verb. oblig. nec potest dici desinere, quod esse non cępit, cap. qđ vero non formatum 32. quæst. 2. cum similibus, sed videretur dicendum contrarium, quia si capitis diminutio est status cōmutatio, & serui per manumissionem de statu seruili ad statum liberi hominis transferuntur, non videtur dubitādum, quin minuantur capite, cum statum mutent, dic, quòd capitis diminutio non est omnis mutatio
3 status, vt videmus in filijsfamilias factis sui iuris per mortem patris de quibus diximus supra, sed illa mutatio status, per quam libertatem, ciuitatem, aut familiam, amittimus, capitis diminutio dicitur, cum ergo seruus non habeat caput libertatis, non ciuitatis, nō familiæ, quia nec liber est, dum seruus, nec ciuis, nec habet agnationē, quæ iuris ciuilis est, merito cum non amittat aliquod ex prædictis, sequitur, quod non potest dici capite minui, quamuis statum mutet, sic etiā cōstitutus in dignitate, si ea priuetur, & dignitatem amittat, non minuitur capite, quia neque liberta-
4 tem, neque ciuitatem, neque familiam amittit,
5 §. quibus, hoc tit. & l. 3. ff. de Senator. licet quando propter aliquam turpitudinem remouetur, efficiatur infamis, l. 2. ff. de Senatoribus.

SVMMARIVM.

1 *Capite diminuti pro mortuis ciuiliter habentur.*
2 *Per maximam, & mediam capitis diminutionem tollitur agnationis, & cognationis ius, quoad successiones, & tutelas.*
3 *Per minimam capitis diminutionem tollitur ius agnationis tantum.*

§. Quod autem.

Qui sint effectus maximæ, & mediæ capitis Diminutionis.

1 MAximæ, & mediæ capitis Diminutionis, primus effectus est, quòd hoc modo capite diminuti habentur pro mortuis ciuiliter, ita quod amittunt ea, quæ sunt iuris ciuilis, per maximam enim capitis diminutionem amittunt libertatem, & efficiuntur serui, ideo à iure ciuili nō cognoscuntur, l. quod attinet. ff. de reg. iur. & per mediam desinunt esse ciues, ideo amisso iure ciuitatis, non possunt frui priuilegijs, & beneficijs concessis à lege ciuili, vel statuto ciuitatis, vt declarat Aldobrand. hic num. 7.

2 Secundus effectus est, quòd per eas tollitur ius agnationis, & cognationis, quo. ad successiones, & tutelas, tex. est in §. quod autem hoc tit. licet. n. cognatio, seu ipsa cōsanguinitas per ius ciuile nō tollatur, vt supra, §. fin. tit. præcedenti, tamen iura illa, quæ lex tribuit cognaris per contrarium ius ciuile tolli possunt, vnde licet nulla lege ciuili effici possit, vt qui frater est, desinat esse frater, potest tamen ius ciuile facere, ne frarer fratri succedat, cum successio à iure ciuili introducta sit.

Qui sint effectus minimæ capitis diminutionis.

3 MInimæ capitis diminutionis effectus est, quòd per eam tollitur ius agnationis tantum, & sic prærogatiua in successionibus, & tutelis, non autem ius cognationis, d. §. quod autem, & sic ea, quæ iuris ciuilis sunt, contrario iure ciuili tolluntur, l. nihil tam naturale, ff. de regul. iur. non ea, quæ iuris naturæ sunt.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Legitima patronorum Tutela quid.*
3 *Tutela filij impuberis vasalli, non existentibus agnatis ad Dominum feudi pertinet.*
4 *An patrona ad hanc tutelam admittatur.*

DE LEGITIMA PATRONORVM TVTELA. Titulus XVII.

1 COntinuatur Titulus noster ad Præcedentes hoc pacto, quatuor sunt species legitimæ tutelæ, Agnatorum, Patronorum, Parentum, & Fiduciaria, supra visum est de legitima agnatorū, ideo rectè sequitur nunc de legitima Patronorū.

Quid sit legitima Patronorum Tutela.

2 LEgitima Patronorū tutela est potestas, quæ non expressis quidem verbis, sed ex mēte, l. 12. tab. patrono defertur, vt is suscipiat libertorum impuberum defensionē tex. est hic, & in l. 3. ff. de

ff. de legit. tutor. l. enim 12. tab. expressè nō cauebatur, quod Patroni essent libertorum impuberū legitimi tutores, sed quia decedentib. libertis ab intestato lex 12. tab. vocabat Patronos ad eorum successionē, vt habetur infra de success. liber. ideo ex mente legis colligitur, quod eadem lex Patronos etiā voluerit esse legitimos tutores libertorū ad similitudinem legitimæ agnatorum tutelæ, vbi lex 12. tab. Agnatos ideo tutores esse voluit, q̄a eos ad hęreditatem vocabat, & ratio huius rei ponitur hic in tex. quia. s. qui sentit commodum, debet etiam sentire onus, cap. qui sentit de reg. iur. in 6. idq. secundùm naturam est, l. secundum naturam, ff. de reg. iur. infert Ioan. Fab. ex hoc, quod si vasallus possidens feuda moriatur, relicto filio impubere, & nulli agnati existant, qui post mortem pupilli in feudo succedere valeant, tutela pupilli pertinebit ad Dominum feudi, ad quem feudum est reuersurum, fallit hoc quod diximus, q̄d vbicunq. successionis est spes, ibi, & onus tutelæ esse debeat, in fœmina, & patrona, quæ licèt manumittens impuberem, & ab intestato succedat, tamen à tutela repellitur, cùm sit virile officium, tex. est hic, & in l. fin. ff. de tutel.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio tituli.*
2 *Quæ sit legitima parentum tutela.*
3 *Fiduciarius pater quis, & vnde dictus.*
4 *Contracta fiducia emancipare quid sit.*

DE LEGITIMA PARENTVM TVTELA. Titulus XVIII.

1 Continuatur Titulus noster ad præcedentes hoc pacto, dictum est de legitima Agnatorum Tutela, quæ ex verbis, & mente, l. 12. tab. defertur, & de legitima Patronorum, quæ non ex verbis, sed ex mente datur, ideo sequitur nunc de altera specie legitimæ tutelæ, Parentum. s. quæ ad exemplum legitimæ Patronorum tutelę ex Iurisconsultorum interpretatione recepta est.

Quid sit legitima Parentum Tutela.

Legitima Parentum Tutela est, quæ non ex verbis, nec ex mente, l. 12. tab. sed tantum ex Iurisconsultorum interpretatione ad similitu-
2 dinem legitimæ Patronorum tutelæ parentibus defertur, vt hi filijs suis impuberibus, aut nepotibus emancipatis præsint, tex. est hic, & in l. 3. §. fi. ff. de legit. tutor. sicut enim Patronus est legitim' tutor liberti sui impuberis, quem manumittēdo sui iuris effecit, eodem modo pater, qui filium contracta fiducia emancipando sui iuris effecit, similiter eius legitimus tutor vocatur.

Legitima parentum tutela ex quo iure descendat.

Legitima parentum tutela neque ex verbis, l. 12. tab. neque ex mente venit, non ex verbis, quia lex pro palam de agnatis tantum agit, & pater filio emancipato non erat agnatus, cum non essent amplius eiusdem familię secundū eandem, l. 12. tab. non ex scientia, & mente, vt patronorum tutela, quia eadem lex 12. tab. non deferebat successionem filiorum emācipatorū eorū parentibus, sicut deferebat patronis, successionē libertorum, quippe quæ agnatos tantū vocabat, vt infra in tit. de legitim. agnat. success. & de Senatusc. Tertull. in princ. solum igitur ex Iurisconsultorum interpretatione legitima hæc parentū tutela descendit, à quib. imaginariæ illæ venditiones, & manumissiones inuentæ fuerunt, vt hoc modo pater manumittens filium pro patrono eius haberetur, l. 1. in princ. & in §. patrem, ff. si à parent. quis manum. fuer. Caius lib. 1. institut. tit. 6. Vlp. tit. 11. atque ita exēplo patroni legitimus ei fieret hæres ex Iuriscōsultorum interpretatione, cum antea tantū, vt natura patet ex iure prætorio, ff. admitteretur. l. 10. ff. de suis, & legit. hæred. & consequenter in tutela etiā vicem legitimi tutoris haberet, l. 3. §. vlt. ff. de legit. tutor. dixi, vicem legitimi tutoris, quia re vera tutela hæc potius fiduciaria est, quam legitima, Vlpia. d. tit. 11. oritur enim potius ex fiducia emancipationis, q̄ ex l. 12. tab. quia tamen interpretationes Iuriscōsultorum, qui l. 12. tab. interpretes extiterunt pro iure ciuili more maiorum fuerunt habitæ, l. 2. §. his legibus. ff. de orig. iur. & ex eis succedebat pater filio emancipato tanquam quidam patronus, ideo hoc respectu legitima dici cępit, & vt hæc omnia facilius intelligantur sciendum est, quod olim in emācipatione celebrāda, pater fictè filiū
3 vendere solebat alteri patri, qui pater fiduciarius appellabatur, eo quia naturalis pater habebat illi fidem, vt eū postea manumitteret, & hic fiduciarius pater, erat fiduciarius tutor illius manumissi tāquam quidam quasi patronus, & hinc puto cū Alciat. Parerg. iur. lib. 3. cap. vlt. & Aldobrand. hic Fiduciariam tutelam originem sumpsisse, dictam à fide, quam habebat pater, qui cum filijs in potestate existentibus rectè in testamento tutorem dare potuisset, merito etiam videbatur dicēdum viuentem potuisse eligere aliquem, qui vices suas gereret in tuendo filio, quem a sacris suis liberabat, & fiduciarius dicebatur propter fiduciam q̄ ei habebat pater, vt filium, & manumitteret, & tueretur, verum quia quandoq. pater naturalis volebat ipse tutor fieri, & iura patroni in filium habere, ideo in hoc casu vendere solebat filium, contracta fiducia, hoc est, ca lege, vt ille ipsi filium retrouēderet, quod cum factum esset, ipse postea manumittebat, & sic iura ferè patroni habebat in eum, quem vt seruum manumiserat, & hoc est quod dicitur contracta fiducia emancipate, hu-
4 iusmodi igitur parentes contracta fiducia emancipantes ad instar Patronorum, habebant quasi legitimam successionē filij intestati ex l. 12. tab. nam cū ipsi manumisissent, fiebāt quasi patroni, & ideo vocabātur, & ad legitimam successionē,

& ad

& ad legitimam tutelam, exemplo Patronorum, vt dicit Imperator hic, hodie tamē cum iure nouissimo sublata sit differentia inter filium in potestate, & emancipatum, quoad successiones, & tutelas attinet, Auth. defuncto, C. ad S.C. Tertul. Auth. cessante, C. de legit. hæred. ideo etiam legitima hæc parentū tutela, ex emancipatione proueniens expirat, & in eius locum succedit legitima Agnatorum, sicque hodie pater licet emancipet filium, nihilominus verè legitimus eius tutor tanquam agnatus existit, & eo viuente, nullus alius ad tutelam admittitur.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quid sit fiduciaria Tutela.*
3 *Vnde dicta sit.*

DE FIDVCIARIA TVTELA. Titulus XIX.

In Principium tit.

1 Continuatur Titulus noster ad præcedentes hoc pacto, in superioribus titulis dictū fuit de tribus speciebus legitimæ tutelæ, de legitima, Agnatorum. f. de legitima Patronorum, & Parentum, ideo rectè sequitur nunc de quarta, & vltima specie videndum, quæ fiduciaria dicitur.

Quid sit Fiduciaria Tutela.

Fiduciaria Tutela est illa, quæ mortuo patre, qui liberorum impuberum emancipatorum legitimus tutor erat, vt supra diximus, defertur po-
2 stea fratribus, vt & ipsi in defectum patris sui sint tutores fratrum impuberum emancipatorū tex. est hic in princ. tit. & in l. 4. ff. de legit. tutor.

Vnde dicta sit fiduciaria hac tutela.

Tutela hæc, fiduciaria dicta est propter fiduciam, quam lex de fratre habet, ad exemplū superioris, quæ fiduciaria, & ipsa dicebatur propter fiduciam emancipationis, à qua hæc etiam
3 nomen suum desumpsit, & retinuit, illa enim fiduciariæ nomen dimisit, & legitima dici cępit, eo quia pater succedebat vt patronus filio emancipato, ex I.C. interpretatione, quæ cum pro iure ciuili receptæ essent, receptum etiam fuit, vt eius tutela legitima diceretur, quod vicem legitimi tutoris, nēpe patroni sustineret, vt late supra declarauimus, verum quia hoc ius Patronatus, & successionis non transibat ad liberos patris manumissoris, & fratres de iure veteri non succedebāt fratri emācipato, l. 1. §. liberos, ff. si à parent. quis manumissus, cōsequenter nec eius legitimi tutores esse poterant, aut appellari, cum lex 12. tab. ad tutelam tantū vocet eos, qui ab intestato succedunt, mansit igitur in eis fiduciariæ tutelæ appellatio, & sic fratres fiduciarij tutores dicti fuerunt, vel quia essent quasi tutores fiduciæ, & reuenditionis, quæ ad ipsos tanquam hæredes, vt omnia alia fiduciæ, & reuenditionis pacta transibat, l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. vel quia propter sanguinis coniunctionem lex plurimum de fratribus confidebat, vt mortuo patre, fratres fideliores, & diligentiores futuri essent in defendenda persona, & administrandis bonis fratris impuberis emancipati, quàm extranei.

SVMMARIVM.

1 *Differentia inter liberos patroni, & parentis manumissoris.*
2 *Cur ius Patronatus, & successionis transeat ad liberos patroni, non sic ad liberos patris manumittentis.*

§. At qui.

Respondet Imperator in hoc §. tacitæ cuidā obiectioni, cur scilicet fratres, & ipsi legitimi tutores non dicantur, sicut parentes eorum dicuntur, quia si ideo parentes legitimi dicūtur, quod emancipando filios contracta fiducia, & manumittēdo, quasi patroni eorum efficiuntur, & sic propter hoc legitimi tutores exemplo Patronorum appellantur, eodem modo videbatur dicēdum, vt cum filij Patronorum, & ipsi sint legitimi tutores libertorum manumissorum, quòd & ita ipsi filij debeant esse legitimi tutores fratris emancipati, exemplo filiorum Patronorū, ad hoc tamen respondet Imperator, in §. atqui hoc tit. differentiam esse inter liberos patroni, & liberos
1 parentis manumissoris, cūm ius manumissionis, ac per consequens successionis, & tutelæ, trāseat ad liberos patroni, & non eadem ratione ad liberos parentis, optima ratione, quia si libertus à Domino manumissus non fuisset, in eius quidem liberorum potestatē peruenisset, omnia eis quęsiuisset, & pro eorum arbitratu libertatem accepisset, ideo nimirū est, si libertus hos pro patronis agnoscere, & colere debebat, quos Dominos
2 habiturus erat, nisi pater eorum manumisisset, sicque non minus eis, quàm eorum parentib. beneficium manumissionis debebatur, cū Domini futuri fuissent, nisi manumissione libertas data esset, imo propter potestatem suitatem, ac idē ius familiæ, etiā viuentre patre, Domini quodammodo censentur rerum paternarum, & consequēter libertorum, l. in suis, ff. de liber. & posthu. propterea, & ad successionem liberti vocantur, & post mortem paternam, eorum fiunt patroni, quare & tutores merito legitimi, diuersa tamē est liberorū patris emancipantis, & manumittentis conditio, nam neque filij ante emancipationem sunt in bonis patris, vt serui ante manumissionem in bonis Domini, l. 1. §. 1. ff. de rei vendicat. l. 1. ff. de liber. exhibend. nec filius emancipatus, vt inquit Impe-

Imperator hic mortuo patre recasurus est in potestatem fratrum, etiam si à patre non emancipetur post mortem enim patris nihil ei prodest emācipatio, cum etiam absque ea mortuo patre nihilominus sui iuris efficiatur, & sic nihil debet fratribus ex eo quod est emancipatus, nimirū igitur est, si lex in iure huius quasi Patronatus, quod habet pater manumittēs, fratres ipsos succedere noluit, & consequenter nec tutelæ legitimæ ius habere, inter fratres enim suos, & emancipatum nulla iure vereri est legitima successio, sed tātum Prætoria, l. 1. ff. vnde liber. & vbi non est legitima successio, ibi nec tutela esse potest, vt enim Prætor hæredem non facit, §. 1. infra de bon. possess. ita nec tutores, cum tutela, vt hæreditas iuris sit ciuilis non Prætorij, concludo igitur, quod agnatus est tutor ex l. 12. tab. patronus ex mente legis 12. tab. parens ex contractu fiduciæ per I.C. interpretationem, non autem ex mente, quia nulla talis in lege interpretatio adhiberi poterat, nec enim vt patronis sic parentibus nominatim defertur hæreditas, fratres similiter ex eodem cōtractu fiduciæ, vel ex fide, quām lex de eis habere præsumitur, & sic quatuor sunt species legitimæ tutelæ, legitima agnatorum, patronorum, parentum, & fiduciaria, hodie tamen cum sublata sit differentia emancipationis, & patriæ potestatis, vt supra tit. proximo diximus fratres, & ipsi non amplius fiduciarij, sed legitimi tutores existunt l. frater, C. de legit. tut. l. fin. §. sed nec fratrem, C. de legit. hæred. ex quo sequitur, quòd hodie duæ tantū remanent species legitimæ tutelæ, s. Agnatorum, & Patronorum, cum sub prima comprehendantur etiam parentes, & fratres filiorum, & fratrum emancipatorū sublata differentia emancipationis, & patriæ potestatis, vt iā declarauim'.

SVMMARIVM.

1 *Tutor, & curator 25. ann. esse debent.*
2 *Regulariter perfecta ætas quæ dicatur.*
3 *Si proximior agnatus sit minor, quis tutor dari debeat, an sequens agnatus maior, an Datiuus.*

§. Fin.

Quæ ætas requiratur in tutore, & curatore, ad hoc, vt administrare valeat.

IMperator in hoc §. ponit regulam generalem circa ætatem tutorum, & curatorum, dicens, q; tutor, & curator perfectæ ætatis esse debent, ad hoc vt tutores, vel curatores esse possint, perfectam ætatem glo. interpretatur 25. ann. & bene,
1 nam hoc etiam claré in materia tutorum, & curatorum exprimit tex. in l. fin. C. de legit. tutel. regulariterq. vera est hæc expositio, vt perfectę ætatis appellatione veniat ætas 25. ann. prout commu-
2 niter ad hoc glo. hæc allegari solet, dico regulariter, quia non semper hoc est verum, sed quādoq. etiam minor, vel maior ætas venit, prout persona, vel subiecta materia suadet, veluti in nuptijs pfecta ætas intelligitur 14. ann. in masculo, & 12. in fœmina, vt supra in tit. de nup. diximus, in ordinibus cōferendis perfecta ætas intelligitur, olim secundum distinctionem clem. Generalē de ętat. & quali. hodie secundum Conc. Trident. sess. 23. cap. 12. vt scilicet quis ad Subdiaconatus ordinē in 22. ad Diaconatus in 23. & ad Presbyteratus in 25. ætatis suæ anno promoueri liberè possit.

Quare tutores, & curatores 25. ann. esse debeant.

RAtio, cur tutores, & curatores 25. ann. esse debeant, ea potissimum est, quia valde inconueniens, & absurdum esset, vt qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab alijs reguntur aliorum tutelam, & curam habere debeant, quæ ratio colligitur ex §. item maior infra de excusat. tuto. & desumpta est ex l. vlt. C. de legit. tutel.

Si proximior Agnatus sit minor, quis tutor dari debeat, an sequens agnatus maior, an Datiuus.

QVærunt DD. hic quādo proximior agnatus est minor, an sequens agnatus maior tutor esse, an vero à iudice Datiuus tutor dari debeat, qua de re Io. Fab. & Angel. hic disputant. Tu bre-
3 uiter dic, quod quando legitimus agnatus proximior est minor, tunc inspiciēdum est, an sit spes, quòd efficiatur maior, antequam impubes de cuius tutela agitur, fiat pubes, vel non.

Primo casu si adsit huiusmodi spes, locus erit Datiuo tutori, qui interim administrabit, & tutor erit, donec proximior agnatus efficiatur maior, ita est tex. quem ita declarat ibi glo. in l. non solum, §. si libertus, ff. de excusat. tut.

Secundo casu si non adsit hæc spes, tunc admittitur sequens agnatus maior.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Quid sit datiua tutela.*
3 *Cur sic dicta.*
4 *Vnde originem habeat.*

DE ATTILIANO TVTORE, & eo, qui ex l. Iulia, & Titia dabatur.
Titulus XX.

QVia vbi nullus locus est testamentariæ, aut legitimæ tutelæ datur à Iudice tutor, ne indefensus pupillus maneat, ideo explicato tractatu testamentariæ, & legitimæ tutelæ trāsit ad datiuam, & concordat titulus in ff. de tuto. & curat. dat. ab his, qui ius dand. hab. & in C. qui tutor. vel curat. dar. possint.

Quid sit datiua tutela.

DAtiua Tutela est legitimus actus, per quem datur tutor impuberi à magistratu, nõ extantibus testamentarijs, vel legitimis tutoribus,
2 tex. est hic in princ. tit. & dicitur datiua, quia non à testatore, neq; à lege, sed à Iudice dantur huiusmodi tutores, vt post glo. not. Doct. idq. originem habuit à P. Attilio, & Cla. Martio Tribu. Plebis, qui Plebiscitũ rogarũt, vt deficientib. tutorib. testamentarijs, & legitimis pupilli Romę tutores acciperẽt à Prætore Vrbano, & maiore parte Tribunorum, fuitq. vocatus hic tutor Attilianus ab ipso P. Attilio, at quia solum dispositum fuerat in pupillis Romæ existentibus ex alio Plebiscito fuit cautum, vt in Prouincijs Præsides earum darent tutores, quod Plebiscitum fuit appellatũ lex Iulia, & Titia a Tribunis, qui eam rogarũt, & hac de causa titulus noster inscribitur de Attiliā. tut. & eo qui ex l. Iulia, & Titia dabatur.

S V M M A R I V M.

1 *Non extantibus testamentarijs, nec legitimis tutoribus, Tutor à Iudice datur.*
2 *Pendente spe testamentarij tutoris datur tutor à Iudice.*
3 *Si tutor testamentarius, vel legitimus ab hostibus captus sit, interim datur tutor à Iudice.*
4 *Si ad testamentarium tutorem semel deuoluta fuerit hæreditas, deinde excusatus sit, vel remotus, alius tutor à Iudice datur.*

§. Sed & si, iuncto §. sed ab hostibus.

Quando locus sit Datiuæ Tutelæ.

PRimo, quotiescunque non extant testamentarij, aut legitimi tutores, semper locus est datiuis, tex. est hic in princ. tit.

1 Secundo, si testamentarius à testatore sub cõditione, aut ex die datus sit, interim donec non venit dies, aut conditio pendet, ne pupillus indefensus maneat, alius tutor à Iudice datur, qui adueniente conditione, aut die definit esse tutor, &
2 propterea à Doctor. nostris temporarius tutor dicitur, §. sed & si hoc tit.

Tertio etiam si purè datus sit tutor hæreditas tamen nondum adita, interim quamdiu nemo hæres ex testamento existit, alius tutor à Iudice datur, qui desinit esse tutor, cum hæres extiterit, d. §. sed & si in fine, & ratio est, quia si nemo hæreditatem adeat, nihil valet ex ijs, quæ in testamento scripta sunt, l. si nemo la t. ff. de testamen. tutel. ideo tutor datus in testamento non potest esse tutor, nisi postquam adita sit hæreditas, l. tutores, ff. de testamen. tutel. propterea necesse est, quòd interim detur tutor à Iudice, ad hoc, vt nomine pupilli hæreditatem adeat, & vt etiam quousque non aditur hęreditas personam, & negotia pupilli curet, & administret Doctor, & præcipuè Aldobrandinus hic in d. §. sed & si.

Quarto, si tutor ab hostibus captus sit, datur alius tutor à Iudice, donec ius postliminij pendet, quia reuersus iure postliminij, tutelam reci-
3 pit, §. ab hostibus hoc tit. & hoc siue sit tutor testamentarius, qui ab hostibus captus est, siue sit legitimus, omnino locus est datiuo, non autem legitimo in defectum testamentarij, vel legitimo inferioris gradus, in defectum legitimi, d. §. ab hostibus hoc tit. & l. 1. §. si apud, ff. de legit. tutor.

Quinto, si semel ad testamentarium deuoluta sit tutela, deinde excusatus sit tutor testamenta-
4 rius, aut remotus, adhuc in locum excusati, vel remoti, alius tutor à Iudice datur, l. si quis sub conditione, ff. de testamen. tut.

S V M M A R I V M.

1 *Olim Romæ à principio tutores dabat prætor Vrbanus, cum maiore parte tribunorum.*
2 *Variè, & varijs modis tutores dari solebant.*
3 *Hodie quilibet magistratus quantũcunque magnæ sint facultates pupilli, tutorem dare potest.*
4 *Qui possint à Iudice dari tutores.*
5 *Quæ requirantur ad hoc, vt datio tutoris facta à Iudice valeat.*

§. Sed ex his, §. sed hoc iure, & §. nos autem.

Qui Iudices possint dare tutores.

OLim Romę à principio dabatur tutor à Prętore Vrbano, qui ius in Vrbe reddebat sic dicto, ad differentiam peregrini, qui inter pere-
1 grinos ius dicebat, & maiore parte Tribunorum plebis, hoc est, sex tribunis (licet enim in initio duo tantum tribuni plebis creati fuissent, creuit tamen illorum numerus in tantum, vt decẽ plebi concederentur, auctore Liuio lib. 2. & 3.) & hic dicebatur tutor Attilianus, quia ex l. Attilia à P. scilicet Attilio lata, constituebatur.

Secundo in Prouincijs Pręsides earum dabant tutores ex l. Iulia, & Titia tex. est hic in princ. tit.

Tertiò, quia in l. Attil. Iulia, & Titia de cautione tem pupilli saluam fore, & de cogendis tutoribus, nihil prospectũ erat, ideo Imper. Claudius primus omnium statuit, vt à consulib. ex inquisi-
2 tione darentur tutores, nec à consulibus tantum, sed à Prætoribus etiam ex varijs Principum constitutionib. dari cęperunt, §. sed ex his, hoc tit. & hæc omnia ante Iustiniani tẽpora obseruabãtur.

Quarto tempore Iustiniani in vsu fuit, vt Romæ Præfectus Vrbis, aut Prætor in Prouincijs verò Præsides, ex inquisitione tutores darent, vel etiam si non erant magnæ pupilli facultates, magistratus iussu Præsidum, ius dandi tutores habebant, §. sed hoc iure hoc tit.

Quinto ex noua Iustiniani constitutione, quilibet magistratus etiam sine Præsidis iussu, cum

eiusdem

eiusdem ciuitatis Episcopo, tutores dare potest, si pupilli facultates quingentos aureos non excedant legitima cautela præstita eorum periculo. §. qui eam accipiunt, §. nos autem hoc tit.

Sextò, hodie de consuetudine, quilibet magistratus municipalis, & quilibet iudex Ciuitatis
3 tutores dare potest, quantumcunque magnę sint facultates pupilli Bart. in l. 1. ff. de tutor. & curat. dat. ab his, qui ius dand. hab.

Qui possint tutores à iudice dari.

OMnes regulariter, qui in testamento tutores constitui, etiam à iudice dari possunt, excepto primò seruo, l. in serui. C. qui tutor. vel curat. dar. poss.

4 Secundo excepto creditore, & debitore pupilli, licet enim hi in testamento dari possint, cum fides eorum à testatore censeatur approbata, & omnis suspicio fraudis remota, vt infra de satisd. in princ. tamen à iudice tutores dari non possunt Auth. minor. C. qui dar. tut. poss.

Quæ requirantur ad hoc, vt datio tutoris facta à iudice valeat?

PRimò requiritur, quòd non extet alius tutor testamentarius, vel legitimus, vt supra in principio dictum fuit.

Secundò, quòd iudex habeat potestatem dandi tutores, vt supra quoque dictum fuit.

5 Tertiò, quòd pupillus sit iurisdictioni dantis subiectus, l. vnica, C. vbi pet. tut.

Quartò, quòd & tutor datus sit de iurisdict. dantis, l. ius dandi, ff. de tut. & curat. dat. ab his, & & l. neque, C. qui dar. tut. poss.

SVMMARIVM.

1 *Tutela quare introducta fuit.*
2 *Ad quid teneatur tutor.*
3 *Qui tutores petere debeant.*
4 *Vbi petantur tutores.*

§. Impuberes, & Fin.

Quare dentur tutores.

DAntur tutores ad hoc, vt impuberes, q. perfectæ ætatis nō sūt, & propter imbecillitatē
1 ætatis seipsos tueri nequeunt, à prudentioribus defendantur, & regantur. §. impuberes hoc tit.

Ad quid teneatur tutor finita tutela.

POst finitam tutelam, tutor rationem administrationis suę reddere debet, & ad hoc actione tutelæ cogi potest, tex. est hic in fi. tit. nostri, & de hac actione extat tit. etiam, C. arbit. tut. vbi
2 arbitriū ꝑ actione, & tutelæ iudicio accipiē, hinc Cic. insectatur Iurisconf. in Orat. pro Murena q̄ tot seculis definire nō potuerint, vtrum rem, vel litem arbitrium, vel iudicium dicere oporteret.

Qui tutores petere debeant.

EXtat de hac re in ff. & C. tit. qui pet. tutor. vel cur. primo igitur, & principaliter, mater est illa, quæ filijs suis impuberibus etiam naturalib. tutorem petere debet, aliàs ab eorum hęreditate
3 repellitur, l. 2. ff. eod. l. n. C. eod. fallit tātum si mater minor sit 25. ann. tunc. n. etiam si non petierit hæreditate non priuatur, l. 2. C. si aduersus relict. secundo fallit, si filius pubes factus decesserit, l. 3. C. ad Senatusconf. Tertull. tertio fallit, si interfit filij tutores ei non peti, l. 2. §. tractant. eod. tit. ad Senatusc. Tertull. quarto si mater præuenta fuerit ab alio, qui tutorem petierit, & datus sit d. l. 2. ff. eod. in Gallia Procuratorem Regium id facere solitū esse tradit Duaren. in d. tit. qui Pet. tut. quinto, & vltimo fallit etiam, quando casu aliquo mater impedita fuerit, quominus tutorē petere potuerit, l. cum à matribus 8. C. eod. secundo loco deficiente matre consanguinei tutorem petere debent, alias & ipsi ab hęreditate repellunē, d. l. 2. ff. qui pet. tut. & l. sciant. C. de legit. hæred.

Tertiò deficientibus postea consanguineis, tutorem petere possunt, licet ipsi non cogantur, familiares, & amici patris ipsorum pupillorum, necnon eorum educatores, d. l. 2. in princ.

Vbi petantur tutores.

DE hac re extat Titulus specialis in Cod. vbi tutor. petāt, dicamus igitur, quòd eo loco
4 vnde originem ducit pupillus, vel vbi maior est facultatum pars ibi peti, & dari debent tutores, l. vnica. C. vbi tutor. pet. in alio autem loco vbi morantur si inde oriundi non sint, nec suas facultates habeant tutores non accipient, d. l. vnica.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit tutoris auctoritas.*
3 *In quibus casibus necessaria sit tutoris auctoritas, & in quibus non.*
4 *An pupillus hæreditatem lucrosam sine tutoris auctoritate adire valeat.*

DE AVCTORITATE TVTORVM. Titulus XXI.

In principium Tit. & aliquot §§. seqq.

1 QVia frustra constituerentur tutores, nisi sequeretur auctoritatis interpositio, ideò, postquam tractauit Imperator de varijs specicbus tutelæ, & qualiter constituantur tutores, rectè ponit nunc de auctoritate eorum, &

concordat Tit. ff.de auctor. & consensu tut.& curat. & C.de auctor.præstan.

Quid sit tutoris auctoritas,

Tutoris auctoritas est, vis illa, atque potestas, quam tutores, vel ex testamento, vel
2 ex lege, vel per iudicem receperunt in persona pupillorum defendenda, & rebus eorum administrandis, nihilque aliud est, auctoritatem præstare, quàm approbare id, quod agitur, vt dicitur in l.3. ff.eodem.

Quando & in quibus casibus tutoris auctoritas necessaria sit.

Primò si agatur, vt pupillus alium sibi obliget in commodum sui, vt si quid dari, sibi stipuletur, non est necessaria tutoris auctoritas, cessat
3 enim tunc causa finalis tutelæ, quæ ideo decernitur ne impuberes imbecillitate ætatis damnum aliquod incurrat, sed si agatur, vt ipse pupillus alij obligetur, tunc necessaria est tutoris auctoritas, quæ si non interueniat pupillus non obligatur, & hoc fauore pupillaris ætatis introductum est, vt pupilli meliorem quidem conditionem etiam sine tutoris auctoritate facere possint, deteriorē autem non aliter, quàm cum tutoris auctoritate tex.est hic in prin.tit.& in l.pupillus.ff.de acquir. rerum domin.vbi Marcell.sic respōdit, pupillum quantum ad acquirendum non indigere tutoris auctoritate, alienare verò nullam rem posse, nisi præsente tutore auctore, propterea in contractibus in quibus hinc inde nascitur obligatio, vt in venditionibus, emptionibus, locationibus, conductionibus, & similibus, si tutoris auctoritas nō interueniat ipsi quidem, qui cum pupillis contrahunt obligantur, at inuicem pupilli ipsi non obligantur, §.vnde in his hoc tit. lex enim obligationem à pupillo sine auctoritate tutoris factā, non approbat cum consensum pupilli nō habeat pro legitimo, nullumq. sit eius ætatis iudicium, l.pupillus.ff.de reg.iur.aduertendum tamē est, quòd si pupillus repetat rem emptam, repellitur exceptione doli mali, si pretium dare recuset, secundum glo. hic in verbo, in venditionibus, natura enim hoc non patitur, vt quis cum aliena iactura locupleretur, l. nam hoc natura, ff. de condit. indeb.

Secūdò requiritur auctoritas tutoris in adeunda hæreditate semper, etiam si lucrosa sit hæreditas, nam licèt pupillus conditionem suam sine tutoris auctoritate meliorē facere possit, vt supra diximus, attamen hæreditatem etiam lucrosam
4 sine auctoritate eius adire non potest, §.neq; tamen hoc tit, & hoc, siue hæreditas deferatur ex testamento, siue ab intestato secundum glo.hic, siue deferatur à iure ciuili, quo casu dicitur hæreditas, siue à iure prætorio, quæ bonorū possessio dicitur, siue sit directa, siue fideicommissaria hæreditas, d.§.neq; tā, & ratio est, q̄ ponit Imperator hic in tex.l.ne pupillus aliquod damnum ex hæreditate patiatur, cui cōuenit tex.in l.obligari. §.pupillus, ff.eod. in hæreditate.n.adsunt cōmoda, & incommoda secundum text.in l.hæreditas. ff.de regu.iur. ideò, quamuis lucrosa à principio appareat, posset tamen succedente tempore, emergere aliquod æs alienum latēs, quod magnū damnum pupillo adduceret, & sic sub incerto anceps, & periculosum est adire hæreditatem.

SVMMARIVM.

1 *Tutor debet esse præsens in ipso actu, qui per pupillum celebratur.*
2 *Expresse tutor consentire debet.*
3 *Statim auctoritatem tutor interponere debet.*

§. Tutor.

Quæ requirantur ad hoc, vt tutoris auctoritas legitimè censeatur præstita.

1 Primò requiritur, quòd tutor sit præsens, & per seipsum, non per nuncium, aut epistolam auctoritatem suam præstet, §. tutor hoc tit. & l.obligari.§.tutor.ff.eod.

2 Secundò, quòd expressè consentiat, nam sola præsentia, & taciturnitas non sufficit, sicut nec nutus, aut signa.l.etiam, cum ibi not.ff.eod.

3 Tertiò, quòd in ipso actu statim, & incontinēti auctoritas interponatur, nam si post gestum actū auctoritatem interponat non valet, d.§.tutor, & d.l.obligari. §.tutor.ff.eod.

SVMMARIVM.

1 *Si oriatur lis inter tutorem, & pupillum datur pupillo curator ad litem.*
2 *Hodie regulariter debitor, aut creditor pupilli tutor esse non potest.*
3 *Minores habent semper beneficium restitutionis in integrum.*
4 *Competit minoribus beneficium restitutionis in integrum, etiam per quadriennium continuum post minorem ætatem.*
5 *Quod tempus dicatur continuum, & quod vtile.*
6 *Res mobiles minorum à tutore sine decreto alienari possunt.*
7 *Res immobiles non aliter alienari possunt, quam cum decreto iudicis.*

§. Fin.

Si oriatur lis inter tutorem, & pupillum quid agendum.

Quia tutor in rem suam auctor esse non potest, vt dicit Imperator in §.fin.hoc tit. cui conuenit tex.in l.1.ff.eodem, ideo iure veteri si orieba-

oriebatur lis inter tutorem,& pupillum,ne pupil
lus indefensus maneret, dari solebat tutor per
prætorem,deinde postea magis expediens visum
1 fuit,vt non prætorius tutor, sed curator ad litem
daretur,cuius officiũ,finita tutela expiraret,d.§.
fi.hoc tit. cæterũ cessat hodie huius,§.dispositio,
2 cum debitor,vel creditor pupilli nõ possit esse tu
tor Auth.minoris,C.qui dar.tut.poss. nisi sit debi
tor in modica quãtitate, & facta diligẽti inquisi-
tione,approbatus à iudice sñ gl.& Doct.hic,nisi
sit mater,vel auia, Auth.ad hæc, C.qũ mulier tu-
tel.off.fung. potest, vel nisi sit tutor testamenta-
rius sñ Doct.in d.auth.minoris, in ijs enim casi-
bus etiam hodie habet locũ dispositio, §.nostri.

Si pupilli in aliquo actu cum tutoris auctoritate læsi fuerint, an eis aliquo modo succurratur.

Dicendum est,quòd sic,pupilli enim in quo-
cunque actu læsi fuerint,semper habẽt be-
neficium restitutionis in integrum, & id locum
3 habet,non solum in pupillis,sed etiam in adultis
minoribus 25.ann. de quo extat tit.ff.& C.de re-
stit.in integ.cum pluribus sequẽtibus,& hoc siue
tutoris,aut curatoris auctoritas interuenerit,siue
non,tot.tit.C.si tut.vel curat.interuen. item siue
in iudicio,siue extra iudicium præsente, vel ab-
sente tutore, vel curatore, circũueniatur tot.tit.
C.si aduersus rem iudic.aduertendum tamen est,
quod huiusmodi beneficium non competit pro
quacunque etiam minima læsione,sed solũ si pu-
pillus,vel minor enormiter læsus,vel circũuentus
fuerit,tex.est in l.2.C.si tut.vel curat.interuen. &
in l.scio.ff.de restitur.in integr.vbi Bart not.gau-
detq. minor hoc beneficio toto tempore mino-
ris ætatis,& etiam maior factus olim intra annũ
vtilẽ,hodie vero intra quadriennium cõtinuum,
4 quo tempore elapso, si restitutionem petere ve-
lit amplius non auditur tot.tit. C.de tempor. in
integ.restit.annus vtilis dicitur ille,in quo nõ cõ-
5 putantur die feriati continuus,qui continuo cur-
rit diebus feriatis,& non feriatis, glo.& Doct. in
l.fi.C.de remp.in integ.restitut.item non auditur
amplius pupillus, aut minor si factus maior ha-
buerit ratum,quod in minori ætate gessit,tacitè,
vt quia passus sit labi quadriennium,expressè,vt
quia verbis expressis approbauit gesta in minori
ætate tot.tit. C.si maior fact.rat.habuer.

An res pupillorum,vel minorum sine decreto iudicis per tutores alienari possint.

Ad hanc quæstionem respondeo,quòd om-
nes fructus,qui ex bonis minorum perci-
piuntur,vt vinum,oleum, frumentum,& similia,
sine decreto iudicis à tutore semper distrahi pos-
sunt iusto precio currente in loco in quo alie-
nantur,tex.est in l.fi.C.de administr.tut. per quẽ
tex. notat Salic. ibi, quod tutor non tenetur ser-
uare fructus, donec plus valeant, nec ad alium
6 locum mittere, vbi plus valent, secundo omnes
res mobiles, quæ seruando seruari non possunt,
vt vestes attritæ,& animalia superuacua similiter
alienari possunt,l.fin.C.quando decreto opus nõ
est, à contrario ergo res mobiles, quæ seruando
seruari possunt,vt gemmæ,aurum,argentum,cę-
teraq. mobilia pretiosa sine decreto iudicis alie-
nari non possunt,l.lex,quæ tutores in principio,
C.de administrat.tut. sic & multo magis res im-
7 mobiles sine decreto alienari non possunt, nec
aliquo modo à dominio pupilli transferri, nec
per venditionem, nec permutationem, nec trã-
sactionem,nec per quemcunque alium modum,
vt constat ex tot.tit.C.de Præd. & rebus minor.
sine decret.non alienan. & optimè probat tex.in
l.lex,quæ tutores.§.nec vero. C.de administ.tut.
ibi,nec vero domum vendere liceat in qua defe-
cit pater minor creuit in qua maiorum imagines
aut non videre fixas,aut reuulsas videre, satis lu-
gubre est,& si aliter facta fuerit alienatio ipso iu-
re est nulla,d.l.lex, quæ tutores in fine, imo nec
etiam sub prætextu æris alieni, alienatio tutori-
bus permittitur, sed solum si vrgens sit æs alie-
num,quo casu etiam debet intercedere causę co-
gnitio, & decretum iudicis,l.ob æs, C.de præd.
minor. qui iudex ante omnia inspicere debet, an
aliunde inueniri possit pecunia ad soluẽdum de-
bitum, id quod constare ei potest per discussio-
nem bonorum,l.magis puto,§.nõ passim,& §.in
primis, ff.de reb.eor.qui sub tutor.& cur.sunt, &
si alius expediens soluẽdi modus inueniri nõ po-
test, quam per alienationem rerum immobiliũ,
tunc vendi debet res minus damnosa, nec vendi
debet res magna pro paruo debito,d.l.magis pu
to.§.item prætor,ff.de reb.eor. qui sub tut.& cur.
sunt,hic pulchra,& elegans cadit quæstio, si mi-
nor vendẽdo meliorem causam suam efficiat, an
valeat venditio, si sine decreto iudicis facta sit,
cum auctoritate tamen tutoris,videretur dicen-
dum quod sic,primo per tex.in §.1.supra de au-
ctor.tut.vbi diximus minorem meliorem condi-
tionem suam facere posse, etiam sine tutoris au-
ctoritate,licet alias nihil per eum sine tutoris au
ctoritate factum valeat, secundo per tex. in l.sed
8 si mihi,ff.cõmod.& in l.seruus,C.de pact.vbi ser-
uus nõ potest domini sui deteriorẽ causam face-
re,meliorem autem sic,ergo idem est dicendum
de minore,qui rem aliquam immobilem vendit,
vnde locupletior factus est,tertio per tex.in l.cũ
hi 8.§.cum transactionem,ff.de transact.vbi lega-
tarius,cui alimenta relicta sunt, de eis sine præ-
tore transigere non potest, sed si transigendo me
liorem conditionẽ suam efficiat,valet transactio,
ergo idem in casu nostro videtur dicendum, &
hanc opinionem tenet Accurs.in d.l.cum hi.§.cũ
transactionem. ff.de transact. contraria tamen o-
pinio verior est, per tex.in l.si fundus sterilis, §.
quamquam,ff.de rebus eorum,qui quidem tex.
contra Accur.facit, licèt ipse pro se adducat,nec
obstat,quòd locupletior factus sit,quoniam licet

fundum aliquem pluris vẽdiderit quàm valeret, interest tamen minoris, fundum habere potius, quàm pecuniam, vel quia maiorum suorũ fuerit argum.l.si cum emptione 35.ff.de minor.vel ob aliam causam, vt quia forte alium fundum confinem possidet, interest enim nostra etiam supra iustam æstimationem cõfines fundos comparare, l.54.ff.de legat.2. vbi legatum ita relictum, C. fundum tibi do, lego, qui centum valet, si cẽtum hæredi meo dederis, vberrimum esse legatum exi stimat Iurisconsul. eo quod interest legatarij fundum habere potius, quàm pretium, l.si fundum, ff.ad leg.Falcid.& hoc est, quod dicimus, affectionem circa nummos non cadere, sed cadere circa res ipsas, l.nummis, ff.de in lit.iurand. itaque dicendum est in proposito casu, nullam esse alienationem, licet minor læsus non sit, sed locupletior forte effectus, non enim quærendum est in hoc negocio, an læsus sit minor, nec ne, sed hoc solũ, an sit minor, l.non est vobis necessaria, C.de pd. minor.secus est in alijs contractibus, in eis enim duo probanda sunt, nempè minor ætas, & læsio, l.nam posteaquam, §.si minor.ff.de iureiur. Claudicat igitur contractus venditionis à minore factus altero pede, consistit enim ex parte emptoris, vt.s.emptor obligetur, non ex parte minoris, vt ipse obligetur, l.Iulianus. §.si quis à pupillo.ff. de act.empt. non obstat tex. in §.1.Inst.de auct. tut. nam ibi minor alium sibi obligat, quo casu nunquam sua interesse potest alium sibi obligatum non habere, sed cum vendit se se alteri obligat, obligat inquam ad traditionem rei venditæ, l.ratio. §.2. ff.de act.empt. merito ergo nulla est alienatio ex parte sua ne alteri obligetur, non obstat etiam lex, sed mihi.ff.commodat.nam quamuis locupletior minor esse videatur ex eo quod pluris fundum distraxerit, videtur tamen ex alio pauperior esse, quia re sua caret, quam interest habere potius, quàm pecuniã, maximè, quia pecunia fragilis est, & cito labitur, ac perit.l.si colonus.§.fin.ff.de legat.3.demum non obstat, l.cum hi. §. cum transactionem de transact. quia si alimentarius transigendo meliorem suam cõditionem faciat, nullus casus vnquam accidere potest, in quo sua interfit, non transigisse, veluti si transigerit, vt quod annuatim præstandum erat mensuratim sibi præstetur, vel vt quod per singulos menses, per singulos dies præstetur, quæ quidem ratio cessat ĩ alienatione rerũ minoris, vt iã expositum est, concludo igitur venditionẽ non valere.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*

2 *Tutel. multis modis finitur.*

3 *Finita tutela ad quid teneatur tutor.*

QVIBVS MODIS TVTELA FINITVR. Titulus XXII.

1 CVM superius tractatum sit quibus modis tutela introducatur, meritò subditur nunc titu. Qualiter finiatur, & concordat titu. in Cod. quando tut.vel curat. esse desin.

Quot modis finiatur tutela.

PRimò, finitur tutela pubertate, quæ in masculo incipit completo 14.anno, in fœmina 12.tex. est hic in princ.tit.

Secundò, finitur arrogatione, quando pupillus cum consensu tutoris arrogatur, §. item finitur, hoc tit.& l.si arrogati.ff.de tutel.

Tertiò, deportatione pupilli, qui sit pubertati proximus, in quem omne delictum cum sit doli capax cadere potest, d.§.item finitur, & l.pupillum, ff.de regu.iur.

Quartò, seruitute, vt si pupillus libertus propter ingratitudinem in seruitutem reuocetur, d. §.item finitur, & d.l.si arrogati.

Quinto, finitur captiuitate tàm pupilli, quàm tutoris, d.§.item finitur.

Sextò, adueniente conditione vsque ad quam datus tutor erat à testatore, expirat tutela, §. sed & si, hoc tit.

Septimò, morte naturali, tam tutoris, quã pupilli tutela finitur, §.simili modo, hoc tit.l.nisi finita.ff.de tut.& rat.distrah. intellige per mortem

2 tutoris tutelam finiri quoad ipsum, non quoad pupillum, quia pupillo alius tutor datur.

Octauò, capitis diminutione, tutela perit.§.sed & capitis, hoc tit.& respectu pupilli, quæuis capitis diminutio sufficit, sed respectu tutoris maxima, aut media requiritur, minima enim capitis diminutio tutoris, tollit quidem legitimam agnatorum tutelam, sed datiuam, & testamentariam non perimit, d.§.sed & capitis, hoc tit.

Nonò, finitur tutela, tempore, ad quod datus est tutor testamento, §.præterea, hoc tit.& l.si arrogati. ff.de tutel.

Decimò, finitur tutela, per remotionẽ, quando tutor tãquam suspectus à iudice remouetur, §.fin.hoc tit.& d.l.arrogati, & tunc etiam, quoad tutorem, non quoad pupillum finitur.

Vndecimò, finitur tutela excusatione, quando scilicet, quis ex iusta causa se excusat, & onus administrandæ tutelæ deponit, d.§.fin.

Finita tutela ad quid teneatur tutor.

FInita tutela, tutor in primis, & ante omnia, rationem administrationis suæ reddere debet, vt diximus in §.fin.supra de Attilian.tut.quo tempore, si non exhibeat inuentarium contra eũ

3 iurari potest in litem, l.tutor qui repertorium, ff. de administrat.tutor. Item restituere, & reddere debet, si quid penes eum reliquum est ex administratione, l.tutorem quendam, C.arbir.tutel.& si pupillus damnum aliquod passus sit, vt quia tutor non fecit, quod facere debuit, aut fecit qđ fieri non debuit, id totum pupillo resarcire tenetur, l.1.ff.de tutel.& rat.distrahẽ.ad quod tenetur de

de dolo, lata, & leui culpa, d.l.1. & si rationes nō videantur legitimæ, datur pupillo Act. contra tutorem, quæ de rationibus distrahendis appellata est, per quam licet pupillo rationem à tutore redditam impugnare. l.1. §. de rationib. ff. de tute. & rat. distrahen. & si constet tutorem res pupilli animo furandi contrectasse, datur contra eum actio furti, l.2. ff. de tutel. & rat. distrah.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit cura.*
3 *Quot sunt genera curatorum.*

DE CVRATORIBVS. Titulus XXIII.

Imperator in tit. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, dixerat, quòd personæ aliæ erant sui iuris, & aliæ alieni iuris, quæ erant alieni iuris, aliæ erāt sub potestate dominorum, aliæ sub potestate parentum, & de his declarauit vsque ad titulum de tute. vbi postea aliud membrum distinctionis aggressus fuit. s. eorum, qui sui iuris erant, dixitq.
1 quòd eorum, qui sui iuris sunt, alij sunt sub tutela, alij sub cura, alij neque sub tutela, neque cura, de ijs, qui neque sub tutela, neque sub cura sunt, protestatus fuit, se non dicturum, eo quod cognitis ijs, qui sub tutela, & cura sunt, ex natura contrariorum facilè cognosci possunt, qui neque sub tutela, neque sub cura sunt, modo hactenus dixit de his, qui sunt sub tutela, ideo rectè nunc ponit de his, qui sunt sub cura, & concordat tit. ff. de tut. & curat. & de curat. furiosi, & alijs extra minores dandis, & C. de cur. furiosi, & prodigi.

Quid sit cura.

2 EST potestas in capite libero ad gerendum illius negotia, qui iam pubes factus, adhuc propter ætatem ea gerere non potest, vt hic in principio tituli.

Quot sint genera curatorum.

TRia sunt genera curatorum, quidam enim curatores dantur impuberibus, minoribus 14. annis, de quibus in §. interdum infra eodem, Quidam dantur maioribus 25. annis, qui appel-
3 lantur legitimi, de quibus in §. furiosi, infra eod. quidam dantur impuberibus, qui compleuerunt 14. annū, sed sunt adhuc minores 25. & hi appellantur datiui, de quibus dicitur hic in princ. tit.

SVMMARIVM.

1 *Omnes magistratus curatores dare possunt.*
2 *Parentes in testamento curatorē dare non possunt, datus tamen à iudice confirmari debet.*

§. Dantur.

Qui possint dare curatores.

1 OMnes magistratus curatores dare possunt, qui ius dandi tutores habent, §. dantur hoc tit. & sic hodie omnis magistratus municipalis, sicut tutores, ita & curatores dare potest, parentes verò in testamento curatores dare non pos-
2 sunt, d. §. dantur, & ratio est, quia curator principaliter datur rebus, non personæ, l. in copulādis, C. de nupt. sed de rebus filij, pater in testamento post pubertatem filij directè disponere non potest, l.2. ff. de vulg. & pupill. substit. nimirum igitur si nec post pubertatē possit filio curatorem dare vt post alios tradit Aldobrand. hic, verum bene est, quod quamuis datio curatoris in testamento facta non valeat, tamen à iudice etiam sine inquisitione confirmari debet, d. §. dantur, & l. si filio. ff. de confirman. tut. & hoc habet locum, quando pater vult curatorem constituere filio, qui sit cōpos mentis, secus si esset furiosus, nam tunc rectè à patre curator dari potest, vt infra videbimus.

SVMMARIVM.

1 *Curator non datur inuito nisi ad litem.*
2 *Quibus modis finiatur cura.*

§. Item inuiti.

Quibus possint dari curatores.

1 PVberibus tam masculis, quam fœminis vsque ad 25. annum curatores dari possunt, volentibus, non inuitis tex. est hic in princ. tit. & in §. item inuiti, hoc eod. tit. ideo nemo eis curatorē petere cogitur, vt dicitur in tit. ff. & C. qui pet. tut. vel curat. quandoque tamen etiam inuitis datur curator, veluti ad litem, d. §. item inuiti, & hoc ne iudicium reddatur elusorium, cum minor nō habeat legitimam personam stādi in iudicio, l.2. C. qui legitimam person. stand. in iudic. ideo compelli potest ad petendum curatorem ad litem, l. ait prætor. §. permittitur. ff. de minorib. finiturq.
2 hæc cura eisdem modis, quibus finitur tutela, secundum glo. in §. fi. tit. preced. excepta tamen pubertate, nam cura post pubertatem incipit, & finitur completo 25. anno, vt hic in princ. tit. & in l.1. in fi. ff. de minor. nec differentia aliqua est in finiēda cura inter masculum, & fœminam, sed eodem modo, quo finitur in masculo, finitur & in fœmina, & hoc ne fœminæ citius perdant beneficium restitutionis, quam masculi, ita Doct. hic.

SVMMARIVM.

1 *Furiosis curator legitimus datur.*
2 *Antiqui quem furiosum significare volebant ad agnatos deducendum esse dicebant.*

3 Non

3 *Non solum furiosis, sed etiam prodigis, mente captis, & omnibus ijs, qui perpetuo morbo laborãt, legitimi curatores dari solent.*

§. Furiosi, & §. sed & mente captis.

Quot sit secundum genus curatorum.

SEcundum genus curatorum, est eorum, qui à lege dantur maioribus 25. annis propter furorem, vel alium perpetuũ morbum, §. furiosi
1 hoc tit. & dicuntur curatores legitimi, quia lex 12. tabu. agnatis hanc curam defert, l. sæpe, ff. de
2 curat. furios. vnde apud Priscos prouerbium inualuit, vt eum, quem furiosum significare volebant dicerent, ad agnatos deducendum, non extantibus verò agnatis, aut extãtibus, sed non idoneis, iudex alijs personis postea hanc curam committit, de quibus in ff. & C. de curat. furios. differunt igitur hi curatores à præcedentibus primo, quia illi dantur minoribus 25. ann. isti maioribus secundo illi dantur volentibus, isti etiam inuitis, tertiò illi in testamento non dantur, sed furiosis in testamento à patre curator rectè datur, l. de creationibus, C. de Episcop. audient.

Quibus dentur legitimi curatores.

PRimo dantur furiosis, qui euidenti furore laborant, d. §. furiosi, secũdo prodigis, qui ne-
3 que tempus, neque modum expensarum habẽt, sed bona sua dilacerando, & dissipando, profundunt, d. §. furiosi, & l. 1. ff. de curat. furios. tertio mente captis, quibus scilicet mens deficit, nullum tamen extrinsecus furorem ostendunt, §. sed & mente captis hoc tit.

Quarto mutis, & surdis, & ijs omnibus, qui ad eo perpetuo morbo laborant, vt rebus suis præesse nõ possint, d. §. sed & mente captis, finiturq. hæc cura secundum Doct. hic, quando furiosus, mente captus, & alij perpetuo morbo laborantes sanitatem, & prodigi sanos mores recipiunt.

SVMMARIVM.

1 *Interdum etiam minores quatuordecim ann. curatores accipiunt.*
2 *In quibus casibus minoribus quatuordecim ann. curatores dentur.*

§. Interdum, cum duobus seqq.

Quod sit tertium genus curatorum.

1 TErtium genus curatorum est eorum, qui dantur impuberibus, minoribus quatuordecim ann. interdum enim etiam ipsi curatores accipiunt, regula enim iuris est, quod habẽti tutore m, tutor dari non debeat, propterea si legitimus tutor, vel testamẽto, aut à magistratu datus nõ multum idoneus sit ad administrationem, in hoc casu alius tutor pupillo nõ datur, sed tutori curator adiungitur, §. interdum, & §. item si testamento, hoc tit. qui postea pubertate pupilli adueniente curator esse desinit, l. 1. C. quãdo tut. vel
2 curat. esse desinant, item si tutor impediatur administrare ex aliquo impedimẽto temporali, interim curator pupillo datur, §. item loco tutorũ hoc tit. dixi ex impedimento temporali, quia si perpetuum esset impedimentum, tunc non curator, sed alius tutor daretur, l. complura, ff. de tut.

SVMMARIVM.

1 *Tutor tutorem constituere non potest.*
2 *Tutor impeditus actorẽ periculo suo eligere potest.*

§. Fin.

An tutor impeditus alium tutorem constituere possit.

1 TVtor tutorem, vt certissimum, & notissimũ est, constituere non potest, sed si aduersa valetudine, vel alia necessitate impeditus sit, quo minus negotia pupilli administrare valeat, & pupillus, vel infans, vel absens sit, actorem decreto,
2 & authoritate iudicis, periculo suo constituere potest, §. fi. hoc tit. dixi si infans, vel absens sit, qa si præsens sit pupillus, & rem intelligat, potest in hoc casu veluti dominus procuratorem auctore tutore constituere, l. neque, C. de procurator.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Qui tutores, vel curatores satisdare teneantur.*

DE SATISDAT. TVT. VEL CVRAT.
Titulus XXIV.

In principium Tit.

QVoniam lex in bonis pupillorum, & minorum amplissimam potestatem tutoribus, & curat. concessit, ideo ne talis potestas in detrimentũ minorũ verteret, & ne res minorũ minus diligenti administratione decrescerent, inter alia
1 remedia, lex introduxit, vt tutores, & curatores satisdare debeant rem pupilli saluam fore, vt hic in princ. tit. nostri, cum quo concordat tit. ff. qui satisdare cogantur, & C. de tutor. qui non satisdan.

Qui tutores, vel curatores satisdare teneantur.

OMnes tutores, & curatores, satisdare tenẽtur, exceptis testamẽtarijs, & ijs etiam, qui ex inquisitione à maioribus iudicibus dantur, illi enim propter approbatam eorum fidem à testatore, & hi propter approbatam fidem à iudice ad satisda-

satisdationem non compelluntur, §.sed hoc tit.l. testamento,ff.de testam.tut.& l.non omnium,C. de tut.& curat.reliqui igitur alij, vt sunt legitimi, testamēto dati ab extraneo,curatores dati furiosis,& prodigis,omnes satisdare tenentur,item & datiui dati à minorib. iudicibus,vel etiā à maioribus,sed sine inquisitione,ita Doct.omnes hic.

SVMMARIVM.

1 *Plures simul tutores,& curatores esse possunt.*
2 *Tutores,& curatores qualiter tutelam inter se diuidere possint.*

§.Si ex testamento, & §.quod si nemo.

Quando plures sunt tutores,an omnes teneantur satisdare,& administrare.

SCiendum est,quod plures tutores tam testamentarij, quàm legitimi,& datiui, vnius pupilli esse possunt, de testamentarijs habemus in l.si plures,ff.de testamen.tutel.de legitimis in l.si plures, ff.de legit.tutor.de datiuis in l.simul plures, ff.de tutor.& curat.dat.ab his,item & plures curatores dari possunt, habemus hoc in l.3.ff.de administrat.tut.secundo sciendum est,quòd omnes etiam simul,si velint administrare possunt,vel tutelam inter se diuidere in partes, aut regiones gerendam,d.l.3.§.fin.cum l.seq.iuncta glo.hic,& in d.l.3.verum quia magis vtile est pupillis,vt tutela per vnum administretur, secundum glo. hic cū hoc modo facilius negotia expediantur, ideo hac de causa concessum est etiam,vt vnus ex pluribus tutorib. cæteris electionem offerre valeat,
1 vt aut ipsi tutelam gerant, & satisdationem præstent, aut ab eo satisdationem accipiant, & patiantur ipsum solum administrare, & tunc si alij consentiant, nam inuiti cogi non possunt, decernitur ei administratio, §.sed si testamento, iuncta glo.hoc tit.& l.non omnium, C.de tuto.& curat. qui non satisdanē,at si ipsi eligant gerere,& malint administrare possunt,& præstita satisdatione præferuntur primo offerenti, d.§. sed si testamento,quid si nullus satisdationē offerat? in hoc casu inspicere debemus,an testator aliquem in testamento elegerit,qui administrare debeat,& si elegerit,ille solus administrabit, verum si à testatore expressum non sit,quis gerere debeat,tunc ille administrabit tutelam,quem maior pars elegerit,
2 §. quod si nemo hoc tit. & si fortè tutores in eligendo discordes essent, prætor suas interponet partes,causaque cognita statuet, quis gerere debeat,d.§. quod si nemo, nec hoc casu recurritur ad iudicium sortis, quia quotiescunque vertitur præiudicium alterius res nunquam sorte dirimitur secundum glo. hic in verbo, partes, sin tutores non consentirent prætori, sed omnes gerere vellent,vt puta, quia fidem non haberent electo, prætor permittere debebit eos gerere.

SVMMARIVM.

1 *Si pupillus ex mala administratione damnum passus sit, tutores in primis conuenire potest.*
2 *Item & hæredes tutorum fideiussores, necnon,& eorum hæredes.*
3 *In subsidium magistratum etiam pupillus conuenire potest.*

§.Sciendum.

Pupillus si damnum passus sit quos conuenire debeat.

1 PVpillus si damnum aliquod ex mala administratione passus sit,primo tutores cōuenire debet, & si tutores plures sint, nec diuisa fuerit tutela, potest siue omnes gesserint, siue nullus, quem voluerit conuenire, quia omnes sunt in pari culpa,l.2.C.de diuid.tutel.& hoc corā vno, & eodem iudice omnes etiam si diuersa eorum essent domicilia,l.omnes,C.arbitr.tutel. huc spectat titulus ex quibus caus.ad eundem iud. eatur in C.sed si vnus tantum administrauit,& alij non, tunc de administratis conuenitur is,qui gessit de neglectis autem,& non gestis tenentur omnes l. fin.C.si tutor vel curat. non gess. & hoc quando tutela diuisa non fuit, sed si tutela diuisa fuit, tūc aut diuisa fuit à testatore, vel iudice, aut ab ipsismet tutoribus, primo casu, quando diuisa fuit à testatore, vel iudice, quilibet pro sua administratione tenetur,l.2.§.in diuisione,C.de diuid.tute. secundo casu,si ab ipsis tutoribus diuisa fuit, tūc est in potestate pupilli, quem primo conuenire velit, siue vnus tantū gesserit, siue omnes,vt quia in partes,& regiones tutelam sibi diuiserint, omnes enim in hoc casu in solidum,& vnus pro alio tenetur, d.l.2. in fine, secundo potest conuenire hæredes tutorum,l.fi.& tot.tit. C.de hæred.tuto. vel curat. tertio fideiussores per quos satisdedit tutor,necnō & eorum hæredes,l.etiam, & l.cum
2 ostendimus,ff.de fideiuss. & nominat. & hæred. tutor. & curator. his omnibus postea excussis,si minor suum consecutus non fuerit,magistratum qui vel satisdationem non exegit,vel idoneā non accepit conuenire poterit,§.sciendum hoc titu. & l.quos.ff.qui satisd.cogan. & hæc dicitur subsidiaria
3 actio, quia datur minori in subsidium, & quando post omnia alia remedia, aliter ei consultum esse non potest,§.subsidiaria hoc tit. cum quo concordat tot.tit.ff.& C.de magistr. conuenien. & datur hæc actio non solum contra ipsos magistratus, sed etiam contra eorum hæredes,§. quæ quidem cum §.sequ.hoc titu. aduertendum tamen est, quod magistratus maiores, qui scilicet, ius dandi tutores habent, & quibus impositum non est, vt satisdationem exigant, ipsi in subsidium non tenentur, prout olim erat Præfectus Vrbi, Prætor, & Præses, text. est in §.fin. hoc titul.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Numerus liberorum excusationē à tutela præstat.*
3 *Administratio rerum Fisci.*
4 *Absentia propter rempubl.*
5 *Officium publicum.*
6 *Lis magna pupilli cum tutore.*

DE EXCVSAT. TVT. ET CVR. Titulus XXV.

In principium tit. & aliquot. §§. seq.

QVamuis tutelæ, & curę onus publicum munus sit, & propterea tutores, & curatores etiam inuiti onus tutelæ, & curæ subire cogātur, iuxta tex. in l. 1. ff. de administr. tut: tamen multæ causæ sunt, propter quas, quis se ab onere tutelę,
1 vel curæ eximere, & excusare potest, de quibus mentionem facit Imperator hic in tit. nostro, & concordat tit. ff. & C. de excusat. tutor. cum aliquot tit. sequentibus.

Quæ sint causæ excusationis propter quas quis se ab onere tutelæ, vel curæ eximere possit.

PRimò excusatur quis ab onere tutelæ, & curæ propter numerum liberorum, tres enim filij Romæ, quatuor in Italia, & quinque in pro-
2 uincijs excusationem prēstāt, tex. est hic in princ. tit. cum quo concordat tit. qui num. liber. se excusant in Cod. idque verum est, non solum de masculis, sed etiam fœminis, item non solum de filijs existentibus in patria potestate, sed etiam emancipatis, imò & quasi emancipatis, vt sunt Episcopi, Monachi, & Patricij etiam de nepotib. ex filio mortuo, & de filijs alteri in adoptionem datis, idem est dicendum, vt hic in tex. nostro cui conuenit, l. 2. §. non solum. ff. eodem, ita tamen, vt nepotes ex filio defuncto si plures sint cōputentur tantum pro vno loco patris sui, d. §. non solum, filij autē ex filia nihil in excusatione prosunt, cum non auum maternum, sed patrem sequantur, vt alias supra in §. fin. de patr. potest. diximus, & probat tex. noster hic, sic nec filij adoptiui quos quis. s. sibi adoptauit ad excusationem tutelæ prosunt, §. sed adoptiui hoc tit. item nec naturales tantum, & hoc ne parentes ex delicto suo priuilegium habere videantur, l. 2. §. remittit. ff. eod. eodem modo, nec filij cōcepti, postquam quis tutor datus fuit prosunt, licet postea nascantur, l. 2. §. qui autem in ventre, & §. numerum, ff. eod. imò nec existentes in vtero prosunt, cū nati censeantur quidem quoad suum commodum nō autem aliorum, vt supra in tit. de ingen. diximus, & probat d. l. 2. §. qui autem, similiter nec filij defuncti, nisi tamen in acie ceciderint, tune enim, quia in perpetuum per gloriam viuere cēsentur, patri etiam ad excusationē tutelæ prosunt, §. filij autem hoc tit. & l. bello amissi. ff. eod. item nec filius captus ab hostibus prodest secundum tex. in l. 2. C. de his, qui numero liberorum lib. 10.

Secundò excusationem à tutela, & cura præstat administratio rerum Fisci, durante ipsa administratione, §. item diuus hoc titu. & l. a dministrantes, ff. eodem, & hoc ne dum rebus pupilli
3 operam præstant, fiscus ipse lædatur, aut dum fisco incumbunt pupilli, vel res eorum negligantur, quæ ratio facit, vt idem dicendum sit de iurisperitis, qui in consilium Principis assumuntur, l. 30. ff. eod. & de alijs, qui publica munera exercent, l. mensores, ff. eod. l. exactores, C. eod.

Tertiò excusat à tutela, & cura, absentia propter rempubl. quando. s. quis reipubl. causa abest, vel citò abfuturus est, cum quo concordat tit. §.
4 item, qui reipub. hoc tit. C. si tut. vel curat. reipub. causa absuer. ad eo, quod etiam reuersus habet vacationem à tutela, & cura per annum, ita vt ad tutelas, vel curas per anni spatium vocari non possit, qui annus computari debet ab ea die, qua quis reuersus est rectam viam dirigens, vel dirigere debens, non si circuitione vsus sit, d. §. item, qui reipubl. hoc tit. l. non solum in publico, & in §. annus, ff. eod. l. 2. C. si tutor. vel curat. reipubl. causa absuer. & hoc non solum in honorem ipsis concessum videtur propter res feliciter gestas, sed etiam ad colligendas vires, & curam rerum suarum instituendam.

Item absens reipubl. causa, non solum excusatur à tutela suscipienda, sed etiam à suscepta, in hoc tamen differentia est, quòd à suscepta excusatur durante absentia tantummodo, interimque prouidetur pupillo de curatore, cuius officium (reuerso tutore) expirat, nec in hoc habet anni spatium, illud enim habet, vt ad nouas tutelas nō vocetur, sed non ad pristinas tutelas recipiendas d. §. item, qui reipu. d. l. non solum in princ. & l. 1. & 2. C. si tut. vel curat. reipub. causa absuer.

Quarta causa excusationis est potestas, §. & q. potestatem hoc tit. idest Imperium, siue magi-
5 stratus l. potestatis. ff. de verb. signific. l. eum, qui. ff. de iurisd. omn. iudic. tria autem sunt magistratuum genera, alij sunt Vrbani, qui propriè magistratus nominantur, inde dicti, quod veluti quidam populi magistri sint, vt Paulus docet in l. cui præcipua, ff. de verbor. signific. hinc dictator, qui summam potestatem habebat, à Cicer. lib. 3. de legibus magister populi dicitur, alij sunt Prouinciales, qui propriè potestates dicūtur, l. fideiussor in princ. ff. de pignor. alij denique sunt municipales, & quidē omnes iure magistratus se excusare posse dubium non est, l. Athletę. §. remittuntur, ff. de excusat. tut. intellige se excusare posse à tutela suscipienda, sed susceptam ante magistratum deferere non posse d. §. & qui potestatem hoc tit. l. Athletæ in princ. & l. non tantum 17. §. sanè. ff. eod. multa enim nō suscepta deprecari licet, quę semel suscepta perfici debent, §. mandatum infra mandat. item quandiu in magistratu sunt se excusare

cusare posse, aliàs non, d. §. & qui potestatem hoc tit. & d.l.Athletæ in princ. ideo qui futurus est magistratus se excusare non potest, l.propter magistratum, ff.eod. sicut nec is, qui desijt esse, l.is, §.scire oportet, ff.eod.

Quintò lis magna pupilli, vel minoris, cum tutore, vel curatore suo excusationem præstat, §. item propter litem hoc tit. & l.16.C.eod. dixi,
6 lis magnã, quia nisi de omnibus bonis, vel maiori parte bonorum lis sit, non excusatur, d. §. item propter litem hoc tit. & l.propter litem 21. ff.eod. & hoc Pandectarum iure obtinet, cui tamen iure nouo derogatum esse constat, cum ex noua Iustiniani constitutione debitor, vel creditor pupilli tutor esse non possit Auth. vt hi, qui oblig. se haber. perhib. res minor. ampliatur, vt obtineat, etiam si quis vereatur, ne litem cogatur instituere, nomine pupilli cum persona sibi coniuncta, l.humanitatis 23.C.eod.

SVMMARIVM.

1 *Tria onera tutelæ excusant à tutela suscipienda.*
2 *Quando paupertas iustam excusationem præstet.*
3 *Aduersa valetudo quomodo excuset.*
4 *Imperitia literarum, an sola pro excusatione tutelæ sufficiat.*
5 *Inimicitiæ inter patrem pupilli, & tutorem, iustam excusationis causam præbent.*
6 *Is cui mota sit quæstio status à patre pupilli rectè excusari potest.*
7 *Aetas maior septuaginta annorum excusat.*
8 *Militia qualiter excuset.*
9 *Qui ratione professionis excusationem habeant.*
10 *Res in aliena prouincia positæ quando excusationem præstent.*

§. Item tria, cum multis seq.

SExtò tria onera tutelæ, vel curæ non affectatę quandiu administrantur excusationem præstant, §.itẽ tria onera hoc tit. l.tria onera, ff.eod. & concordat tit.C.qui numer.tutel. se excusant, idque locum habet, siue sint tria onera tutelæ simpliciter, siue curæ simpliciter, siue partim tutelæ, & partim curæ, l.2.§.amplius, ff.eod. item sufficit in vna domo tres esse tutelas, ideo si pater tres tutelas habet, filio etiam excusationem præstat, & è conuerso, tria onera tutelæ filij ad excusationem patri prosunt, eodẽ modo pater, & filius excusantur, si filius vnam, & pater duas, aut pater vnam, & filius duas habeãt, l.diximus, §.si pater cum l.seq.ff.eod. tria autem onera tutelæ sic sunt accipienda, vt nõ numerus pupillorũ plures tutelas faciat, sed patrimoniorũ separatio, ideo qui tribus fratrib. indiuisum patrimonium simul habentibus tutor datus est, tutelam vnam suscepisse creditur, d.§.item tria onera hoc tit. & d.l.tria onera, ff.eod. aliquando tamen etiã vnica tutela sufficit, quando scilicet, ita diffusa est, vt pro pluribus cedat, l.si is, qui tres, §.fin. ff.eod.

Septimò excusat paupertas, si quis enim adeo pauper sit, vt suis manibus victũ quærere habeat
2 iustam excusationem habet, §.sed & propter hoc tit. l.paupertas, & l.post susceptã, ff.eod. iniquum enim esset si posthabitis suis negocijs aliena tractare cogeretur, neq; etiã pupillo vtile esset pauperẽ tutorẽ habere, cũ propter inopiã, neq; diligenter, neque fideliter res suas tractare posset.

Octauò aduersa valetudo excusat, si quis enim aduersa valetudine detentus sit, vt nec etiam ne-
3 gocijs suis interesse possit à tutela, & cura excusationẽ habet, §.itẽ propter aduersam hoc tit. & huc pertinet tit.C.qui morb.se excusant, nec tñ excusat aduersa valetudo à noua tutela suscipienda, sed etiam à suscepta, vt eam deponere possit, l.post susceptam, ff.eod. aduertendum tamen est, quod si perpetuus sit morbus, perpetuã quidem excusationẽ præstat, sed si temporalis sit, & adsit spes reconualescentiæ, præstat tantummodo excusationem temporalem, interimque datur curator, l.non solum. §.si quis ita ægrotus, ff.eod.

Nona causa, quę excusationem præstat est imperitia literarum, veluti si tutor, vel curator se literas nescire dicant, §.similiter hoc tit. nescire literas dicuntur, vt Duaren.lib.1.Anniuers.Disput. cap.1.tradit, qui neq; legere, neq; scribere sciũt,
4 qui ita demum etiam excusantur, si vltra literarũ imperitiam negociorum expertes sint, id quod innuere videtur I.C.in l.6.§.fin.ff.eod. dum ait, eius, qui se negat literas scire excusatio nõ debet accipi, si modo non sit expers negociorum.

Decimò inimicitiæ, quæ inter patrem pupilli, & tutorem fuerunt, & nondum reconciliatę sunt
5 excusationem præstant, §.item propter inimicitias hoc tit. posset enim testator sciens se magnũ æs alienum, & inexplicata negotia habere, vindictę causa inimicum suum tutorem scribere, vt eo onere, & negotijs vexetur, l.6.§.dat remissionẽ, ff.eod. & hæc excusatio locũ habet, siue ante, siue post inimitiæ extiterint secundum glo. hic in verbo, inimicitias, & non solum à testamentaria, sed etiã legitima, & datiua inimicitiæ excusant, si capitales fuerunt, §.inimicitiæ, & ibi glo. hoc tit. ex hoc autem solum, quod quis patri pupillorum ignotus sit excusari non potest, d.§.inimicitiæ.

Vndecimò is cui mota est quæstio status à patre pupilli, quem, scilicet, pater pupilli contendit
6 aliquando seruum suum esse à tutela, & cura se excusare potest, habet enim iustam offensionis causam tutor, & pupilli interest, ne talis admittatur, iure namque timeri potest, vt iniutiam à patre sibi factam pupillo filio rependat, §.item is, qui status hoc tit. è conuerso idem est dicendum si tutor pupillo, vel eius patri quæstionem status mouerit, dummodo id per calumniam, aut fictionem factum non sit, vt se à tutela liberet, d.l. Athletæ, §. amplius. ff.eodem.

Duodecimò, iusta excusationis causa est, ætas septuaginta annorũ, si tutor eam ætatẽ superarit,

& excesserit, non si ingressus fuerit, §. item maior hoc tit. l. 2. in princip. ff. eod. huc que spectat tit. C.
7 qui ætat. se excus. & hoc, tum quia senectus ipsa per se satis grauis, & molesta est, qua propter quietem magis, quam alias extraneas perturbationes desiderat, tum etiam, quia apud Romanos semper senectus ad eo venerabilis fuit, vt eũdem pęne honorem senibus deferrent quem magistratibus, l. semper, ff. de iur. immunit. dixi sup. in tit. de iur. nat. gent. & ciuil. nu. 6.

Minores autem 25. annis, olim quidem excusabantur, at hodie ex noua Iustiniani constitutione, de qua in l. vlt. C. de legit. tutor. cuius mentionem ipsemet Iustinianus facit in d. §. item maior, omnino prohibentur ad tutelam, vel curam aspirare, adeo vt nec excusatione opus sit, quandiu, scilicet, minores sunt, d. §. item maior. annusque vigesimusquintus cęptus, in hoc casu pro cõpleto habetur, l. ad rempub. ff. de muner. & honor.

Decimotertiò, militia excusationem à tutela præstat, adeo quod miles etiam volens ad tutelã non admittitur, & hoc ne à militia distrahatur, §. idem, & in milite hoc tit. l. sed & milites, ff. eod. & concordat tit. C. de excusat. tutor. illud tantum obseruandum est, quod veterani milites, qui iam
8 compleuerunt militiæ tẽpus, aduersus extraneos quidem excusantur, sed aduersus commilitonum filios vacationem tantummodo per annum habent, & nõ vltra, nisi fortè alias iustas excusationis causas habeant, d. l. sed & milites, ampliatur hoc, vt procedat non solum in militibus secularibus, sed etiã cęlestibus, l. generaliter, C. de episc. & cler. cap. generaliter 16. q. 1. militãs enim Deo negotijs sęcularibus se implicare non debet, c. 1. in fi. extra ne clerici, vel monachi secul. negot. se immisc. clerici igitur inuiti nõ coguntur recipere aliquam tutelam, possunt tantum, si velint recipere legitimam tutelam cap. peruenit 86. distin. intellige nisi vocentur ad tutelam miserabilium personarum, ad hanc enim suscipiendam in subsidium tenentur, vt voluit glo. in d. cap. peruenit.

Decimoquartò ratione professionis quis se excusare potest, vt sunt Grammatici, Rhetores, Sophistæ, Medici, & Philosophi si doceant, & artem in Patria propria, vel Romæ, quæ communis patria dicitur exerceant. aut etiam alibi legant, nam vbicunque legunt, splendor, & decus patriæ sunt fintque intra numerum, ex epistola D. Pij præscriptum, §. item Romæ, & ibi Angel. not. hoc tit. l. 6. in princ. & ibi glo. ff. eod.

Numerus autem præscriptus talis est, s. vt minores Ciuitates immunes habeát Medicos quinque, Rhetores, & totidem Grammaticos, Maiores, Medicos septem, Rhetores quatuor, & totidem Grammaticos, Maximæ, Medicos decem, Rhetores quinque, & quinque Grammaticos, & vltra hunc numerum nulla Ciuitas immunitatem præstat, d. l. 6. Astronomi vero, Arithmetici, Musici, Geometræ, & Poetæ non excusantur l. Geometræ, ff. eod. l. oratione, & l. poetæ, C. de profess. & Medic. lib. 10. sic, & iuris professores non excusantur, cum nihil eis magis conueniat, quam pupillos tueri, fallit in duabus casibus primus est, si sint à consilijs Principum, l. iuri peritos, ff. eod. secundus est, quando publicè legunt, in ijs enim casibus, & ipsi excusantur, vt tradunt Doct. hic.

Decimoquintò, qui alicuius pupilli tutelam inuitus gessit, eiusdem curator esse non cogitur, etiam si testamento datus esset, §. qui tutelam, hoc tit. l. curator, ff. eod.

Decimosextò ratione matrimonij, & sponsaliorum quis excusatur, maritus enim à cura vxoris suscipienda, & suscepta excusationem habet, imò nec volens curator vxoris esse potest, §. idẽ rescripsetiit hoc tit. l. maritus, C. qui tut. dar. poss. l. 1. & 4. ff. eod. pro intelligentia tamen est sciendum, quòd vxor triplicia bona habere potest, primo dotem, & in hac maritus dominium habet, l. doce ancillam, C. de rei vendicat. secundo bona parafernalia, quæ. s. mulier vltra dotem habet, & marito in custodiã tradidit, & in ijs maritus est legitimus administrator, ita vt sine speciali vxoris mandato, & agere, & conueniri possit, l. fi. cum ibi not. C. de pact. conuent. tertiò habet bona, q̃ mulier cũ marito dotẽ daret sibi reseruauit, & in ijs maritus nõ est legitimus administrator, sed opus est, vt ab vxore procurator cõstituatur, l. maritus C. de procurat. de ijs bonis loquitur tex. noster.

Decimoseptimò, cum tutor simpliciter datus ad vniuersum pupilli patrimonium cẽseatur datus, siue bona in territorio, siue extra territorium sita sint sm tex. in §. datus hoc tit. ideo in hoc casu poterit se excusare ab administratione earũ rerũ, quæ in aliena prouincia vltra centesimũ lapidem sita sunt, l. non solum, §. & qui testamento, ff. & l. propter litem, ff. eod. l. 2. & l. testamento, C. eod.

Decimooctauo excusatur is, qui domiciliũ nõ habet in eo loco, vbi tutela gerẽda est, l. vlt. ff. eo.

Decimonono excusatio etiam admittitur propter status pupilli, & tutoris disparitatem, vtputa, si alter ingenuus sit, alter libertinus, l. 1. & l. cum ea oratione, ff. eod. l. 3. C. eod. vnde vsu apud Gallos receptum esse, vt nobiles à plebeiorum tutelis se excusare possint, tradit Duarenin tit. ff. eod. in princ. sed quæro diximus ætatem 70. ann. excusare, item numerum liberorum, numerum triũ tutelarum, ponamus modo, quendam 60. annorum esse, eundem duos liberos, & duas tutelas habere an excusetur, videretur dicendum quod sic, secundum illud vulgare dictũ, q̃ non prolunt singula multa iuuant, contrariũ tñ est verius per tex. in l. spadonẽ, §. qui iure, ff. eod. vbi habem⁹ ob tales species imperfectas excusationem nõ competere, illud tamen omittendum non est, quòd si quis promiserit patri pupillorum, se eorum tutelam suscepturum, id munus detrectare amplius non potest, etiã si alias iustas excusationis causas habeat, videtur enim per promissionem excusationibus renunciasse, §. item si propter inimicitias hoc tit. l. spadonem is, §. 1. ff. eod. idque in fo-

latium

latium morientiũ seruari æquũ visum est, ex quo facile colligi potest, qualiter sint seruanda promissa morientib. facta de quo Ias.& Doct.in l.cũ antiquitas, num. 3.C.de testam.& in l.3.§.1.ff.de liber.& posthu. & in l.nemo potest de legat.1.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo proponenda sit excusatio.*
2 *Intra quod tempus excusatio proponi debeat.*
3 *Qui falsis excusationibus vtitur, an liber sit ab onere tutelæ.*

§. Qui autem, iuncto §. sequenti.

Quomodo proponenda sit excusatio.

EXcusatio in primis corã iudice, & apud acta proponi debet, quæ si à iudice (causa co-
1 gnita) fuerit admissa, liber erit tutor ab omni periculo tutelæ, & si non fuerit admissa, poterit prouocare ad superiorem, l.scire oportet, ff.eod. l.si tutor, & l.tutores, C.eod.nec obstat text.noster in §.qui autem, dum ait, quod qui se excusare volunt, non appellant, nam nõ appellant à nominatione.s.& datione tutoris, quia ab ea se excusare debẽt, & causas adducere, cur illa munera subire detrectent, vnde non sequitur, quin postea si excusatio non fuerit admissa, se appellare non possint à sententia reiectæ excusationis, vt dicitur in d.l.scire, & in d.l.tutores, ratio autem cur à tutela non appelletur, cum sit munus publicum, & à cæteris muneribus publicis appelletur secundum tex.in l.1.§.alia causa. ff.quando appell. sit, Bart.in d.l.1.credidit id esse, quia munus reipubl. non sit, Dominus Mynsinger. vero in d.§. qui autem hoc tit. ob id quod iurisdictionis non sit, ob quam corrigendam appellatio inuenta est, quæ ideo in cæteris muneribus locum habet, quia illa à Præsidibus, vel decurionibus iurisdictionem habentibus imponuntur, dicta l.prima, §.solent, ff.quando appell.sit l.item, §.primo, ff. quod cuiusque vniuersit. nomine, l. prima, ff. si quis ius dic. non obtemper.

Intra quod tempus proponi excusatio debeat.

QVando quis ab onere tutelæ se excusare vult, intra quinquaginta dies excusationẽ suam coram iudice proponere debet, & si plures excusationes habeat, omnes etiam intra
2 dictum tempus 50.dierũ proponendæ sunt, alias si plures haberet, & vnam tãtum proponeret intra prædictũ tempus, si in ipsa deficiat, alijs amplius vti non potest tex.est in §. qui autẽ hoc tit. in l.scire oportet, ff.eod. & in l.quinquaginta, C. eod. at si omnes proponat, intra dictum tempus 50.dierum, tunc quamuis postea in vna deficiat alijs vti non prohibetur dictis iuribus.

Hoc autem tempus quinquaginta dierum, statim cedere, & currere incipit, ex quo quis se tutorem datum esse sciuit, quocunque modo datus sit, siue a testatore, siue a lege, siue à iudice, d.§.q. autem, & d.l.scire. §.quinquaginta. ff.eod. dummodo pure datus sit, nam si sub conditione, aut die, tempus ante condit.vel diem nõ currit, l. Titius.ff.eod.& hoc, quando tutor, vel præsens, vel saltem intra centesimum lapidem sit ab eo loco, vbi tutor datus est, quia si absens sit, & vltra centum milliaria distet, aliud obseruatur, tunc enim pro singulis 20. milliaribus singulos dies habebit pro itinere faciundo, iuxta tex.in l.3.ff.de verbor. signific.& insuper vrbem ingressus 30. alios dies, qui ita tamen numerandi sunt, ne numerus dierum minor sit 50.exempli gratia, si dinumeratio dierum, qui pro itinere computantur, adiectis 30 diebus, quos lex dat, non conficiant simul 50. dierum numerum, in hoc casu alij dies vsque ad perfectum numerum 50. dierum dari debent, & hoc ne deterioris conditionis sit is, qui longius abest, quam qui in viciniori loco est, d.§.qui autem hoc t.t. & d.l.scire oportet. ff.eod. Milliare Italicum, vel legale, quod idem est, mille passibus constat, passus quinque pedibus, pes verò quindecim digitis, glo.in d.l.3. ff.de verb.significat. & singulis milliaribus Romani lapideas columnas spatiorum signa inscripta habentes tenebant, vt Plutar. in Gracchis, & Barnabas Brissonius lib.4. antiq.cap.8.tradunt, & hoc est, quod Imper. hic dicit, intra centesimum lapidem.

Excusatio proposita intra quod tempus probari debeat.

3 PRoposita excusatione vna, vel pluribus, intra tempus præscriptum 50.dierum, datur tempus postea quatuor mẽsium ad persequendam, & probandam ipsam excusationem text. est in l. quinquaginta. ff.eod. & si plures propositæ fuerunt intra prædictum tempus quinquaginta dierum, tunc licet in vna, vel aliquibus deficiat, per hoc tamen alijs vti non prohibetur intra dictum tempus quatuor mensium, cum debito tempore propositæ fuerint, vt supra declarauimus.

Qui falsis excusationibus vtitur, an liber sit ab onere tutelæ.

EXtat de hac re tit. in Cod. si tutor, vel curator falsis allegationibus excusatus sit, & regula est, quòd si quis ad effugiendum onus tutelæ, vel curæ, falsis excusationibus vsus sit, per hoc liber non est ab onere tutelæ, sed periculum administrationis nihilominus ad eum pertinet, tex. est in §.fin.hoc tit.& in l.1.& per totum titulum, C.si tutor, vel curator falsis allegation.excusatus sit, & hoc optima ratione statutum esse videtur, mendax enim præcator pœnitus carere debet impetratis, vt dicitur in cap.super literis, extra de rescriptis.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Suspecti accusatio ex l. 12. tab. emanat.*
3 *Accusatio suspecti, ciuiliter, & criminaliter intentari potest.*

DE SVSPECTIS TVTORIBVS. Titulus XXVI.

In principium Tit.

1 CVM hucusque tractauerit Imperator de omnibus qualitatibus, quæ ad tutelam, & curam spectant, & cum quandoque tutores suspecti postulari soleant, ideo vltimo loco ponit titulum de suspect. tutor. & concordat tit. in ff. & C. de suspect. tutor.

Vnde descendat crimen suspecti.

2 SVspecti crimen, seu accusatio ex l. 12. tab. manat, vt dicit Imper. hic, sicut & alia omnia, quę ad tutelas pertinent, erant verba l. 12. tab.

Suspecti tutores remouentur.

3 HÆC suspecti accusatio dupliciter intentari potest, ciuiliter, & criminaliter, ciuilis est, quando agitur contra tutorem, vel curatorem in iudicio, vt declaretur esse suspectus, & restitutis oblatis, remoueatur ab officio tutelæ, vel ei curator adiungatur, l. si tutor. ff. eod. criminalis est cum agimus contra tutorem, vel curatorem, vt non solum remoueatur ab officio tutelæ, sed etiam vt arbitrio iudicis puniatur, l. 1. §. fin. & ibi glo. ff. eodem.

SVMMARIVM.

1 *Olim Prætor Romæ, in Prouincijs Præsides, & Legatus Proconsulis, de suspecto cognoscere poterant.*
2 *Hodie omnes iudices, qui dare tutores possunt, de suspecto etiam cognoscunt.*

§. Datum.

Qui Iudices possint de suspecto cognoscere.

1 OLim Prætor Romæ, in Prouincijs Præsides, & Legatus Proconsulis de crimine suspecti cognoscere solebant, §. datum hoc titu. & l. 1. §. damus. ff. eodem, hodie omnes iudices, qui habent facultatem dandi tutores, habent etiam potestatem, & cognoscere possunt de crimine suspecti tutoris, vt Aldobrandinus, & alij hic notant.

SVMMARIVM.

1 *Omnes tutores de suspecto accusari possunt.*
2 *Si patronus accusetur in accusatione mentio doli fieri non debet.*

§. Ostendimus, & §. Quod si patronus.

Qui tutores suspecti accusari possint.

1 OMnes tutores, siue testamentarij, siue legitimi, siue datiui, vt suspecti accusari possunt, licet enim à principio eorum fides approbata fuerit à testatore, à lege, vel iudice, tamen multa post susceptam tutelam accidere possunt, propter quæ merito suspecti haberi possint, l. in confirmando, ff. de confirmand. tutor. imo & patronus, qui est legitimus tutor sui liberti, vt suspectus postulari potest, verum bene est, quòd lex iubet, vt modestius cum eo agatur, & famæ ipsius parcatur, adeo quod in accusatione men-
2 tio doli fieri non debeat, nec peti, vt ob id condemnetur, sed simpliciter, vt remoueatur, vel curator ei adiungatur, §. quòd si patronus hoc tit. & l. si tutor. ff. eodem.

SVMMARIVM.

1 *Omnibus accusatio suspecti competit.*
2 *Fœminæ si pietate ducantur, accusare de suspecto possunt.*
3 *Adultus maior 14. ann. curatores suos suspectos accusare non potest, nisi cum consilio suorum coniunctorum.*
4 *Impubes non admittitur ad accusandum de suspecto tutores suos.*

§. Consequens.

Quibus accusare liceat suspectos tutores.

HAEC suspecti accusatio cum quasi publica sit, & Reipubl. intersit, pupillorum bo-
1 na conseruari, vt inquit Imperator. hic, ideo omnibus competit, §. consequens hoc tit. & l. 1. §. consequens, ff. eod. adeo quod contutor contutorem suum etiam si fuerit remotus, vt suspectum accusare potest, tex. est in l. 3. ff. eod. & seruus licet accusare nequeat, tamen admittitur in iudicio ad instruendum accusatorem, de fraudib. tutorum, l. fin. ff. eod. & fœminæ licet regulariter accusare non possint secundum text. in l. 1. ff. de accusat. tamen mater, auia, soror, & nutrix pupilli, etiam impudica, admittit secundum gloss. hic,
2 quinimo, & aliæ fœminæ si pietate ducantur, fauore pupillorum accusare possunt, dict. §. consequens hoc tit. & l. pietatis in fine, C. eod. adultus
3 verò maior 14. ann. non potest nisi cum consilio suorum coniunctorum, curatores suos suspectos accu-

accusare. §. impuberes, hoc tit. & l. impuberibus, ff. eod. at impubes minor 14. ann. cum firmitatē
4 iudicij non habeat, nullo modo admittitur ad accusandum de suspecto tutores suos, ne leuitate ductus, forsitan, vt se à potestate tutorum liberet facile inducatur ad accusandum, d. §. impuberes hoc tit. & d. l. impuberibus. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Qui male administrat, vt suspectus remoueri potest.*
2 *Multæ sunt causæ propter quas tutor remoueri pōt.*
3 *Pendente suspecti cognitione, interdicitur tutori administratio.*

§. Suspectus, iuncto §. si quis tutor.

Quæ sint causæ suspicionis propter quas tutor remoueri debeat.

PRima causa est, si non ex fide tutelam, vel curam gerat, tunc enim suspectus dicitur, & remoueri potest, §. suspectus hoc tit. & l. suspectus. ff. eod. & hoc siue dolo, siue culpa, & negligentia malè administret, quoties enim, vt oportet, non
1 administrat remoueri potest, §. suspectus hoc tit. & l. 3. §. fin. iuncta l. 4. §. fin. ff. eod.

Secunda causa est, mali mores tutoris, vt si cōuersetur cum iniquis, & malis hominibus, & excedat modum in expendendo, §. fin. hoc tit.

Tertia, si in alia tutela male versatus sit, quo casu, etiam antequam tutelam gerere incipiat, remoueri potest, d. §. suspectus hoc tit. qui enim malus in vna tutela fuit, talis etiam in alijs futurus præsumitur, iuxta capit. qui semel, de regulis iuris in sexto.

Quarta, quando per fraudem res minorum immobiles sine decreto iudicis alienat. l. 3. §. seuerus. ff. eodem.

Quinta, quando tutor non fecit inuentarium, l. 3. §. tutores. ff. eod.

Sexta causa est, subtractio alimentorum, veluti cum tutor latitat ne alimenta pupillo à iudice decernantur, tunc enim, vt suspectus remouetur,
2 & mittitur pupillus in possessionem bonorum tutoris custodiæ causa tantum, & vt sibi de mala administratione rectius sit cautum, §. si quis tutor hoc tit. & l. impuberibus. §. praeterea. ff. eod. qualiter autem alimenta decerni debeant, traditur in l. ius alimentorum, ff. vbi pupill. educar. deb.

Septima, si tutor per mendacium negat alimenta pupillo decerni posse, non solum remouetur, sed etiam punitur, §. sed si quis præsens hoc tit. & l. 3. §. tutor. ff. eod.

Octaua, si omittat tutor defensionem pupilli, vt suspectus remoueri potest, l. fin. & ibi glo. C. de administr. tut. nec refert, si tutor accusatus obijciat se soluendo esse, seque finita tutela, de malè gestis rationem redditurum, §. suspectus hoc tit. & l. suspectus. ff. eod. melius enim est intactā pupillorum iura seruare, quā post vulneratam causam, remedium quærere, vt dicitur in l. fin. C. in quibus caus. restit. in integr. non est necess. minus etiam refert, quoties fraudulenter tutorem in tutela se gessisse probatur, si satisdationem offerat, nam satisdatio maleuolum propositum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari pupilli facultatem præstat, §. nouissimè hoc tit. & l. suspectus. ff. eod. illud sciendum est, quòd donec pendet suspecti cognitio, interdicitur tutori administratio, & interim curator, §. si quis autem hoc tit. & l. eum quem. C. eod.

SVMMARIVM.

1 *Si tutor ob dolum remouetur, efficitur infamis, si ob culpam non.*
2 *Extincta tutela, extinguitur suspecti cognitio.*

§. Suspectus autem remotus.

Quæ sit pœna tutoris suspecti.

QVando tutor, vel curator ob dolum commissum remotus est, existimationis suæ notam incurrit, & efficitur infamis, sed
1 si remoueatur propter culpam, & negligentiam, tunc non efficitur infamis, sed illibatam, & integram æstimationem suam seruat, §. suspectus autem remotus hoc tit. & l. fin. ff. eod. hæc suspecti cognitio quocunq; modo extincta fuerit tutela,
2 & cognitio ipsa extinguitur secundum glo. hic in verbo Extinguitur, ideo non debet amplius pupillus hanc actionem intentare, frustratoria. n. esset actio, nam cum agatur in ea, vt tutor, vel curator remoueatur ab officio tutelæ, finita tutela, iam est remotus, nec amplius est, quòd remouea tur, sed actione tutelæ ad suum consequendum contra tutorem ipsum, vel eius hæredes agere debet, l. fi. & toto tit. C. de hæred. tut. vel curat.

Finis Libri primi Institut. ad laudem Dei, & eius gloriosissimæ Matris Virginis Mariæ.

THADAEI PISONIS SOACII. GVERINI FILII I.V.D. COMMENTARIA,

In secundum Instit. Iustiniani Imperatoris Librum.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio libri secundi.*
2 *Concordantes tituli in Pandectis.*
3 *Tituli diuisio.*

DE RERVM DIVISIONE, & acquirendo ipsarum Dominio. Tit. I.

1 EXPOSITO, in primo libro Personarum iure diuisionibusq. earum explicatis, transit in hoc secundo Imperator ad alterum iuris obiectum, videlicet, ad res.
2 In Pandectis duo distincti sunt tituli, vnus de rerum diuision. alter de acqu.rer. domin. hos titulos Imperator hic coniungit, & primò rerum diuisionem proponit, deinde modos acquirendi rerum dominia subiungit, prima
3 pars incipit in principio tituli, & durat vsque ad §.singulorum, secunda incipit à d.§.singulorum, & durat vsque in finem Tituli.

SVMMARIVM.

1 *Res aliæ sunt in patrimonio nostro, aliæ extra patrimonium nostrum.*
2 *Seruitutes quæ bonis nostris debentur, nec in patrimonio nostro, nec omnino etiam extra patrimonium nostrum esse censentur.*

Prima Pars Tituli.

In Principium Tituli.

Quæ sit prima rerum diuisio.

PRima, & principalis rerum diuisio est, quòd omnes res, aut sunt in patrimonio nostro, aut extra patrimonium nostrum, §.1. hoc tit.l.1. ff.eod.in patrimonio nostro dicuntur res humanæ, quas aut possidemus, aut saltem possidere possumus, extra patrimonium res diuinæ, sacræ, religiosæ, & sanctæ, quas nec possidemus, nec aliquo pacto possidere possumus.

2 Addunt Doctores, quod quædam res, nec sunt in patrimonio nostro, nec extra patrimonium nostrum, vt seruitutes, hæ enim in bonis nostris naturaliter non sunt, cum natura non possideantur, sed tantum iuris interpretatione, l.43. §. incorporales, ff.de acquir.rer.domin. extra tamen bona nostra dici non possunt, cum sint iura, quę prædijs, & bonis nostris debentur, l.rem in bonis eod.tit.de acquir.rerum domin.

SVMMARIVM.

1 *Secunda rerum diuisio traditur.*

§. Quædam.

Quæ sit secunda rerum diuisio.

1 ALia, & secunda rerum diuisio est, quod quędam res sunt communes, quędam publicę, aliæ vniuersitatis, aliæ nullius, & aliæ singulorum, §.quædam hoc tit. & l.2. ff.eod.

SVMMARIVM.

1 *Quæ res communes sint.*
2 *Prohibens vti rebus communibus actione iniuriarum conueniri potest.*

§. Et quidem, & §.littorum quoque.

Quæ res dicantur communes.

COmmunes res dicuntur illæ, quarum vsus omnibus animantibus naturaliter commu-
1 nis est, vt aer, sine cuius assidua repercussione, neque homines, neque bruta viuere possent, vnum enim est ex quatuor elementis necessarijssimum, cuius solo alimento, Chameleontem (qui solus animalium nec cibo, nec potu vescitur) ali, Plinius author est lib.8.cap.33.de lupo etiam Accursius noster scribit cum vento viuere in l.fi. C.de aliment.pupill. præstand. eundem in fame, terra, vesci, scribit Plinius lib.8.cap.22.aqua profluens, tàm ex cœlo, quam ex terra, mare, & per hoc

hoc littora maris,§.& quidem hoc tit.l.2.ff.eod.
Quilibet igitur in mari piſcari, & ad littus maris
accedere poteſt;dummodo à villis,hoc eſt,ruſti-
cis domicilijs,monumẽtis,vt ſepulchris,ſtatuis,
tropheis,pyramidibus à monendo, eo quòd ali-
cuius præteritæ rei nos moneant, ſic dictis,alijſ-
que ædificijs abſtineat d.§. Et quidem; ſic & ibi
caſam,ſeu domunculam ſtramentis arundinibus
ſimiliue genere cõſtructam,in quam ſe recipiat,
ſine tamen publici vſus impedimento ponere,
retia ſiccare,ac ex mari deducere poteſt,§.litto-
rum quoque hoc tit.& l.5.ff.eod.& ſi quis huiuſ-
modi rebus vti prohibeat,actione iniuriarũ con-
ueniri poteſt, l.iniuriarum.§.ſi quis. ff.de iniur.
Latona apud Ouid.6. Metamorph. ruſticis,qui
aquas deguſtare prohibebant, allegat.

Quid prohibetis aquas? vſus communis aquarum eſt,
Nec ſolem proprium natura, nec aera fecit,
Nec tenues vndas ad publica munera veni.

Virgilius etiam de pœnorum iniuria queſtus,qui
littora prohibebant, ſic ait.

Quod genus hoc hominum? quaue hunc tam barbara morem
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arena
Bella cient, primaq. vetant conſiſtere terra.

SVMMARIVM.

1 *Quæ res publicæ dicantur.*
2 *Portus, & ripa quid ſit.*
3 *Differentia inter ripam, & littus.*
4 *In quibus differant res communes à publicis.*
5 *Verus intellectus, §. littorum quoque.*

§. Flumina, & §.Riparum.

Quæ res dicantur publicæ.

PVblicæ res dicuntur illę,quarum vſus de iure
gentium omnibus populis æqualiter cõmu-
nis eſt,vt Flumina,Portus,& Ripæ, §.flumina,&
§.riparum hoc tit.l.4 & 5.ff.eod. intellige de flu-
minibus, quæ perpetuò fluunt, & ſunt nauigabi-
1 lia,nam ea,quæ nauigabilia non ſunt, publica nõ
dicuntur,l.1.§.1.& 2.ff.de flumin. quilibet igitur
per flumen nauigare,in ipſo piſcari, ad ripam re-
tia ſiccare, ac funes arboribus ibi natis religare
poteſt,d.§.flumina,& d.§.riparum hoc tit.d.l.4.
& 5.ff.eod.& ſi quis prohibeat, actione iniuriarũ
conueniri poteſt,l.iniuriarum,§.ſi quis me,& fin.
ff.de iniur.portus eſt locus quidam munitus pro
2 ſtatione nauium, vbi à ventis tutæ ſint, l.portus
109. ff.de verb.ſignific. ripa eſt id, quod flumen
continet,& naturalem rigorem curſus ſui tenet,
l.1.§.ripa.ff.de flumin.ſic à veteribus dicta,quòd
aquarum, & fluctuum agitatione rumpatur, dixi
naturalem rigorem,quia licet quandoq.in hieme
extendatur,tamen ripa vſque eò non extenditur,
& ſic differt à littore, quia littus euſq; intelligi-
tur quatenus maximus, & hybernus fluctus ex-
3 currit,ac exæſtuat. id quod M.Cicer.cum arbiter
eſſet,primum cõſtituiſſe ferunt,d.§.flumina hoc
tit.& l.littus 96. ff.de verb.ſignific. differt etiam,
quia littus eſt maris,& ripa fluminis, hinc riparij
dicuntur,qui in ripis habitant, riparıæ aues, quæ
in riparum cauis nidificant, Plin.lib.30.natur.hi-
ſtor.cap.4.& riparenſes milites, qui tuendis Im-
perij limitibus deſtinati,fluuiorum ripis inſident,
l.contra,C.de re milit.lib.12. item differt tanquã
res communis à publica, qua de re infra.

In quibus differant res communes à publicis.

DIfferunt inter ſe res communes,& publicæ,
primò, quia cõmune.l.quod iure naturali
omnibus peræq. exponitur,publicum quod iure
gentium ad publicum vſum ſecundum dominia
diſtincta pertinet,& ideo dicitur publicum,quaſi
populicum, ſecũdò in rebus communib. nullum
dominium conſtitutum eſt, nec quoad proprie-
tatem, nec quoad vſum nullum enim dominiũ à
iure gentium conſtitutum eſt in aere, aqua, vel
mari,vt dr̃ in l.deprecatio, ff.ad l.Rhod.de iactu.
ſed in publicis,licet quoad vſum,& ipſa cõmunia
ſint, tamen quoad proprietatem certum domi-
nium in eis ſtatutum eſt,ideo riparum proprie-
4 tates eorum eſſe dr̃, qui propè prædia poſſident,
qua de cauſa arbores quoq; ibi natæ eorum eſſe
intelliguntur,& cõſequenter fructus ex ipſis pro-
uenientes cùm acceſſorium ſequatur ſuum prin-
cipale,§.Riparũ in fi.hoc tit.l.5.ff.eod.cap.acceſ-
ſorium de reg.iur.in 6.idq. optima ratione ſtatu-
tum eſſe videtur cùm plerumq. etiam vi fluminis
ripas vicinoſq. agros inundatione conteri,& de-
populari contingat,& Regula ſit,vt qui ſentit in-
commodum,debeat etiam ſentire commodum,
& e contra cap. qui ſentit de reg.iur.in 6. tertiò
communia conceduntur occupantibus, publica
non ſic, ſed ius gentium dominiũ in eis cõceſſit,
vt ſint populorum circa iacentium,& vicinorum,
ideo nec occupari poſſunt tot.tit.ff.ne quid in lo
co publi.& ne quid in flumin.publ. quandoque
tamen confunduntur publicum, & commune,vt
in §.littorũ quoque hoc tit.pro cuius cognitione
ſciendum eſt, id quod commune eſt, publicum
quandoque dici poſſe, veluti ſi ab aliquo populo
occupatum ſit,l.10.ff.eod.maris enim, & littorũ
dominium præſcribi poteſt,tanto.ſ.tempore,cu-
ius initij memoria non extat, ſecundum glo.poſt
tex. in l.vſum aquæ, C.de Aquęductu, lib.11.ſic
Veneti in mari Adriatico iuriſdictionẽ huiuſmodi
præſcriptione conſecuti ſunt,vt tradit Bart.in d.
l.iniuriarum,§.ſi quis.ff.de iniur.vel etiam, com-
mune publicum dici poteſt,ſi eius vſum in rebus
ex hominum induſtria prouenientib. ſpectes, vt
nauigare, piſcari, retia ſiccare, & ex mari dedu-
cere,caſam in littore ponere,& ſimilia,de quibus
5 in d.§.littorum quoque, item ſciendum eſt, ni-
hil eſſe commune, quod non aliquid publicum

habeat, vt mare est commune, portus maris publicus, sic nihil publicum quod non commune aliquid habeat, veluti flumen est publicum, sed vsus fluminis æque communis est, vt maris, l. 1. ff. de flumin. vtar igitur libere aqua fluminis, sed non vt aliquid ędificare, molirive possim, propterea recte dicitur in §. & quidem hoc tit. & in l. 3. ff. eod. aquam profluentem esse cōmunem, quasi induat aliter de alueo, & ripis iudicandum fore.

SVMMARIVM.

1 *Res vniuersitatis quæ sint.*
2 *Differunt res vniuersitatis à rebus communibus, & publicis.*
3 *Dominium rerum vniuersitatis non dicitur singulorum, sed vniuersorum.*
4 *Pro debito vniuersitatis non possunt capi personæ singulares.*

§. Vniuersitatis.

Quæ res dicantur vniuersitatis.

VNiuersitatis res dicūtur illæ, quæ vel ad certam Ciuitatem, vel ad totum aliquod col-
1 legium pertinent, vt Theatra, stadia, fora, pascua,
nemora, & ijs similia, §. vniuersitatis hoc tit. l. 6.
§. vniuersitatis, ff. eod. Theatrum ędificium est ad
videnda spectacula paratum, in formam semicir-
culi dispositū, differt ab Amphyteatro, quia eius
forma rotunda est ex duobus veluti theatris cō-
stans, stadium locus est, in quo curulia certami-
na exercebantur inter homines, equosve curren-
tes, & Athlætas certantes, l. ciuitatibus in princ.
ff. de legat. 1. Cicer. lib. 2. Tuscul. cursores (inquit)
in stadio exclamant, quàm maximè possunt, his
reb. quilibet de vniuersitate vti poterit, & si pro-
hibeatur aduersus prohibētem iniuriarum agere
poterit, l. iniuriarum, §. & ita, ff. de iniur. alij autē
2 qui de vniuersitate non sunt, vti minimè possunt,
& sic differunt à rebus communibus, & publicis,
quia illæ saltem quoad vsum omnibus gentibus
competunt, hæ ijs tantum, qui sub vniuersitate
sunt, illud sciendum est, quòd licet singulæ per-
sonæ de vniuersitate, rebus vniuersitatis vtantur,
dominium non dicitur per hoc singulorum, sed
vniuersorū, vnde nec quod vniuersitati debetur,
3 singulis debetur, nec quod vniuersitas debet sin-
guli debent, l. sicut, §. si quid, ff. quod cuiusq. vni-
uersit. nomin. vbi Castrensis notat, quod pro de-
4 bito vniuersitatis nō possunt capi personæ singu-
lares, quia ipsę non debent, sed vniuersitas.

SVMMARIVM.

1 *Res nullius.*
2 *Multis modis res nullius esse dicuntur.*
3 *Res nullius in quibus ab alijs differant.*

§. Nullius.

Quæ res nullius esse dicantur.

NVllius res dicuntur esse illæ, quæ in nullius
bonis sunt, id quod multis modis contin-
1 gere potest. s. natura, facto, diuturnitate tempo-
ris, euentu, & hominum censura. Natura, vt feræ
bestiæ, pisces, & volucres, §. feræ hoc tit. facto, vt
2 res, quæ à Domino habentur pro derelicto, §.
pen. eod. tit. diuturnitate temporis, vt thesaurus,
§. thesaurus eod. euentu, vt hæreditas iacens, l. 1.
ff. eod. censura hominum, vt res sacræ, religiosæ,
& sanctæ, §. nullius hoc tit. quod enim diuini iu-
ris est, id in nullius bonis esse censetur, l. 1. ff. eod.
& de his loquitur rex. noster in d. §. nullius cum
aliquot seq. differūtq. ab alijs, de quibus diximus,
quia illę in vsu, & seruitio hominum consistunt,
3 hæc in vsu, & ministerio Dei, i. ē illę quodāmodo
dominio nostro subijci possunt, hæ nullo pacto.

SVMMARIVM.

1 *Sacræ res, quæ dicantur.*
2 *Nemo propria authoritate sibi sacrum constituere potest.*
3 *Quid sint sacra priuata apud Paul. I. C. in l. 9. ff. ad l. Iul. peculat.*
4 *Denteales feriæ quæ.*
5 *Semel æde sacra facta etiam diruto ædificio locus sacer manet.*
6 *Euocatio Deorum, quam expugnatores vrbium facere solebant.*
7 *Roma in tutela ignota Dei erat.*
8 *Res sacra nullo titulo, neque modo aliquo alienari possunt.*
9 *Pro redemptione captiuorum, & pro alendis pauperibus vasa sacra vendi possunt.*
10 *Etiam pro necessitate Ecclesiæ res sacræ vendi possunt.*

§. Sacræ.

Quæ res sacræ dicantur.

1 SAcræ res dicuntur illæ, quæ ritè per Pontifi-
ces Deo sacratę sunt, vt ædes, & donaria, quę
ad ministerium Dei dedicata sunt, §. sacræ hoc
tit. l. 6. §. sacræ, ff. eod. fiebat olim huiusmodi con-
secratio à Consule, iussu popul, deinde translato
in Principem Imperio per Cęsarem ipsum, aut
illius authoritate, hodie apud nos per solos reli-
gionis nostræ antistites, & pontifices fit rerum,
& locorum sacrorum consecratio, certis, & so-
lemnibus præfatis verbis, ac ritu quodam singu-
lari religiosè obseruato, quem Pōtificia lex pre-
scribit tot. tit. de consecrat. Eccles. vel Altar. & de
2 consecrat. distinct. 1. 2. 3. 4. & 5. nemo igitur pro-
pria auctoritate sacrum sibi constituere potest,
& si constituat, non sacrum, sed profanum erit,
d. §. sacræ hoc tit. & d. l. 6. §. sacræ, ff. eodem, idest,

procul

procul à fano,& religione,l.nemo,& ibi Accurſ.
C.de ſumm.Trin.quamuis Trebat.lib.10.de relig.
& Macrob.lib.3.Saturnal.cap.3.id duntaxat pro-
fanum eſſe exiſtiment, quod ex religioſo,vel ſa-
cro ad hominum vſum conuerſum eſt,quæ autē
Paulus I.C.in l.9.ff.ad l.Iul.peculat.ſacra priuata
vocat, eā non ſunt de quibus hic loquimur, ſed
3 quæ nimirum ſingulis hominibus familijs,& gen
tibus attributa ſunt , vt quotannis celebrentur,
veluti diebus natalibus, luſtricis , nuptialibus,&
denicalibus (ſunt denicales dies, feriæ illæ fune-
rales , nouem dierum , quorum ſeptem primis,
cadauer domi deplorabatur,octauo efferebatur,
nono tumulabatur, quibus fas non erat,propin-
4 quos,familiares,eorumq. fideiuſſores, in ius vo-
care, hoc nobis ſignificat Vlp. I.C. in l.2. ff.de in
ius vocan. dum ait,fanus familiare ducentem,iu-
ſtave mortuo facientem in ius vocari non poſſe)
ſemelq. æde ſacra facta etiam diruto ædificio lo-
5 cus ſacer manet, vt ex Papin. in l.73. ff.de con-
trah.empt.refert Imperator hic,vno tamen caſu
ædes ſacra,profana fit,quando.ſ.ab hoſtibus ca-
pitur, l.cum loca, ff.de religioſ.& ſumpt.funer.
& hoc,quia cum hoſtes vrbē expugnabant,deos
omnes tutelares indè ſolēni carmine euocabant,
vel quòd crederent vrbem non aliter capi poſſe,
vel ſi poſſet, nephas eſſe iudicarēt,deos captiuos
habere,idque cōceptis quibuſdam verbis fiebat,
quæ ſe apud Serenum Sammonicum legiſſe Ma-
crob. Saturnal. lib.3. cap.9. refert in hæc pœnè
verba, ſi Deus, ſi Dea eſt , cui populus ciuitaſq.
6 Carthaginenſis in tutela eſt , teque maximè ille,
qui vrbis huius populiq. tutelā recepiſti,precor,
ueneror q.,veniamq. à vobis peto,vt vos, popu-
lum, ciuitatemq. Carthaginenſium deſeratis,lo-
ca,templa ſacra,vrbemq. eorū relinquatis, abſq.
his abeatis,eiq. populo,ciuitatiq. metum formi-
dinem,obliuionem inijciatis,proditiq. Romam,
ad me meoſq. veniatis,noſtraq. vobis loca, tem-
pla ſacra,vrbs, acceptior, probatiorque ſit, mihi
quoq.,populoq. Romano,militibuſq. meis,præ-
poſiti ſitis,vt ſciamus intelligamuſq. , ſi ita fece-
ritis,voueo vobis templa,ludoſq.facturū, ad hāc
deorum euocationem diſceſſionemq. reſpexiſſe
videtur,etiam Virgil.lib.2.Aeneid.dum ait:

Exceſſere omnes aditis ar:ſq. relictis,
Dij, quibus Imperium hoc ſteterat.

Hac de cauſa,ne ſimili deprecatione Vrbs Roma
ab hoſtibus excantari poſſet, Deum in cuius tu-
7 tela Roma eſſet occultatum,& ignotū priſci Ro-
manorum voluerunt, vt refert Plin. lib.28.cap.2.
hodie de locis captis ab hoſtibus iure pontificio
ſecus eſſe videtur per tex.in cap.paſtoralis 7.q.1.
vt videre eſt in ciuitate Hieruſalē, ſic diruto ædi-
ficio iure Pontificum templi locus ſacer nō ma-
net,ſed rurſus conſecrari debet,cap.eccleſijs de
conſecr.diſtin.1.niſi tectum duntaxat corruiſſet,
parietibus illęſis manentibus,cap.ligneis de con-
ſecr.Eccl.huiuſmodi res ſacrę nullo titulo,neque
modo aliquo alienari, obligari,aut pignorari poſ
8 ſunt d.§.ſacrę hoc tit.l.ſancimus,& l.iubemus,C.
de ſacroſ.eccleſ.cap.ſemel Deo de reg.iur. in 6.

Quandoq. tamen etiā harum rerum alienatio
permittitur,veluti ex cauſa pietatis,& neceſſita-
tis,ex cauſa pietatis, vt pro redemptione capti-
uorum,pro alendis pauperibus, pro templis Dei
9 ædificandis,& mortuorum ſepulchris cōdendis,
in ijs enim caſibus etiam vaſa precioſa , & ſacra
alienari poſſunt in eadem forma, ſi alteri eccleſię
dentur,ſed ſi laicis dentur,prius confringi,& cō-
flari,& poſtea vendi debent d.§.ſacræ,& d.l.ſan-
cimus cap.aurum,& cap.gloria 12.q.2. ex cauſa
autem neceſſitatis, vt ſi æs alienū vrgeret eccle-
ſiæ, & aliter perſoluere non poſſet, Authent. hoc
10 ius porrectum,C.de ſacroſan.eccleſ.cap.hoc ius
10. quæſt.2. & tunc etiam cum debitis ſolemni-
tatibus , de quibus in cap. ſine exceptione 12.
quæſt.2.in cap.tua de his,quæ fiunt à prælat.& in
cap.1.de rebus eccleſ.non alienan.lib.6.

S V M M A R I V M.

1 *Res religioſæ quæ.*
2 *Vnde dictæ.*
3 *Per illationem mortui locus religioſus efficitur.*
4 *Oſtenditur nullam repugnantiam eſſe inter §.no-ſtrum,& l.6.ff.eod.*
5 *Hodie nullus locus per illationem mortui religio-ſus efficitur,niſi epiſcopi cōſecratio interueniat.*
6 *Extra ciuitatem olim corpora defunctorum ſepe-liebantur.*
7 *Hodie in eccleſiis chriſtiani ſepeliri ſolent.*
8 *Quæ differentia ſit inter ſepulchrum,monumentū, & cenotaphium.*

§. Religioſum.

Quæ res dicantur religioſæ.

1 RElìgioſæ res dicuntur illæ,in quibus mortui
ſepeliendi gratia inferuntur, §. religioſum
hoc tit.ſic dictæ ſecundum Macrob. lib.3. Satur-
nal.cap.3.& Gell.lib.4.noct. Atticar.cap.9. à re-
linquendo cum propter ſanctitatem quandam à
communi hominum vſu relinquantur, vel ſecun-
dum Lactant. in libro de vera ſapien.cap.28. ab
2 eo quod mentem religent ne male agant homi-
nes,hinc I.C.in l.quidam,ff.de condit.Inſtit.dicit
ſepulturam eſſe memoriam humanæ conditionis
iuxta illud, homo es, ergo morieris, ſic in cap.in
eccleſiaſtico 13.q.2.dicitur,Terram teris,terram
geris,& in terram conuerteris, quiſq. igitur pro-
pria auctoritate locum religioſum ſibi facere po-
3 teſt inferēdo ibi mortuum d.§.religioſum,& l.6.
§.religioſum,ff.eod. quod ſi membra diuerſis in
locis recōdita ſint, ille locus efficitur religioſus,
in quo caput continetur,cum caput principalior
pars hominis ſit, l.cum in diuerſis, ff.de religioſ.
& ſumpt. funer. animaduertendum tamen eſt ,
quod ſi inferatur mortuus in locum alienum ,
locus non efficitur religioſus niſi ille, qui intulit

loci

loci pretium præstet, quinimo nec in locum cõ-
munem inuitis socijs mortuus inferri potest, li-
cet secus sit in communé sepulchrũ d. §. religio-
sum, & l. is, qui, & l. ossa, §. penult. ff. de religios. &
sumpt. funer. sic nec vsufructuarius inuito proprie-
tario, nec proprietarius, inuito vsufructuario mor-
tuum inferre, & locum religiosum facere potest
d. §. religiosum, si tamen inferatur mortuus in lo-
cum alienum consentiente domino à principio,
locus efficitur religiosus, quamuis postea domi-
nus ratum non habuerit, sic negatiue ratum non
habuerit legitur hic, sed quod hic negatiuè in l. 6.
§. religiosum, ff. eod. affirmatiuè legitur, & affir-
matiua lectio cõprobatur auctoritate Theophili,
quem ferè omnes sequuntur, Ant. Contius, Frã-
ciscus Balduinus, & alij, existimãtes hoc loco ne-
gationem à Iustiniano esse tollendam, cõtra Ha-
loander putat d. l. 6. ex hoc loco negationem ad-
dendam esse, quod Ant. August. lib. 1. Emendat.
cap. 2. in princ. improbat, vtraq. tamen lectio su-
stineri potest, vt rectè sentit hic præclarissimus
Iurisconsul. Hermanus Vulteïus, nam si ab initio
dominus consentiat, vt in locum suum mortuus
inferatur, & illatus sit, licet postea ratum, nõ ha-
beat, locus religiosus, nihilominus efficitur, hæc
est sententia lectionis negatiuæ, sed & si ab initio
inscio, vel inuito domino intulerit, & id dominus
4 cum rescisset, ratum habuerit, fiet & ita locus re-
ligiosus, hæc est sententia lectionis affirmatiuæ,
ratio primę sentẽtię est, quia quod semel placuit
amplius displicere nõ potest, cap. quod semel de
regul. iuris in 6. ratio secundę est, quia ratihabitio
mandato ęquiparatur, vnde satis est, consensum
ex post facto interuenire, l. vlt. C. ad Maced. cap.
iura de iur. patron. & cap. fin. 16. q. 1. & hęc olim,
hodie enim nostra christianorum religio non ad-
mittit illatione cadaueris, locum antea profanũ
solius priuati arbitrio, & voluntate religiosum fie
5 ri, sed ita demum, si per Pontificem solemni ritu
destinetur locus sepeliẽndis mortuis, cap. ad hęc
de religios. domib. olim, etiam l. 12. tab. alijsq. le-
gibus, ne in vrbe locove publico cadauer infer-
retur, aut fieret sepulchrum, vetitum erat, & hoc,
quia huiusmodi feralibus contaminari sanctum
municipiorum ius, polluiq. vrbis Genius videba-
tur, l. 3. §. diuus, ff. de sepulchr. violat. l. mortuorũ,
C. de religios. & sumpt. funer. quod si aliquos le-
gimus in vrbe sepultos illis honoris, & virtutis
causa cõcessum intelligi debet, vt Syllæ, Traiano,
& alijs, Cic. lib. 3. de legibus, sic in veteri, & nouo
testamento legitur, quòd Iudęi extra ciuitatem
6 sepeliebantur, vt constat Geneseos cap. 50. vbi
Iacob fuit in terra Chanaam sepultus, & Christus
Dominus in horto, vbi Ioseph ab Arimathia sibi
sepulchrum fecerat, hodie tamen, & in ciuitate,
& in Cœmeterijs, ac ecclesijs Christiani sepeliri
solent tot. tit. extra de sepult. Cęmeterium est lo-
cus iuxta ecclesiam sepulturis deputatus, sic di-
ctus quasi cinisterium, quia ibi. s. cinis mortuorũ
teritur, vel à cinos, quod est dulce, & tero quod
est statio, quasi dulcis statio animarum, intel-
lige nisi sint excommunicati cap. sacris de sepult.
vel vsurarij manifesti cap. quanquam de vsur. hi
enim etiam si fuerint sepulti exhumari, proculq.
ab ecclesiasticá sepultura proijci debét, d. cap. sa-
cris, quod si ossa eorum, ab aliorum corporibus
discerni nequeant, terra sacra expiari, & reconci-
liari debet, cap. consuluit de consecrat. eccles. sic
ecclesiastica sepultura denegatur his, qui se ipsos
interficiunt, vel in torneamentis, aut duello ab a-
lijs occiduntur cap. placuit, & ibi glo. 23. q. 5. cap.
extra de torneamentis, loca autẽ in quibus mor-
tui sepeliuntur, sepulchra, monumenta, & ceno-
taphia appellantur, quę nomina licet quandoq.
confundantur, diuersa tn significãt, nam propriè
sepulchrum dr̃ illud, in quo corpus sepultum est,
monumẽtum, & cenotaphium quod honoris tm̃
& memorię causa factum est, nullo corpore in
eo existente, ideo à Gręcis inane sepulchrum, &
à Virg. inanis tumulus appellatur, l. monumentũ,
ff. de religios. & sumpt. funer. Virgil. lib. 3. Aeneid.

Libabat cineri Andromache, manesq. vocabat.
Hectoreum ad tumulum, viridi de cespite inanẽ.
Et geminas causam lacrymis sacrauerat aras.

Ad quem locũ respexisse videtur Martian. Iurisc.
in l. 6. §. religiosũ, ff. eod. vt ibi Budęus, & Coras.
volunt, dum auctoritate Virgilij fretus dixit, Ce-
notaphium locum religiosum esse, fortè propter
illa verba sacrauerat, in quo tamen reprehẽditur
à Diuis fratribus, vt Vlpianus docet in l. 7. ff. eod.
& rectè quidem, nam cum illatione cadaueris lo
cus religiosus fiat, & in tumulum inanem nullum
corpus nulliq. cineres illati sint, merito religiosus
dici non potest, l. vel quę, ff. de religios. & sumpt.
funer. ex quo, & Virgilij auctoritas reprobata esse
cẽsetur, vt ibi Accurs. in d. l. 6. existimauit, sed cer-
te non loquitur Virgilius de simplici cenotaphio,
hoc est inani, & imaginario tumulo, sed de eo ad
quem geminę arę, & quidem sacrę extructę erãt,
& ad quem solemnibus sacrificijs facti, Hectorei
manes vocabantur, qđ & ab Alciat. lib. 10. Parer.
c. 12. & Coras. in d. l. 6. ff. eod. animaduersũ video,
ideo nimirum est, si vsus sit verbo sacrauerat.

SVMMARIVM.

1 *Sancta res, quæ, & vnde dicta.*
2 *Sagmen herba.*
3 *Sacrosanctum, & sanctum quid.*
4 *Leges sanctæ.*
5 *Muri ciuitatum sancti.*
6 *Pœna capitis imposita est contra eos, qui muros ciuitatis scandunt.*
7 *Cur muri sancti fabula apud Theophilum.*
8 *Portæ ciuitatum, an & ipsæ sanctæ sunt.*
9 *Legati sancti.*

§. Sanctę.

Quæ Res sanctæ dicantur.

SAnctæ Rẹs dicuntur illæ, quæ nec sacræ, nec
prophanæ sunt, sed sanctione quadam ab ho-

minum

1 minum iniuria cōfirmatæ,sic dictæ à sagminibus herbis,quas Legati populi Romani missi ad hostes secum ferre solebant,ne violarētur, §.sanctę.
2 hoc tit.l.8.& 9. §.propriè. ff.eod. Sagmen herba est vulgaris,& nota,vbique sine semine crescens, vulgus verbenam nuncupat. Plin.lib.22.cap.11. quæ ideo sacra existimata fuit, propterea quòd ex loco sacro,hoc est,ex arce Capitolij, à Consule,vel Prætore cum sua terra euellebatur,quicquid igitur inuiolabile est,id & sanctum dici potest,sic Cic.pro Archia Poeta,ait,sit sanctū apud
3 vos hoc poetæ nomen , hinc & sacrosanctum veteres dixerunt , quod qui violasset morte pœnas penderet,cuius generis Aediles,& Tribunos plebis fuisse,vel ex eo licet intelligere, quòd Liuius lib.3. latam olim legem referat , vt qui eis nocuisset,eius caput Ioui sacrum esset , hinc Iuuenalis Satyr.3. ostensurus, nihil esse, quòd à Græcorum libidine, tutum foret, ait.

Præterea sanctum nihil est,ab inguine tutum,
Non matrona laris,non filia virgo,neque ipse
Sponsus lænis adhuc,non filius ante pudicus.

Huiusmodi autem res sanctæ sunt,leges, muri,& portæ ciuitatum, d.§.sanctæ,& d.l.8.& 9. §.propriè,leges sanctæ meritò dicuntur, tum quod di-
4 uina sanctione subnixe,tum etiam,quòd pęnis,& supplicijs coerceantur, qui iussis earum non obtemperant,l.sanctio.ff.de pęn.hinc,& sanctiones propriè dicuntur eæ legum partes,quibus pœnæ constituuntur aduersus eos,qui contra legem faciunt,d.§.sanctæ, d.l.9.§.propriè,& d.l.sanctio. Cic.6.Verr.nisi vehementius,inquit, minatus essem,nisi legum sanctionem,pęnamq. recitassem, tabularum mihi potestas facta non esset,muri,&
5 ipsi sancti sunt non solum ciuitatum , sed etiam municipiorū,d.§.sanctæ,& d.l.8.§.in municipijs. ff.eod.quin & pomœrium(hoc est locus ille,iuxta murum vrbem circundans) sanctum intelligitur, cum id spatium neque habitari , neque arari fas sit,Liuius lib.1.& quoniam sancta loca, dixit antiquitas,quæ pœnis adiectis inuiolata manent;vt supra quoq; diximus, ideo capitalis pœna etiam constituta est in eos,qui vrbis muros violant,l.fi.
6 ff.eod.sicut,& qui scalis admotis transcēdunt,d.l. fin.aliter enim quàm per portas egredi hostile,& abominādum Romanis semper fuit,propter qđ, & Romuli frater Remum occisum fuisse traditur in d.l.fin.causa sanè,vt etiam M.Cicer.lib.3. Offic.videtur, nec probabilis, nec satis aduersus fratrem idonea, ideo Luc.lib.1.bell.ciuil.

Nulla fides regni socijs,omnisq. potestas
Impatiens consortis erit,nec gentibus vllis
Credite,nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Possunt, & alia ratione muri sancti vocari, cum enim sancire firmare significet,& muri firmè nos tueantur, meritò sancti appellantur, neque prætereunda est etiam appellationis causa,quam vt
7 fabulosam commemorat Theophil. hic , quippè veteres fabulantur, versatos inter homines aliqñ deos esse , qui & eos à malis immunes vndique seruabant, sed procedente tempore factum esse, vt hominum pertęsi,eos deseruerint,ab his igitur cum se viderent homines destitutos ad imitationem custodiæ,quam ab illis habuerant,mœnium ambitu,siue muros excogitarunt,qui cum deorū loco fuerint , meritò etiam sancti dicti fuerunt,
8 portas & ipsas sanctas vocat Imper. hic,& Caius Iuriscons.in l.1.ff.eod. refert tamen Coras.ibi, se librum vetustissimum aliquando legisse, in quo hæc verba,& portæ deerant,ita vt Caius in d.l.1. muros sanctos scripserit,non item portas,cui lectioni opitulari videtur Plutarchus in suis proble. anxiè quærēs,cur antiqui muros omnes putauerint sanctos,non item portas, eiq. tādem rationi assentire videtur,quod cadauera,per eas efferentur,& sanctum esse non posse,quod funestum sit. Verum cum & Hermogenianus in l.2. ff.ne quid in loco publico,& Iustinia. hic confirmēt portas sāctas esse,nihil hac in re aduersus receptā literā
9 decernendum esse existimo,sic & legati tā hostiū, quàm amicorum sancti dicuntur,nec eos violare licet,l.fin.ff.de legat.cap.ius gentium 1.distin.

SVMMARIVM.

1 *Concordantes tituli cum hac secunda parte.*
2 *Res singulorum.*
3 *Qualiter,et quot modis rerū dominia acquirantur.*
4 *Ius ciuile,quando esse cœperit.*
5 *Quid sit dominium,& vnde dictum.*
6 *Quotuplex sit.*
7 *Quot sint dominij partes.*

Secunda pars Tituli.

§. Singulorum.

Absoluta rerum diuisione,& qualitatibus earum explicatis, transit Imper. nunc ad al-
1 teram tituli partem, in qua de modis acquirendi rerum dominia agitur, & concordat titul.ff.de acquir. rerum domin.

Quæ res singulorum esse dicantur.

Singulorum res esse dicuntur,quæ in priuatorum, & singulorum hominum dominio esse
2 possunt, non quæ communes, publicæ, vniuersitatis, aut in nullius bonis sunt,§.singulorum hoc tit. & l.1. ff. eodem.

Qualiter rerum dominia acquirantur.

Varijs modis,tàm de iure naturali,quàm ciuili,dominia rerum acquiri possunt, de iure enim ciuili,& vniuersaliter, & particulariter,
3 vniuersaliter,tam ex testamento, quàm ab intestato, arrogatione, & additione bonorum libertatis cōseruādę causa, particulariter, vsucapione,

præscri-

præscriptione, donatione, & similib. alijs, de quibus infra in tit. seq. de iure gentium etiam quod naturali ratione inter omnes homines æquè seruatur, pluribus alijs modis rerũ dominia acquiri possunt, quos omnes iusto ordine complectitur Imper. hic ab hoc, §. singulorum, vsque in fin. tit. eosque prius merito enumerare voluit, vt natura priores, quippe vetustius ius gentium est, vtpotè vna cum humano genere proditum, non sic ciuile, quod tunc esse cœpit, cum ciuitates condi, ma-
4 gistratus creari, & leges scribi cœperunt, d. §. singulorum in fi. antequã tñ ad eorũ explicationẽ deueniam, nõnulla de dominio eius partibus, & diuisionibus pro iuuenum facilitate proponẽda videntur, quæ alias obscuritatem parere possent.

Quid sit dominium.

5 Dominium, secundum Bart. & Doctor. in l. si quis, §. differentia. ff. de acquir. possess. est ius perfectè disponendi de re corporali, cuius quis copiam habet, vel vindicandi rem absentem nisi lege, aut conuentione prohibeatur, dicitur ius. i. legitima facultas, de re corporali, quia in rebus incorporalibus dominium propriè non cadit, sicut nec possessio, l. rectè dicimus. ff. de verb. sign. l. seruus 43. §. 1. ff. de acquir. rerũ domin. perfectè disponẽdi, quia in re sua quilibet est moderator, & arbiter, vnus præcipuus dominij effectus, l. in re mandata. C. mandat. cuius quis copiam habet, quia tunc demum hoc licet cum rei copia penes dominium extat, vel vindicandi rem absentem, nam si apud alium rei vindicatio competit, nec ante disponere potest, l. in rem. ff. de rei vindicat. nisi lege, aut conuentione prohibeatur lege, propter personas, quibus lex dominij effectum impedit, vt de rebus suis ad libitum disponere non possint, de quibus videbimus infra in tit. quibus alien. licet, vel non conuentione, propter debitores, qui licet domini sint rei pignori datæ, tamen de ipsis propter conuentionem cum creditoribus initam disponere non possunt, vt eod. tit. quibus alien. lic. in §. contra.

Vnde dictum sit dominium.

Dominium à domo nomen habet, inde & Dominus per deriuationem dictus est, qui domui præest, & cunctæ familiæ dominatur. Isid. lib. 10. Etymol. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 15. fortè, quia olim eatenus dominia porrigebantur, quatenus fines domus extendebantur.

Quotuplex sit dominium.

Dominium duplex est, directum, & vtile, directum dicitur illud, quod habent domini superiores in rebus feudalibus, emphiteuticis, & superficiarijs, & est sine fructu, cum spe tamen consolidationis, vtile dicitur, quod habent vasalli in bonis feudalibus, emphiteutę in bonis emphi-
6 teuticarijs, & superficiarij in bonis superficiarijs, & est cum fructu. Bart. & Doct. in l. si quis, §. differentia. ff. de acquir. possess. superficiarij sunt hi, qui in alieno solo superficiem, ita habent vt certa pensione præstita, in eo possint omnia quæcunque facere, quę Domini possunt, nihilq. eis ad iustum dominium deesse videtur præter solutionẽ pensionis, Connanus Comment. iur. ciuil. lib. 7. c. 12. nu. 4. in fi. est & quasi dominium, quod habere censentur hi, qui rem bona fide emunt ab eo, qui dominus non est, quem dominũ esse credebant, isti enim domini dici non possunt, cum ille, qui vendit dominium quod non habet, in eos transferre non possit, stante iuris regula, quod nemo plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habet, l. nemo. ff. de reg. iur. ideo quasi domini dicuntur competitq. eis Publiciana actio aduersus quoscunque præter veros dominos rei, de qua videbimus in §. sed istæ infra de action. possunt, & aliæ dominij species considerari, quas recenset Alciatus lib. 2. Parerg. cap. 15.

Quot sunt partes dominij.

Dominij partes duę sunt, proprietas, & vsusfructus, propterea duplex est, plena, & nuda, plena dicitur illa, quæ coniuncta est cum vsu-
7 fructu, & hæc plenum, & verum dominium appellatur, gloss. in l. 4. ff. de vsufruct. nuda dicitur, quæ ab ipso vsufructu separata est, l. 2. ff. quibus mod. vsufruct. amittat.

SVMMARIVM.

1 *Per occupationem animaliũ dominiũ acquiritur.*
2 *Q. i alienum fundum ingreditur venandi, aut aucupandi gratia inuito domino, iniuriarum actione tenetur.*
3 *An capta in alieno fundo inuito domino efficiantur capientium.*
4 *Triplicis generis animalia sunt.*
5 *Animalia naturaliter fera cuilibet occupanti conceduntur.*
6 *Animalia naturaliter fera, sed arte reddita mansueta, non aliter occupanti conceduntur, quàm si reuerendi animum habere desierint.*
7 *Animalia naturaliter mansueta nullo modo alterius fieri possunt.*

§. Feræ cum quatuor §§. seqq.

Quot modis de iure gentium rerum dominia acquirantur.

Multi, & varij sunt modi per quos rerum dominia de iure gentium acquiruntur, &
1 primo quidem acquiritur per occupationem eorum animalium, quæ vel venatione, vel piscatione, vel aucupio apprehenduntur, non tantum in proprio

proprio solo, sed etiam alieno, §. feræ hoc tit. l. 1. & 3. ff. eod. verum tamen tene est, quòd qui alienum fundum ingreditur venandi, aut aucupandi gratia, potest à domino, si is præuiderit iure prohiberi, d. §. feræ, & §. Apium hoc tit. d. l. 3. ff. eod. & l. diuus. ff. de seruit. rustic. præd. & si cótra prohibitionem ingrediatur, iniuriarum actione conueniri
2 potest secundum glo. in d. l. 3. & in d. l. diuus, quid tamen de rebus captis in hoc casu, an efficiantur capientium? in diuersas sententias abeunt interpretes, Accur. hic existimat venatoré huiusmodi, id quod cepit suum non facere, id quod quodammodo probare videtur text. in l. in laqueum 55. ff. de acquir. rer. domin. quem ita intelligit Cuiac.
3 lib. 4. obseruat. cap. 2. contrariam tamen sententiam tenet glo. in d. l. diuus, quam Bart. & communiter Doct. ibi sequuntur, vt Angel. Porc. & alij hic tradunt ea potissimum ratione, quia feræ bestiæ in syluis non sunt eius cuius est sylua, nec ab eo possidentur, l. 3. §. item feras, ff. de acquir. possess. & l. si Apes. ff. de furt. cum autem triplicis generis sint animalia, alia naturaliter fera, quæ syluis delectantur, & omnino ab humana cóuersatione abhorrent, vt Vrsi, Vulpes, Apri, Damæ, pisces, & volucres penè omnes, alia natura quidé fera, sed arte reddita mansueta, vt Pauones, columbæ, cerui, & si quæ alia similia sunt, Verg. 7. Æneid.

Ceruus erat forma præstanti, & cornibus ingens
Tyrrheidæ pueri quem matris ab vbere raptum
Nutribant.

4 & pauló post.

Ille manum patiens, mensaq. assuetus herili,
Errabat syluis, rursusq. ad limina nota
Ipse domum sera quamuis se nocte ferebat.

Alia naturaliter mãsueta, vt Gallinæ, Anseres, Canes, & cetera domestica animalia, ideo de eorũ occupatione diuersæ etiam regulæ tenendæ sũt.

Prima regula, animalia naturaliter fera iure naturali cuilibet occupanti conceduntur, §. feræ,
5 & §. apium hoc tit. l. 1. 3. & 5. ff. eod. donec enim in naturali laxitate sunt, nullius esse censentur, d. §. feræ, quod adeò verum est, vt etiam si fera bestia ita vulnerata sit, vt capi possit, nostra adhuc esse non intelligatur, donec capta sit, cum multa interim accidere possint, vt non capiatur reprobata Trebatij sententia, qui putauit statim nostrã esse, & eousque nostram videri, donec persequimur, §. illud quæsitum est hoc tit. & l. 5. §. 1. ff. eod. capta etiam huiusmodi animalia, eatenus nostra esse censentur, donec custodia nostra coercẽtur, quod si custodiam nostram euaserint, & in naturalem libertatem se receperint, nostra esse desinunt, & rursus alterius occupantis fiunt, d. §. feræ, & d. l. 3. ff. eod. naturalemq. libertatem recepisse censentur, cum vel oculos nostros effugerint, vel ita in cóspectu nostro sint, vt difficilis sit eorum persecutio, d. §. feræ in fi. & §. apium hoc tit. vers. examen. l. 5. in princ. & in §. examen. ff. eod. atque hæc cũ ita sint non immeritò quæsiuerit aliquis, cur hoc ius venandi potissimũ feras bestias plerisq. in locis soli Principes, & Domini territoriorum sibi vsurpent, respondet Cuiac. lib. 4. obseru. cap. 2. ad à Romanis, qui insigẽtium proprius subsecuti sunt, statutum fuisse, sed moribus hac in parte surgentium multum, detractum fuisse, quod quidem à Principibus ex iusta causa fieri posse, Doct. magis communiter tenent, vt testatur Couar. in regula peccatum de reg. iur. in 6. §. 8. licet multi, quos idem Couar. refert hoc negent.

Secunda regula, animalia naturaliter fera, sed arte reddita mansueta, non aliter occupanti conceduntur, quam si reuertendi animum habere
6 desierint, quod tunc cognoscitur, cum reuertendi consuetudinem deseruerint, §. pauonũ hoc tit. l. 4. & 5. ff. eod.

Tertia regula, animalia naturaliter mansueta, nullo modo alterius fieri, aut occupari præter do-
7 mini voluntatem possunt, adeo vt si quis ea animo lucrandi incluserit, furtum committat, §. Gallinarum hoc tit. & d. l. 5. in fi. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Capta in bello efficiuntur capientium.*
2 *Res immobiles in bello captæ fiunt Principis.*

§. Item ea, quæ ex hostibus.

Secundò acquiritur dominium per captiuitatem, capta enim in bello iusto, & legitimo,
1 statim iuregentium capientium fiunt, §. item ea, quæ ex hostibus hoc tit. & l. 5. §. fin. ff. eod. id qđ hodie in personis in bello captis locum non haber, sublata enim est seruitus inter Christianos, vt testatur Bar. in l. hostes, ff. de captiu. & postlim.
2 reuer. nec etiam in rebus immobilibus, quæ fiunt Principis, qui bellum indixit, l. si captiuus, ff. de captiu. & postlimi. reuer. sed solum in reb. mobilib. vide quæ scripsi in tit. de iur. nat. in §. ius autẽ gentium, & in tit. de iur. person. in §. serui autem.

SVMMARIVM.

1 *Per inuentionem rei natæ in littore maris dominium acquiritur.*
2 *Inuenta in loco priuato inuentoris non fiunt.*
3 *Qui inuentum domino non reddit, furtũ cõmittit.*
4 *Inuenta res dicitur, quæ apprehensa est.*

§. Item lapilli.

Tertiò acquiritur dominium per inuentionẽ rei, quæ nata sit in littore maris, vt sũt lapilli,
1 gemmæ, & aliæ res similes, hæ enim cum antea in nullius bonis fuerint, & à nemine possessæ, meritò inuentoris fiunt, §. item lapilli hoc tit. & l. item lapilli. ff. de rer. diuis. secus igitur est in reb. in priuato loco, aut publicis itineribus, inuentis,
2 vel etiam in littore maris, non tamẽ ibi natis, sed casu forte, aut fortuna amissis, hæc enim inuentoris

totis non fiunt, vt in §. fi. hoc tit. imò qui inuenit, & non restituit, furtum committit, iuxta illud D. August. relatum in cap. si quid 14. q. 5. si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti, idem habetur
3 in l. falsus 44. §. qui alienum. ff. de fur. debet igitur inuentor, vt crimen furti effugiat, proposito publicè libello, populum admonere inuenisse se, & redditurum ei, qui suas esse docuerit, d. §. qui alienum, quòd si nullus appareat, poterit in hoc casu si paupertate prematur, eam velut delatum Dei munus, & fortunæ beneficium, retinere argumēto l. 51. 15. 63. ff. de acquir. rer. domin. aliàs in pauperes, vel pios vsus erogare debet, caueat tamē, vt admonet Nauar. in suo Manuali cap. 17. num. 171. ne nimia cupiditate deceptus, omittat debitam inquisitionem, aut pauperiorem, quam sit sibi esse persuadeat, per inuentionem hoc in loco non nudum adspectum rei intelligo, sed talem, quem ipsius rei apprehensio sequatur, ideo si Ti-
4 tius gemmam vidit, Sempronius autem prius apprehendit, ipse dominus est, non Titius l. 1. §. 1. ff. de acquir. possess. tradit glo. & tradunt Doct. hic, ex quo infertur ad instituta ciuitatum, quòd qui inuentus fuerit cum armis, damnetur in cētum, vt non habeat locum, nisi quis captus sit Bart. & alij in d. l. 1. & in l. 13. C. de fideiuss. & mandat. quæ differentia sit inter gemmam, & lapillum habemus à Pomponio I.C. in l. & si cum sint. §. pen. ff. de auro, & argen. legat. scilicet, vt gemmæ sint pellucidæ materiæ, veluti smaragdi, chrysoliti, & ametisti, lapilli contrariæ naturæ, vt obsidiani, & veientani, id quod Laurētio vallæ præbuit ansam Iurisconf. calumniandi existimantis, omnem lapidem pretiosum, siue translucentem, siue non lucidum, si magnus est, gemmam vocari, si paruus gemulam, aut lapillum, sed ab eius morsibus Ponium in hoc grauiter, & eruditè vindicauit Alciatus vir magni nominis lib. 4. de verb. signific. propè finem aduersus Laurent. Vallam.

SVMMARIVM.

1 *Acquiritur dominium ex procreatione animaliū.*
2 *Partus ex ancillis nostris nostri fiunt.*

§. Item ea, quæ ex animalibus.

1 QVartò acquiritur dominium ex procreatione animalium, quæ dominio nostro subiecta sunt, §. item ea, quę ex animalibus hoc tit. l. 2. & 6. ff. eod. adeo quod & partus, qui ex ancillis nostris nascuntur, nostri fiunt, §. serui suprà de
2 iur. person. l. fin. ff. de acquir. rerum domin. & sic cuius est venter, eius est, & partus, l. 5. §. idem scribit, ff. de rei vindicat.

SVMMARIVM.

1 *Per alluuionem fluminis dominium acquiritur.*
2 *Vi fluminis asportata condici possunt.*
3 *Quando vi fluminis adiecta nostra efficiantur.*

§. Præterea quod per alluuionem.

1 QVintò acquiritur dominium per alluuionē, ea enim, quæ à flumine agris nostris paulatim, & latenter adiecta sunt, vt depræhendi nō possit quid, quantum, & quo momento temporis adiectum sit, iuregentium nostra fiunt, §. præterea hoc tit. l. 7. §. præterea. ff. eod. Lucanus.

Illos terra fugit dominos, his rura colonis
Accedunt donante Pado.

Secus est, si repentino quodam impetu fluminis aliquid adiectum sit, nam tunc nō acquiritur, sed
2 prioris domini remanet, d. §. præterea, & d. l. 7. §. præterea, sicut trabes, & ligna vi fluminis aliò asportata condici possunt, l. si quis. §. fin. ff. si cert. pet. nisi illud quod adiectum est, Domini negligentia tanto tempore ibi steterit, vt terra vnita sit, & arbores quas secum traxit radices egerint,
3 nam in hoc casu, etiam efficitur illius, cui adiectum est, d. §. præterea in fine, & d. l. 7. §. præterea, vide Bart. in tract. Tyberiadis, & Baptis. Aymum Parmensem Iurisconsult. præclarissimum in suo tract. de Alluuionum iure.

SVMMARIVM.

1 *Ex vicinitate insulæ dominium acquiritur.*
2 *Insula quid.*
3 *Insula in mari nata occupanti conceditur.*
4 *Insula in flumine publico nata efficitur eorum, qui propè ripam prædia possident.*
5 *Alueus fluminis eorum efficitur, qui propè ripam prædia habent.*
6 *Ager in formam insulæ redactus eius remanet, cuius antea fuerat.*
7 *Inundatio speciem fundi non mutat.*

§. Insula, & §. Quod si naturali.

1 SExtò ex vicinitate insulæ iure naturali dominium acquiritur, §. insula hoc tit. l. 7. §. insula, ff. eod. insula est terra aquis circumflua, ob spiri-
2 tum eo loci erumpere non valentem, enata, Plin. lib. 2. cap. 85. nasciturq. vel in mari, vel in flumine, in mari nata, si fuerit naturalis, & iam olim visa, eius remanet, qui iuris dicendi auctoritatem ibi locorum habet, l. insulæ. ff. de iudic. l. illicitas, §. qui vniuersas. ff. de offic. præsid. si accidentalis,
3 & iam nata, atque adeo noua in mari apparens, cum nullius sit, occupanti conceditur, d. §. insula hoc tit. & d. l. 7. §. insula. ff. eod. in flumine verò nata, si quidem publicum sit, illius commodo cedit qui ex vicino, atque è regione fundum possidet, vt hic, & in d. l. 7. & sic ex huius insulæ vicinitate dominiū nobis acquiri, intelligimus, vnde si medium partem tenet, communis eorum efficitur,
4 qui ab vtraq. parte fluminis vicina prædia habēt, pro modo cuiusq. prædij latitudinis. i. frontis cuiusq. agri, si vero alteri parti proximior sit, eorum tantum

tantum est, qui ab ea parte prope ripam prædia
possident, d.§.insula hoc tit. & d.l.7. §.insula,ff.
eod. eodem modo si naturali alueo derelicto ad
aliam partẽ flumen fluere cęperit,vel iterũ nouo
alueo relicto ad priorẽ, & naturalẽ alueũ reuer-
5 terit , nouus alueus semper eorum efficitur, qui
prope ripam aluei prædia possident,§.quod si na
turali hoc tit.& d.l.7. §.quod si.ff.eod. secus autẽ
est,si flumen agrum alicuius in formam insulę re-
degerit,in hoc.n.casu proprietas nõ mutatur,sed
6 ager eius permanet,cuius & antea fuit d.§.insula
in fi. sicut nec si totus ager inundatus fuerit,nam
etiam in hoc casu recedente aqua, ager eius ma-
net cuius,& antea fuerat,& hoc, quia inundatio.
7 speciem fundi non mutat, d.§. quod si in fine,&
d.l.7.§.si cuius,& de hac materia vide Bart.in suo
tract.de Alueo,& Aymonem d.loco.

SVMMARIVM.

1 *Specificatione dominium acquiritur.*
2 *Specificans actione in factum, æstimationem materiæ domino præstare tenetur.*
3 *Quid si mala fide noua species facta sit, cuius efficiatur.*
4 *Quid si ad priorem materiam res reduci nõ possit.*
5 *Sabinianorum, & Proculianorum contentio.*
6 *Emendatur l.1.ff.de action.rer.amot.*

§. Cum ex aliena.

SEptimò acquiritur dominium per specifica-
1 tionem,seu nouæ formæ compositionẽ, quę
est, cum ex aliena materia noua species confici-
tur, tunc enim si bona fide hoc factum sit, & ad
priorẽ materiam res reduci non possit, noua spe-
cies facta, specificantis efficitur,§.cum ex aliena
hoc tit. & l.7.§. cum quis, ff.eod. idem & multò
magis est, si partim ex nostra, & partim ex alie-
na materia species noua facta sit, & similiter ad
pristinam materiam reduci nõ possit,scilicet,do-
minum eum esse,qui fecit, cum non solum ope-
ram,sed etiam partem materiæ præstiterit d.§.cũ
ex aliena,versic.quod si partim. Vtroque tamen
casu tenetur specificans actione in factum,mate-
2 riæ æstimationem domino præstare secundũ glo.
hic in verbo spicas, cum nemo cum aliena iactu-
ra locupletari debeat,l.nam hoc natura, ff.de re-
gulis iuris, dixi, si bona fide , quia si mala, non
3 efficitur dominus,qui fecit,nam quod ex re mea
sciens quis facit,meum est,l.de eo. §.si quis.ff.ad
exhiben.l.si quis vxori.§.si quis massam. ff.de fur.
dixi etiam , si ad priorem materiam res reduci
4 non possit, quia si possit, efficitur illius, qui ma-
teriæ dominus est, id quod tandem post multas
Sabinianorum , & Proculianorum ambiguitates
placuit, d.§.cum ex aliena, & d.l.7. §.cum quis ,
magna enim fuit olim circa hunc acquirendi do-
minij modum, inter Sabinianos, & Proculianos
contentio.Sabiniani si quidem materiæ rationem
habendam esse voluerunt, eumq. rei factæ domi-
5 num esse,qui iam antè materiæ dominus fuerat,
atq; ita etiã Minicius,qui Sabinianus fuit de naue
ex alienis tabulis confecta cẽsuit in l.61.ff.de rei
vindic.cuius sententiam Iulianus ibi ,& si alias Sa-
binianus, & ipse fuerit, notat ac repræhendit, vt
animaduertit Herman.Vulteius hic. Proculiani è
contra formam spectandam esse dicebãt, eumq.
rei dominum esse volebant,qui materiæ nouam
formam dedisset. Placuit tamen media sententia
existimantiũ,si species possit ad priorem,& rudẽ
materiã reuerti,verius esse quod Sabinus,& Cas-
sius,eorumq. fautores oẽs cẽsuerunt,veluti si ex
argento alieno vas conflatum sit, esse eius, qui
materiæ Dñs est,at si reduci nõ possit, vt cum ex
alienis medicamentis fit emplastrum, ex alienis
vuis vinum,ex vino, & melle mulsum, ac similia,
verius esse quod Proculo neruæ, & alijs eiusdem
scholę hominib.placuit.s.dñm esse eum qui fecit,
d.§.cum ex aliena,& d.l.7.§.cum quis, ex quo fa-
cile intelligi potest inuerso ordine permixtisque
familijs legi in l. 1. ff.de act.rer.amot. Nerua, &
Cassio,Sabino,& Proculo,quandoquidẽ diuersę
factionis fuerunt Proculus,& Sabinus,itẽ Nerua,
& Cassius, quorum alter Proculianus, alter Sabi-
6 nianus fuit, vt ex hoc loco,& d.l.7.& plurib.alijs
apparet. Ideo legendum est, Neruæ, & Proculo:
Sabino, & Cassio, quod & à Cuiacio hic, viro
iuris prudentiæ restituendæ nato , & ante eum à
nemine alio animaduersum video .

SVMMARIVM.

1 *Accessione acquiritur dominium.*
2 *Cuius purpura vestimento intexitur, vestimento accessionis vice cedit.*
3 *Qui mala fide alienam purpuram vestimento suo intexit, furti actione conueniri potest.*
4 *Quæcunq. alijs iuncta sunt, semper accessionis loco cedunt.*

§. Si tamen.

OCtauò acquiritur dominium per accessio-
1 nem,accessio enim, & si pręcisior sit, sem-
per principali cedit,ideo purpura,quæ vesti inte-
xitur, vestimento accessionis vice cedit, §.si ta-
men hoc tit. dominus igitur purpuræ, quamdiu
vestimento alterius cohæret, eam vindicare non
2 potest,cum dominus non sit,sed agere,vel condi
ctione sine causa,l.1.in fi. ff.de condict.sine caus.
vel ad exhibendum, vt purpura à vestimento se-
paretur, quo facto postea eam vindicabit, l.6.&
7.§.1.ff.ad exhiben.& hoc si bona fide factum sit,
nam si mala fide alienam purpurã quis vestimẽto
suo intexuit,vel ab alio id fieri curauit, dominus
in eum,& furti actionem, & condictionem fur-
3 tiuam habet, d.§. si tamen, idem est dicendũ,
si quis alienam gemmam auro suo incluserit , vel
candelabro suo alienum sigillum iunxerit,vel ro-
tam alienam vehiculo suo adaptauerit, scilicet,

gemmam auro, sigillum candelabro, rotam vehiculo, accessionis vice cedere, & cõsequenter vindicari non posse, sed prius ad exhibendum agi, ad hoc vt gemma ab auro excludatur, sigillum à candelabro remoueatur, & rota à vehiculo separetur, qua separatione facta, poterit postea prior dominus, gemmam, sigillum, & rotam vindica-
4 re, d.l.6.& 7.ff.ad exhibend. & generaliter quæcunque alijs iuncta sunt, semper accessionis loco cedunt, eaque quandiu cohærent, dominus vindicare non potest, sed ad exhibendum agere, vt separentur, & tunc vindicentur, l.in rem, §.item quæcunque, ff. de rei vindicat.

SVMMARIVM.

1 *Per confusionem materiæ diuersorum dominorum vnicuique dominium acquiritur.*
2 *Mulsum quid sit reprobata Accursij opinione.*
3 *Electrum quid.*

§. Si duorum materiæ.

Nonò acquiritur dominium per confusionẽ materiæ diuersorum dominorum, ex vo-
1 luntate eorum, aut casu factam, quilibet enim in hoc casu totius corporis dominus efficitur, & communi diuidundo inter eos actio competit, pro rata, & parte quam quisque habet, §.si duorum hoc tit.l.7.§.voluntas. ff.eod.l.Marcellus, §. pomponius.ff.de rei vindicat.& hoc siue materię eiusdem generis sint, vt si qui vina sua confuderint, aut massas argenti, vel auri conflauerint, siue diuersi generis, vt si ex vino, & melle mulsum, vel ex auro, & argento electrũ factum sit, d.§.si duorum, & d.l.7.§.voluntas, mulsum non est nectar, vt Accurs. supra in §. cum ex aliena existimauit, sed potio quędam ex vino, & melle inter laudatissima remedia connumerata, appetendi enim reuocat auiditatem cibi, aluum mollit, frigido potu, pluribus calido sistit, corpora auget, multique longam senectam mulsi tantum nutritu,
2 nulloque alio cibo tolerarunt, celebri Pollionis exemplo, quem centesimum annum excedentem, cum Imperat. Augustus hospes interrogaret, qua nam ratione, maximę vigorem illum animi, corporisque custodisset? respondit intus mulso, foris oleo. Electrum etiam in quo quinta argenti portio est, in magna post aurum apud veteres, ęstimatione fuisse, testis Homerus est, qui regiam Menelai, auro, electro, argento, &
3 ebore coruscare ad posteritatem tradere non dubitauit, cuius etiam Plinius meminit, historiarum mundi lib.33. cap.4. dixi ex voluntate dominorum, aut fortuito casu factam, quia si confusio vnius voluntate tantum facta sit, eius erit, qui fecit, vt supra, quoque de specificatione diximus, omniaque in eo locum haberent, quę ibi enumerauimus.

SVMMARIVM.

1 *Per commixtionem dominium acquiritur.*
2 *Cur per confusionem casu fortuito factam, res efficiatur communis, non sic per commixtionem.*
3 *Differentia inter commixtionem, & confusionem.*

§. Quod si frumentum.

Decimò acquiritur dominium per commix-
1 tionem materiarum similium de cõsensu dominorum factam, quisque enim dominus efficitur, & communi diuidundo inter eos actio cõpetit, §.quod si frumentum hoc tit. & l.idem põponius.ff.de rei vindicat.dixi de consensu dominorum factam, quia si casu frumentum mixtum fuerit, aut vnus sine alterius voluntate id fecerit, commune non est, sicuti nec grex communis est, si pecora Titij tuis pecoribus mixta fuerint, d.§. quod si frumentum. Diuersitatis ratio, cur per confusionem casu fortuito factam res efficiatur communis, vt supra diximus, non sic per cõmixtionem, ea esse videtur, quam etiam assignat Imper.hic.s.quia cum frumentum frumento miscetur, aut auena auenę additur, singula grana in sua substantia manent, hoc est vnum granum cũ alio
2 grano non coit, ita vt ex illa coitione vnum fiat, propterea nemo etiam intendere potest partem dimidiam, aut quamcunque aliam in aceruo frumenti suam esse, nam si pars frumenti esset alterius, & pars mea, singula grana etiam essent eius, & singula mea pro parte indiuisa, quod esse non potest, nec ille igitur, nec ego, cõmuni diuidundo actione, partem frumenti petere possumus, sed vterq. quantum in aceruo nostrũ esse apparebit, vindicabimus, d.l.idem Pomponius in principio, & iudex estimabit, quantum quisque frumenti ex aceruo ferre debeat, d.§.quod si frumentum, & si forte portio ab aliquo pręstari nequeat, eius, ęstimatio pręstanda erit, non sic est in confusionem qua substantia, & forma rei mutatur, propter qđ necessario etiam cõmunis efficitur, ideo & actio communi diuidundo pro rata, & portione in ea locum habet, vt supra diximus in §.si duorum.

SVMMARIVM.

1 *Per ædificationem dominium acquiritur.*
2 *Omne quod solo inædificatur solo cedit.*
3 *Qui mala fide in suo loco ex aliena materia ædificatur, duplum præstare tenetur.*
4 *Qui scienter in alieno solo ædificat, materiam secundum stricti iuris rationem amittit, non ex æquitate.*

§. Cum in suo, & §. Ex diuerso.

Vndecimò acquiritur dominiũ per ędifica-
1 tionem, quoties enim quis ędificat in suo solo ex aliena materia, vel in alieno ex sua, semp

domi-

dominus soli, dominus etiam ædificij efficitur, §. cùm in suo, & §. ex diuerso hoc tit. & d.l.7.§.cùm
2 in suo, & §. ex diuerso.ff.eod. & sic omne quod solo inædificatur, solo cedit; non omnino tamen materiæ dominus primo casu, dominium materiæ amittit, licet stâte ædificio, nec vindicare, nec de ea ad exhibêdum agere possit, id enim est, ne vrbis aspectus ruinis deformetur, d.§.cùm in suo hoc tit.l.2.C.de ædifi.priuat.& l.prętor ait.§.hoc interdictum.ff.de noui oper.nunciat.sed solû æstimationem si ille bona fide ædificauit, vel si ma-
3 la, duplum cōsequi potest, d.§.cùm in suo, & l.in rem.§.tignum.ff.de rei vindicat. diruto ædificio, & vindicare, si æstimationē consecutus non fuerit, & ad exhibēdū de ea agere potest, d.§.cùm in suo in fine, & l.1.ff.de tign.iniunct. Secundo casu, quando quis ex sua materia in alieno solo ædificat, si quidem bona fide, æstimationē materiæ, & fabrorum mercedes doli mali exceptione opposita consequi potest, si mala, materiā amittit, d.§. ex diuerso, hoc tit. & d.l.7.§.ex diuerso.ff.eod. &
4 l.contra quē, C.de ædific.priuat. intellige hoc verum, iure stricto: nam secundum æquitatem vindicabit, nec enim debet quis ex aliena iactura lucrū facere, vt Paulus loquitur de eo in cuius fundum quis sciens, & mala fide impendit in l.planè 38.ff.de petit.hæredit. secundum igitur summi, & stricti iuris rationem, malæ fidei possessor pretiū materiæ, & impensas fabrorum non seruat, vt hic in textu nostro. At ex æquitate, pretium materię, & impensas seruare potest, d.l.plane, summi iuris ratio est, quia malæ fidei possessor sciens in rem alienam impēdit, & ideò de se queri debet, æquitatis ratio est, quòd petitor ex aliena iactura, lucrum facere non debet, d.l.planè, Cuiac.lib.10. obseru.cap.1. Cęterum cum triplicis generis sint impēsæ necessariæ, vtiles, & voluptariæ, l.79.ff.de verb.signif. vtiles, & necessarias tantū malæ fidei possessor, non voluptatis consequetur, l.39.ff.de petit.hæred.l.domum, C.de rei vindic.& si fortè dominus soli ita pauper sit, vt impensas reddere nō possit, nō per hoc, re sua, laribus, & sepulchris auitis carere debebit, l.in fundo 19. ff. de rei vindicat. sed solùm, quod pluris occasione ædificij percipit materiæ domino præstare tenebitur, interim donec pretiū materiæ, & impensas soluere valeat, arg.tex.in l.28.§.fin.29.& 30. ff.de rei vindicat. & in l.seruos 25.ff.de pignorat.action.

SVMMARIVM.

1 *Plantatione dominium acquiritur.*
2 *Quando planta radices egit in alterius solo, non competit domino plantæ directi rei vindicatio, sed vtiliter tantùm.*

§. Si Titius alienam plantam.

1 Duodecimò acquiritur dominium per plantationem, quando, scilicet, quis alienam plantam in suo solo, vel suam in alieno ponit. In vtroque enim casu, dominus soli efficitur etiam dominus plantæ, §.si Titius hoc tit.& l.7. §.fin.ff. eod. dummodo planta in fundo radices egerit, d. §.si Titius, & d.l.7. nam arbor radicitus eruta, & in alio solo posita, priusquam coaluerit prioris domini remanet, vbi coaluerit agro cedit, & si rursus eruta sit, nō ad priorem dominum reuertitur, quia credibile est, alio terræ alimento, aliā factam, l.26. ff. eod. inde sequitur, quòd prior dominus plantam directò vindicare non potest,
2 sed vtiliter tantum, vel actione in factum æstimationem consequi, l.5.§.penult. & ibi glo.not. in verbo dabant, ff.de rei vindicat.

SVMMARIVM.

1 *Frumenta cedunt solo.*
2 *Qui in alieno solo seuit, eodem iuris auxilio iuuatur, quo ille, qui in alieno ædificauit.*

§. Qua ratione.

1 Decimotertiò acquiritur dominium per sationem, sicut enim plantæ solo cedunt, eadem ratione, & frumenta, quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur, omnis enim fructus non iure seminis, sed iure soli percipitur. Ideo si qs in meo fundo frumentum suum seuit, segetes, & quod ex messibus inde collectum est, meum erit, §.qua ratione hoc tit.& l.9.ff.eod. cęterum ille, qui seuit, eodem iuris auxilio tutus erit, quo & ille, qui in
2 alieno solo ædificauit, de quo diximus suprà.

SVMMARIVM.

1 *Per scripturam dominium acquiritur, & scripta etiam aurea chartis cedunt.*
2 *Hodie charta per prævalentiam scripturæ cedit.*

§. Literæ quoque.

1 Decimoquartò acquiritur dominiū per scripturam, scripta enim licet aurea sint, chartis cedunt, §.literę, hoc titu.& l.9.§.literę.ff.eod. ideo quòd in charta mea scribitur, meum erit, quia necesse est rei cedere, quod sine illa esse non potest, l.in rem. §.sed id quod. ff. de rei vindicat. & hoc quidem olim locum habebat, hodie immutato naturę cursu, per prævalentiam chartam scripturę cedere, existimauit, & rectè, Mysinger. hic in §. sequenti, propter rationem de qua Paul.Iurisconsul.in d.l.in rem.§.in omnibus.ff.de rei vin-
2 dicat. qui voluit semper in huiusmodi casibus inspiciendum esse id, quod preciosius est, & id verum eo magis in casu nostro esse existimo propter interesse, quod in scribente considerari potest, l.3.§.sciendum.ff.ad exhiben.scribens igitur soluendo pretium chartę efficietur dominus.

SVMMARIVM.

1 *Per picturam dominium acquiritur.*
2 *Parrhasius.*
3 *Apelles.*
4 *In concursu tabula, aut pictura, semper præfertur pictor.*
5 *Quem tenet actio, multo magis agentem repellit exceptio.*

§. Si quis in aliena tabula.

DEcimoquintò, acquiritur dominiū per picturam, ille enim, qui in aliena tabula pin-
1 git, & tabulæ, & picturæ dominus efficitur, pretiumq; tabulæ tantùm præstare tenetur, §. si quis in aliena tabula hoc tit. & d. l. 9. §. sed non. ff. eod. idq; propter præualentiam cuius rationem semper habendam esse superiori, §. diximus, propter quod, & olim scriptura chartę cedebat, quia preciosior apud antiquos charta habebatur, qđ cum hodie sit immutatum, & scriptura chartæ præualeat, meritò etiam chartā hodierna die, scripturę cedere diximus. Et certè ridiculum esset monumenta picturarum, qualia prę cęteris fuerunt Apellis, & Parrhasij nobilissima, vtcunq; in alienam
2 tabulam effigiata, in accessionem vilissimę tabulę cedere, d. §. si quis. Parrhasius Ephesi natus, primus symmetriam picturarū, argutias vultus, elegantiam capillorum, & venustatem oris dedit, & quę summa in arte subtilitas est, quęque corporum extrema suis lineis finire, atque includere prę cęteris aperuit. Symmetria est in omni opere legitima membrorum, & partium commodulatio, quam Vitruuius lib. 3. suæ Architecturę optimè describit. Apelles Cous fuit, ob artis excel-
3 lentiam Alexandro Macedonū Regi gratissimus, cuius edicto vetitum fuit, nequis ipsum alius, q̃ Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles sculperet, & quam Hysippus ex ære duceret, vt apud Plin. lib. 7. cap. 37. Potest igitur pictor tanquam dominus tabulam vindicare, si forte dominus tabulę eam possideat, dummodo pretium tabulę soluat, alioquin per exceptionem doli mali submouebitur, d. §. si quis, si verò pictor tabulam possideat, dominus tabulę non quidem directam, quia illa tantùm domino datur, sed ex equitate vtilem rei vindicationem aduersus pictorem habet, ne pictor cum aliena iactura locupletetur, si tamen nō soluat impensam picturę, poterit per exceptionem doli mali repelli, d. §. si quis in aliena tabula, intellige hoc verum, si pictor consentiat, nam in con-
4 cursu semper pręferri debet pictor, si precium tabulę paratus sit exoluere, vt rectè, & Accurs. &
5 Mysing. hic existimant, quin quem tenet actio, eundem multò magis agentē repellit exceptio, l. 199. ff. de regu. iur. & hoc si bona fide factum sit, nam si mala fide pictor tabulas surripuit, actione furti tenetur, d. §. si quis in aliena tabula in fine.

SVMMARIVM.

1 *Perceptione fructuum à bona fidei possessore dominium acquiritur.*
2 *Fructus alij naturales, alij industriales, & alij ciuiles sunt.*
3 *Bona fidei possessor quos fructus suos faciat.*
4 *Malæ fidei possessor omnes fructus restituere tenetur etiam consumptos.*
5 *Quis dicatur bonæ fidei, et quis malæ fidei possessor*
6 *Qui rem alienam esse credit, malæ fidei possessor rectè dicitur.*

§. Si quis à non domino.

DEcimosextò iure naturali dominiū acquiritur perceptione fructuum rei alienę, quā
1 quis bona fide possidet, §. si quis à non domino. hoc tit. & l. 48. ff. eod. verum, quia fructus alij sūt ciuiles, vt pensiones ædium, vecturę nauium, alij
2 naturales, quos natura sua sponte profert, vt poma, pira, nuces; alij industriales, qui magis ex hominum industria proueniunt, vt frumentū qđ nasci non potest, nisi debita cultura adhibita, vinum, oleum, & similia Bart. in l. fin. ff. ad l. Falcid. ideo magna inter Doct. altercatio est, quos fructus bonę fidei possessor suos faciat, nam variè etiam de hac re Iurisconf. locuti esse videntur in l. 48. ff. eod. in l. qui scit, §. porrò. ff. de vsur. in l. 4. ff. fin. regund. in l. fructus. ff. de vsur. & per Imperatorem hic dum ait, quos percepit pro cultura, & cura, vt videre est apud Doct. in dd. ll. apud Pinel. in l. 2. in 2. par. cap. 4. nu. 52. C. de rescind. vendit. Menoch. de recuperan. possess. remed. 15. nu. 593 & per Baldninum hic in §. nostro Gouean. lib. 2. cap. 15. Cuiac. lib. 2. obseruat. cap. 11. & 12. Conan. lib. 1. variar. cap. 3. nu. 6. & Didac. spino à caceres in suo vniuerso iurisprudentię thesauro gloss. 13. princip. nu. 43. verior tamen, & magis recepta, vt idem spino à caceris testatur apud omnes gentes sententia est, vt possessor bonę fidei omnes fructus tàm naturales, quàm industriales, sub quib. & einiles cōprehendunt, vsq; ad litis contestatio-
3 nem suos faciat, & licet verba illa tex. nostri, cultura, & cura, magis industrialib. conueniant, non tamen per hoc excluduntur naturales, in quibus etiam cura necessaria est. E conuerso verò, malę fidei possessor, omnes fructus tàm naturales, q̃ industriales etiam consumptos nō solùm perceptos, sed, & quos diligēs paterfamilias percipere
4 potuisset, simul cum fundo restituere tenet nullis deductis expensis prę sertim eo actionis genere, quā condictionem sine causa appellamus, si consumpti sint, vel rei vindicatione si extēt, d. §. si qs à non domino hoc tit. l. certum, C. de rei vindicat. l. 34. & 62. ff. de rei vindicat. & l. mala fide, C. de condict. in lege, quamuis si habeat aliquem titulum saltem coloratum, de percipiendis fructibus cum excusari, & expēsas deducere posse plerique

rique malint, vt gloſ.hic, & in l.& ex diuerſo, ff.
de rei vindicat. quam multi ſequuntur,& ſpino à
caceres d.l.nu.54.bonæ fidei proceſſor dicitur il-
le,qui ignorat, rem,quam poſſidet alienam eſſe,
5 malæ fidei, qui ſcit,vel credit alienam eſſe cap.fi.
de preſcript.l.bone fidei emptor.ff.de verb.ſignif.
dixi,vel credit,quia ille, qui dubitat rē ad ſe per-
tinere,nō eſt bonæ,ſed malæ fidei poſſeſſor, nam
in poſſeſſore requiritur bona fides poſitiuè,quā
non habet ille,qui dubitat,ex quo exponit ſe pe-
6 riculo retinendi alienum,vt teſtatur Couar.in re-
gula peccatum par.2.§.6.Sot.lib.4.de iuſt.& iur.
q.5.art.4. & Nauar.in ſuo Manual. cap.7. nu.10.
reiecta glo. opinione in l.3.§.gener.ff. de acquir.
poſſeſſ. à multis recepta, quos refert Menoch.de
recuper.poſſeſſ.remed.15.num.593.

SVMMARIVM.

1 *Vſufructuarius omnes fructus perceptos ſuos facit.*
2 *Fructus quando percepti intelligantur.*
3 *Colonus fructus fundi ſuos facit, & ad hæredes transmittit.*

§. Is vero ad quem.

MOdum acquirendi dominij perceptione
fructuum, extendit Imper. hic ad vſufru-
ctuarium,& colonū, vſufructuarius enim omnes
1 fructus fundi in quo vſumfructum habet, natos,
& perceptos ſuos facit, ſiue naturales, ſiue indu-
ſtriales,ſiue ciuiles ſint,§.is vero,& ibi glo.in ver-
bo perceptos, hoc rit. & l.item ſi fundi. ff.de vſu-
fructu,dixi perceptos,quia ſi decedat vſufructua-
rius maturis fructib.nondum tamē perceptis, ad
hæredes non trāſmittit,ſed domino proprietatis
2 remanent d.§.is vero, perceptoſq. intelligo quo-
ties à ſolo ſeparati ſunt, etiam ſi nondum in hor-
reum reconditi fuerint quicquid dicat glo.hic ſ.ſi
vſufructuarius,& ibi Bald. ff.quemad. vſusfruct.
amittat.ſic & colonus fructus fundi,quem colen-
3 dum ſuſcepit, ſuos facit, vel pro parte, vel totos,
ſoluta aliqua pecunia,vel frumenti quātitate pro
annali penſione,d.§.is vero in fine, & hos etiam
ad hæredes tranſmittit, propterea vtitur Imper.
hic particula fere,vt eum ab vſufructuario in hoc
ſeparet, qui ad hæredes non tranſmittit.

SVMMARIVM.

1 *Fructus largè ſumpti quid ſignificent.*
2 *Fructus ſtrictè ſumpti, omne id quod fertur modò renaſciturum ſit, appellatur.*
3 *Pecudum fœtus ad vſufructuarium pertinent.*
4 *Vſufructuarius rectè colere, & vt bonus paterfamilias vti debet.*
5 *De partu ancille, an in fructu ſit, vetus fuit quæſtio.*

§. In pecudum.

FRuctus largè ſumpto vocabulo,quaſi à fru-
endo deducti, pro quacunque rei fruitione,
& cōmoditate,& pro ipſo vſufructu accipiuntur,
l.fructus.ff.de regu.iur.l.ſi quis ita legauerit.ff.de
vſufructu,ſic penſiones, l.prædiorum. ff.de vſur.
mercedes,operę, vecturę,l.mercedes,ff.de petit.
1 hæred.vſuræ.l.vſuræ. ff.de vſur. id quod intereſt,
l.4.§.1.ff.ſi ſeruit.vendic.& generaliter omne qd
ad vſum hominum inductū eſt, l.penult.ff.de vſu-
fruct. legat. modò illud huiuſmodi ſit, vt iterari
ſaltem in genere ſuo ſoleat,fructuum loco habe-
tur Bart.in l.quædam.§.nihil. ff.de eden.& in l.ſi.
ff.ſolu.matrim.ſtrictè verò ſumpto vocabulo fru-
ctus,quaſi à ferendo teſte Varone deducti,omne
id quod fertur, modò renaſciturū ſit,appellatur,
2 l.diuortio.§.ſi vir.ff.ſolu.matrim.vt fructus arbo-
ris eſt,quod ex arbore naſcitur,l.1. C.de fruct.&
lit.expen.fructus fundi, quod ex fundo, l.item ſi
fundi.ff.de vſufruct.fructus pecudum,quod ex pe
cude,vt agni hædi,vituli, equuli, ſucculi, hoc eſt,
paruuli ſues,lac,pilus,lana,& ſimilia,quę renaſci
ſolent,l.plerunque.§.ſi ſerui de iure Dot. l.in pe-
cudum.ff.de vſur.de ijs pecudum fructib.Imper.
hic in §.in pecudum,mentionem facit,eoſq. ad
3 vſufructuarium pertinere voluit, ita tamen vt in
locum demortuorum,vel inutilium capitum,alia
ſūmittere,atq. ex agnatis gregē ſupplere habeat,
d.§.in pecudum,& l.vetus 74. ff de vſufru. Virgil.

Atque aliam ex alijs generando ſuffice prolem.

Sic,& in vinearum demortuarum,ac arborum lo
cum, alias ſubſtituere debet, rectè enim colere,
& vt bonus pater familias vti debet,d.§.in pecu-
4 dum, Columella,boni patrisfamilias, ſiue paſto-
ris,vel prima cura eſt, inquit, annis omnibus in
demortuarum,vitioſarumq. ouium locum, toti-
dem,vel etiam plura capita ſubſtituere, ita demū
tamen vſufructuarius ſubmittere cogitur,cū gre-
gis,vel armenti,vel equitij,idest,vniuerſitatis vſu
fructum habet,nam ſi ſingulorum capitum,nihil
ſupplebit,l.quid ergo. ff.de vſufructu, De partu
ancillæ quęritur,an in fructu ſit,& ad vſufructua-
5 rium pertineat,vetus fuit quęſtio olim inter gra-
uiſſimos viros P.Scęuolam, M.Manilium, & M.
Brutum diſceptata (teſte Cicerone) lib.1.de fini-
bus, Bruti tamen ſententia (auctore Vlpiano) in
d.l.vetus 74. obtinuit.ſ.partū ancillę in fructu nō
eſſe,neq; ad vſufructuarium pertinere,abſurdum
enim videbatur,hominem in fructu eſſe,cum om
nes fructus rerum natura hominum gratia com-
parauerit, d.§.in pecudum, & d.l.vetus 74. quę
ratio ex ſtoichorū ſchola deſumpta eſſe videtur,
vt apud Lucret.de ſtoicis lib.2.& Lactant.lib.7.

SVMMARIVM.

1 *Per inuentionem theſauri dominium acquiritur.*
2 *Theſaurus magicis artib. inuētus fiſco applicatur.*
3 *Theſaurus in alieno fundo inuentus, pro parte inuentoris, & pro parte domini fundi efficitur.*
4 *Proprius fundus, & alienus fundus quis dicatur.*
5 *Quid ſit Theſaurus.*

§. Thesauros.

DEcimoseptimò acquiritur dominium per inuentionem thesauri, qui quidem si inue-
1 niatur in fundo proprio, totus efficitur inuentoris, & hoc, siue casu, siue data opera inuentus sit, §. thesauros hoc tit. & l. 31. ff. eod. dummodo sine magicis artibus, nam si incantationibus, fisco applicatur, & qui inuenit tanquam maleficus puni-
2 tur, l. vnica, C. de thesauris, lib. 10. & l. nemo, C. de malefic. si autem in alieno fundo inueniatur, siue aut casu fortuito, aut data opera inuentus est, si casu fortuito, dimidia pars efficitur inuentoris,
3 & altera domini fundi, d. §. thesauros, si data opera, totus acquiritur domino loci, secundum glo. hic, natura enim non patitur, vt aliquid concupiscas ex alieno præmeditato consilio, proinde thesaurus beneficium Dei, & fortunæ donū dicitur, d. l. vnica, & l. 63. ff. eod. fundum proprium intelligo in quo quis plenum, vel etiam vtile tantū dominium habet, vt vasallus, emphyteuta, & superficiarius glo. hic, Andr. de Isern. & Aluarot. in cap.
4 quæ sint regalia in vsibus feudorum, alienū verò in quo inuentor, aut nihil planè iuris habet, aut est creditor iure pignoris, vel vsufructuarius, d. l. 63. §. quòd si seruus, & §. quòd si creditor. ff. eod. idem de Cæsaris loco, itemq. publico dicendum est, vt si thesaurus in Cæsaris loco, vel publico casu fortuito inuentus sit, pro dimidia parte inuentoris, & pro altera Cæsaris, vel ciuitatis, & si data opera, totus Cæsaris, vel ciuitatis efficiatur, d. §. thesauros, quod ipsum quoque de loco sacro, & religioso diui fratres constituerunt in l. 3. §. penul. ff. de iure fisci, quorum constitutio hodie etiam per Federicum Imperatorem in titu. quæ sint regaliæ in vsibus feudorum, in vsum reuocata est, reprobata Hadriani constitutione, de qua Iustinianus hic, est autem thesaurus, ne hoc omittamus, vetus quædam pecuniæ depositio, ab eo
5 tempore recondita, quod memoriam excedit, & quæ nullum dominum habet, vel dicitur pecunia ab ignotis dominis vetustiori tempore abscondita, l. vnica, C. de thesaur. lib. 10. & l. 31. ff. eod. dixi vetustiori tempore, quia si quis aliquid vel lucri causa, vel metus, vel custodiæ sub terra condiderit, non est thesaurus, nec inuentoris efficitur, imò retinens furtum committit, d. l. 31. ideo si domum, vel fundum vendideris, in quo vel parentes tui, vel tu ipse, pecuniam reconditam possuisti, illa pecunia non censetur vendita, neque alienata, sed penes te remansisse, & tibi restituenda erit, l. à tutore. ff. de rei vendicat.

SVMMARIVM.

1 *Per traditionem dominium acquiritur.*
2 *Quæ requirantur ad hoc, vt per traditionem acquiratur dominium.*
3 *In rebus incorporalibus patientia loco traditionis habetur.*

§. Per traditionem.

1 DEcimooctauò acquiritur dominiū per traditionem, §. per traditionem hoc tit. l. 9. §. hæc quoque, & 20. ff. eod. multa tamen necessaria sunt ad hoc, vt per traditionem acquiratur dominium, & primo necesse est, quod tradens sit dominus rei traditæ, §. per tradit. hoc tit. & ratio est, quia traditio nihil amplius transferre potest ad eum, qui accipit, quam sit apud eum, qui tradit, l. 20. ff. eodem, & l. nemo plus iuris, ff. de regu. iur. secundò, quòd sit persona idonea ad tradendum,
2 puta, non pupillus, non furiosus, non prodigus, aut similis, d. l. 9. §. hæc quoque, & ibi glo. & Doct. notant, & 11. ff. eod. tertiò, necesse est, vt præcedat titulus habilis, vt hic in fine, §. nostri, veluti venditio, donatio, aut similes, nam nuda traditione sine causa, nunquam transfertur dominium, l. 31. ff. eod. quartò, vt accedat voluntas transferentis, & quod vel ipse dominus tradat, vel alius eius nomine, d. l. 9. §. hæc quoque, quintò, vt res sit talis, quæ licitè in alium transferri possit, §. sacræ, hoc eod. tit. sextò, & vltimo, vt res sit corporalis, d. §. per traditionem, nam in incorporalib.
3 patientia loco traditionis habetur, l. 43. ff. eod. l. quoties. ff. de seruit. nec refert, dummodo res corporalis sit, an sit mobilis, vel immobilis, quia in immobilibus inductio in possessionem sufficit, vt notāt Doct. in l. si me vacuā. ff. de acquir. possess.

SVMMARIVM.

1 *Per emptionem dominium acquiritur.*
2 *Non soluto precio in emptione, non transfertur dominium.*

§. Venditæ.

1 DEcimononò, iure gentium dominium acquiritur per emptionem, facta solutione pretij, vel saltem de eo fide habita, & non aliter, §. venditæ, hoc tit. & l. quod vendidi. ff. de cōtrah. empt. dixi, & non aliter, quia res venditæ, & si traditæ sint, tamen non aliter emptori acquiruntur,
2 quàm si venditori pretium fuerit solutū, vel alias satisfactum, expromissore, aut pignore, aut saltē de eo fides habita, d. §. venditæ, quod si secus factum fuerit, poterit venditor, rem venditam, si tradita sit, vindicare, vel si nondum tradita, loco pignoris retinere, Mysing. & Vulteius hic.

SVMMARIVM.

1 *Per fictam traditionem, & patientiam dominium acquiritur.*
2 *Breui manu fieri, quomodo dicatur.*

§. Interdum.

VIgesimò, acquiritur iure gentiū dominium nō solum per veram, sed etiam per fictam traditio-

1 traditionem, siue patientiam domini, rei tamē ex alio titulo prius concessæ, §. interdum, hoc tit. & l. 9. §. interdum. ff. eod. si quis igitur rem, quā tibi accōmodauit, aut locauit, aut apud te deposuit, postea vendiderit, donauerit, aut dotis nomine dederit, quamuis ex ea causa, eam tibi non tradiderit, eo tamen ipso, quod patitur tuam esse, statim tibi acquiritur, perinde, ac si eo nomine tibi tradita fuisset, d. §. interdum, & d. l. 9. §. interdum, id quod breui manu fieri dicitur, vt ambages euitentur, l. 3. §. fin. ff. de donat. inter virum, & vxorem, & l. 15. ff. si certum petatur.

SVMMARIVM.

1 *Per traditionem clauium dominium acquiritur.*
2 *Claues custodiæ causa traditæ nil aliud operantur, quàm custodiæ commissionem.*

§. Item si quis.

1 Vigesimoprimò, acquiritur dominium, per traditionem clauium præcedente iusta dominij causa, §. item si quis, hoc tit. & l. 9. §. item si quis. ff. eod. dixi præcedente iusta dominij causa, quia si ex causa custodiæ claues tradantur, ta-
2 lis traditio nil operatur, nisi commissæ custodiæ significationem, vt in l. cum pater. §. pater pluribus, & ibi glo. ff. de legat. 2.

SVMMARIVM.

1 *Proiectione missilium dominium acquiritur.*
2 *Missilia, quæ, & vnde dicta.*

§. Hoc amplius.

1 Vigesimosecundò, acquiritur dominium, ex proiectione missilium in vulgus ab accipiente, §. hoc amplius, hoc tit. & l. 9. §. hoc amplius. ff. eod. Missilia variarum rerū donaria sunt, à mittendo sic dicta, quæ olim Imperatores, &
2 Coss. liberalitatis gratia, atque in perpetuam rei memoriā, populo colligenda spargere solebant, vt ex Sueton. in Caligula, & Nerone constat, hæc hodie etiam Christiani proceres spargere solent, non quidem, vt regni sui vires ostentent, aut inanem nominis famā, Romanorūq. gloriam æmulentur, sed vt pauperibus colligenda porrigant.

SVMMARIVM.

1 *Apprehensione rei pro derelicto habitæ dominium acquiritur.*
2 *Quid pro derelicto habeatur.*
3 *Quæ leuandæ nauis gratia abijciuntur, pro derelictis non habentur.*

§. Qua ratione, & fin.

1 Vigesimotertiò, & vltimò, iure gentium dominium acquiritur apprehensione rei pro derelicto habitæ, §. qua ratione, hoc tit. l. 1. & tot. tit. ff. pro derelict. & hoc siue res sit mobilis, siue immobilis, nam etiam immobilia pro derelicto haberi possunt, veluti, si quis domum ita derelinquat, aut agrum, vt in bonis suis amplius esse no-
2 lit. glo. hic in verbo desinit. Pro derelicto igitur id habetur, quod dominus ea mente abiecit, vt in numero rerum suarum esse nolit, d. §. qua ratione, ex quo sequitur, quod non omnia, quæ abijciuntur pro derelicto habentur, nam quæ leuandæ nauis gratia mari committuntur, vbicunque
3 sunt, manent ipsorum dominorum, & qui eas animo lucrandi abstulerit, furtum committit, §. fin. hoc tit. & d. l. 9. §. fin. ff. eod. non enim eo animo abijciuntur, vt in numero rerum nostrarum esse nolimus, sed metu naufragij, & potius vt præsens periculum effugiamus. Cuiusmodi etiā sunt, quę incendij, & ruinæ causa sub diuo emittuntur, ea si quidem, si quis aufer lucri faciendi causa, furtū committit, l. 1. ff. de incend. ruin. & naufragio.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quæ res dicantur corporales, & quæ incorporales.*

DE REBVS CORPORALIBVS, & incorporalibus. Titulus II.

1 Qvamuis tractatus de rebus corporalibus in primo Pandectarum libro sub tit. de rerum diuisione, & qualitate contineatur, vt videre est, in l. [illegible] Imperator hic, vt distinctius singula comprehendat, & faciliori cognitione, ciuilis prudentię primordia tractet, antequam seruitutis rationem exponat, de rebus corporalibus, & incorporalibus singulari titulo differit.

Quæ sit tertia rerum diuisio.

Tertia diuisio rerum est, quòd aliæ sunt corporales, & aliæ incorporales; corporales sunt, quæ sui natura tangi, & videri possunt, quales sunt omnes res mobiles, & immobiles; in-
2 corporales, quæ in sola animi, & intellectus cognitione consistunt, vt obligationes, actiones, seruitutes, hæreditates, & similia, §. 1. hoc tit. & l. 1. ff. quædam. ff. de rerum diuis. & licet in hæreditate res corporales contineantur, & id quod nobis ex obligatione debetur, plerunque corporale sit, & similiter fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales sint; tamen ipsum ius successionis, obligationis, vtendi, & fruendi incorporale est, §. incorporale, hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit seruitus.*
3 *Quot sint species seruitutis.*

4 Quid

4 *Quid sit seruitus personalis.*
5 *Quid sit seruitus realis.*
6 *Quotuplex sit realis seruitus.*

DE SERVITVTIBVS RVSTICORVM, & Vrbanorum Prædiorum. Tit. III.

1 CVm inter res incorporales numerentur seruitutes, meritò seruitutum materia deinceps ordine est explicanda, & concordat tit. ff. de seruit. & C. de seruit. & aqua.

Quid sit seruitus.

2 SEruitus, vt hoc in loco accipitur, est ius quod habemus in re alterius, vt patiatur aliquid in re sua fieri, vel ipse in re propria non faciat, l. quoties. §. fin. ff. de seruit.

Quot sint species seruitutis.

3 VAriæ seruitutum species à Doctoribus recensentur; duæ tamen sunt, de quibus, & in hoc tit. & duobus sequentibus agere debemus, scilicet, personalis, & realis.

Quid sit seruitus personalis.

4 PErsonalis seruitus est, quando res immediate seruit personæ, vt in vsufructus vsu, & habitatione, l. 1. ff. de seruit. diciturq. personalis, qa persona in ipsa dominatur, & cum persona extinguitur, solet etiam à Doctoribus mixta appellari ad differentiam merè personalis, de qua diximus superiori libro in tit. de iure person. & de hac seruitute videbimus in duobus titulis sequentibus.

Quid sit seruitus realis.

5 REalis seruitus est, quæ à re rei debetur, diciturque realis, quia res seruit rei, & quia sine re consistere non potest, & de hac seruitute agitur in hoc tit.

Quotuplex sit realis seruitus.

6 REalis seruitus duplex est, Vrbana, & rustica, quid autem sit Vrbana, quid rustica, quomodo inter se differant, & alia, infra, & per totum hunc titulum videbimus.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit seruitus rustica.*
2 *Quot sint species seruitutis rusticæ.*
3 *Quid sit iter, & quanta eius latitudo esse debeat.*
4 *Actus quid, & in quo ab itinere differat.*
5 *Quid via.*
6 *Aquaductus.*
7 *Aquæ haustus.*
8 *Pecoris ad aquam appulsus.*
9 *Ius pascendi.*
10 *Calcis coquendæ seruitus.*
11 *Arenæ fodiendæ.*

§. primo, & §. inter rusticorum.

Quid sit seruitus rustica.

1 RVstica seruitus est, quæ rusticis prædijs debetur, §. 1. & in §. inter rusticorum, hoc tit. dicunturq. rustica prædia, non solum agri, sed etiam ædificia ad vsum pecorum, aut fructuũ colligendorum facta, nec refert, an in vrbe, vel extra in villa collocata sint, quia nõ locus facit prædia vrbana, aut rustica, sed materia, l. vrbana prædia, & ibi Alciat. notat. ff. de verb. signific.

Quot sint species seruitutis rusticæ.

2 RVsticorum prædiorũ seruitutes plures sunt, veluti, iter, actus, via, aquæ ductus, & aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, ius pascendi, calcis coquendæ, & arenæ fodiendæ, d. §. 1. & §. inter rusticorum, hoc tit. & concordat tit. ff. de seruit. rusticorum prædiorum.

Quid sit iter.

3 ITer est ius eundi, ambulandi hominis per fundum vicini, non tamen iumẽtum agendi, nec vehiculum ducendi, §. 1. hoc tit. & l. 1. ff. de seruit. rustici prædior. ambulare intellige, non tantum solum, sed etiam cum socio, nõ tantum pedes, sed etiam eques, & lectica vehi. l. 7. & 12. ff. de seruit. rustic. prædior. Quanta autẽ latitudinis esse debeat iter, si à partibus non fuerit statutum, arbiter eligendus erit, qui determinare habeat, l. 13. §. eod. Nec aptè poterit ille, qui seruitutẽ habet, per partem fundo nociuam ire, cum per aliam id æquè commode facere possit, l. 9. ff. de seruit.

Quid sit actus.

ACtus est ius per alienum fundum eundi, & ambulandi, ac etiam iumentum agendi, & vehiculum ducendi, non tamen lapides, vel trabem trahendi, d. §. 1. & d. l. 1. ff. eod. qui igitur iter habet, actum non habet, qui verò actum habet, iter quoque habet, hoc est facultatem eundi, sine
4 iumento, d. §. 1. At dixerit quispiam, imò videtur eum, qui iter habet, agere posse iumentum, vel vehiculum, cùm eques commeare, & sella, lecticaque vehi possit. Dic aliud esse equitem incedere sella, & aliud agere iumentũ, si quidem ille propriè agere dicitur, qui pecora, & armenta trahit, præ se ducit, celeriterque impellit, vnde in Tytiro Virgil.

—— *En ipse capellas*
Protenus æger ago, hanc etiam vix Tytire duco.

Sic

Sic aliud est vehi lectica, & aliud agere vehiculũ,
nam lectica gestatorium quoddam est, ad instar
cubiculi factum, in quo lectus stratus, & fenestrę
sunt, quibus adhibentur specularia ad arcendos
ventos, & lucem excipiendam, & hac lectica ve-
huntur delicati, & diuites homines, frequentius
matronæ. Vehiculum verò est currus quatuor
plerunque rotarum, in quo fœnum, frumentum,
vinum, aut aliud aliquid vehitur, huius seruitutis
latitudo, si inter partes similiter statuta non fue-
rit, determinabitur à iudice, d.l.13.§.latitudo. ff.
eodem, scilicet, de seruit. rustic. prædior.

Quid sit via.

VIa est ius per alienum fundum eundi, am-
bulandi, iumẽtum, & vehiculum ducendi,
5 lapides, & trabes trahendi, ac etiam rectam ha-
stam ferendi, ideo, qui talem seruitutem haber,
exercitum etiam ducere poterit, dummodo fru-
ctus non lædantur, nec agri deuastentur, d.§.1.&
d.l.1. & l.qui sellam. §.qui viam cum ibi notatis.
ff. eod. qui viam igitur habet, iter etiam, & actum
habere censetur, nam iter, & actum via in se con-
tinet, d.§.1.& d.l.1. diciturq. via, quasi vehia, qđ
vehendo teratur secũdum Victor. lib. 4. de lingua
Latina, ideo quum lapides, trabes, & similia fu-
nibus ductarijs trahuntur, tum propriè via dici-
tur, quia iter ipsum quasi gerit, maiusq. damnum
domino afferunt, quàm quæ plaustris vehuntur,
aut quadrigis, vt vehiculum, viæ latitudo si inter
partes statuta non fuerit, l.12. tab. in porrectum
octo pedum latitudinem esse voluit, in anfractũ,
idest, vbi flexum est, propter vehiculorum verten
dorum facilitatem sexdecim. Verba l.12. tabu.
hæc erant.

*Viæ latitudo in porrectum octo pedes, in anfra-
ctum sexdecim habeto.*

Hanc legem ad verbum propè citat Caius in l.
viæ latitudo 8. ff. eodem.

Quid sit aquaductus.

AQuæductus est ius ducendi aquam per fun-
dum alienum, d.§.1. hoc tit. & d.l.1. & 9. ff.
6 eodem, qui talem seruitutem ducendi aquam ha-
bet, ab initio per quamlibet partem fundi aquam
ducere potest, sed si per vnam partẽ ducere cœ-
perit, per aliam amplius ducere non poterit, l.si,
& ibi Bart. ff. de aqua quotid. & æstiua, hæc facul-
tas ducendi aquam plurib. concedi potest secun-
dum Neratium Iurisconsl. in l.2. ff. eod. dummodo
aqua omnib. sufficiat, alias si vni fuerit concessa,
non poterit postea alteri in præiudicium illius
concedi, vt admonet Castrẽ. in d.l.2. nam semper
quando alicui aliquid cõceditur, intelligitur sine
præiudicio alterius, l.2.§.si quis à principe, ff. Ne
quid in loco publico. Aquæductus, tribus gene-
ribus fieri, aut riuis per canales structiles, aut fi-
stulis plumbeis, aut tabulis fictilibus docet M. Vi-
truuius lib. de Architect. 8. cap. 7. extat etiam li-
bellus Sext. Iul. Front. de Aquæductibus vrbis Ro
mæ lectu iucundissimus, & quia hæc omnia pro-
sequi in præsentiarum non attinet, lectorem ad
eos remittimus, vt ea tantum quæ ad Iurisconsl.
pertinent, pertractemus admonẽdo eum, qui ius
aquæ ducendæ habet in alium locum, quàm ad
quem seruitus acquisita est, aquam ducere non
posse, nec eum aquæ vsum alteri cedere, l.24. &
33. ff. eod. & hoc verum est secundum Accurs. &
alios in d.l.24. antequam aqua ingressa sit fundũ
dominantẽ, nam postq̃ fuerit ingressa, poterit ad
alias partes duci, intellige sẽp nisi dño loci serui-
entis noceat, l.1.§.illud. ff. de aqua quot. & æstiua.

Quid sit aquæ haustus.

AQuæ haustus est ius hauriendi aquam de pu-
teo, vel fonte, vel de alia aqua vicini ad ne-
cessarios vsus agri, vel pro laborantibus in agro,
§. inter rusticorum, & ibi gloss. hoc tit. & d.l.1. &
5. ff. eod. aduertendum tamen est quod ad hoc, vt
talis seruitus constituatur, & realis appelletur,
necesse est, qđ prædia vicina sint, d.l.5. quia tunc
7 etiam si postea hauriatur aqua pro vtilitate per-
sonarum, non per hoc personalis erit, cum de-
beatur à re, respectu, & contemplatione rei,
proinde, & ad successores transibit, glo. in d.l.1.
in verbo computanda, nõ sic est, si vicina prędia
nõ sint, sed alicui aquæ haustus pro vtilitate per-
sonę tantum concedatur, erit enim hoc casu per-
sonalis, & cum persona extinguetur, vt tradunt
Doct. in l. pecoris, ff. eod. concessa seruitute aquę
haustus, iter quoque cõcessum videtur, idest, ius
eundi ad eum locum, l.3.§.qui habet haustum, ff.
eod. ea enim regula in omni iuris parte frequen-
tata est, cui aliquid concessum est, ea omnia etiã
tributa videri, sine quibus concessum explicari
nequit, l.fin. ff. de offic. eius, l.2. ff. de iurisdict. om-
nium iudic. l. huius, ff. qui poti. in pignor. habeant.
l.3.§.si. ff. de penu legat. cap. præterea, & cap. su-
spitionis, extra de offic. delegat. è conuerso con-
cesso itinere ad priuatum fontem aquæ haustus
quoque concessus intelligitur, d.l.3. ff. eod. hau-
stus aquæ, sicuti aquæductus, potest ex eodem
loco concedi pluribus, dummodo posterior cõ-
cessio priorem non impediat, l.2.§.fin. ff. eod. l.
Lucius. ff. de aqua quotid. & æstiua, alioqui si po-
sterior concessio priori noceat, sine cõsensu eius
cui seruitus prius concessa est, non valet, l. aquã,
C. de seruit. & aqua, l. per quem locum 14. ff. eod.
At dixerit quispiam, si potest seruitus ducendę,
aut hauriendæ aquæ, secundo concedi, ergo ser-
uitus seruitutis est, contra l.1. ff. de vsu, & vsufru.
legat. Respondet Bart. ibidem, cum, qui seruitu-
tem habet, non posse vsumfructum, aut aliam ser
uitutem constituere, seruitutis enim seruitus es-
se non potest. Cęterum dominus fundi con-
cessa vna seruitute, potest, & alteram conce-
dere, quæ tunc non dicetur seruitus seruitutis,
sed

sed alia seruitus, non à prima seruitute habita, sed à fundo, l.qui per certum. ff.com.prędior.

Quid sit pecoris ad aquam appulsus.

Pecoris ad aquam appulsus, est ius appellendi pecora agri mei per fundum vicini ad fontem, vel aliam aquam eius, d.§.inter rusticorum
8 hoc tit.& d.l.1.ff.eod. dixi pecora agri mei, quia necesse est, quod prędij fructus maximè in pecore consistant, & consequenter pecoris ad aquam appulsus ob vtilitatem agri mei fiat, ad hoc, vt hęc seruitus prędialis appelletur, l.pecoris 4. & ibi glo. not.ff.eodem.

Quid sit ius pascendi.

Est ius pascendi pecora in alieno fundo, agri mei causa, d.§.inter rusticorum, & d.l.1. & 4. ff.eod. appellatione pecoris continentur om-
9 nes quadrupedes, quę gregatim pascuntur, l.2. ff. ad l.Aquil. l.legatis, §.pecoribus. ff.de legat.2. sed videtur dicendum etiam sine seruitute id licitum esse, quandoquidem in cap.1.§.fin. de pace tené. in vsib. feud. permissum est, viatori equum suum pabulare in agro alieno, sine tamen aliqua vastatione. Sed hoc permissum intelligas ad necessarium transeuntis equi vsum, equitas enim tunc id ipsum suggerit, etiam si stricto iure deficiamur, l.2.§.item varus. ff.de aqua pluuia arcenda.

Quid sit seruitus calcis coquendę.

10 Seruitus calcis coquendę est ius quo in fundo vicini calcem coquere possum ad vtilitatem mei prędij rustici, d.§.inter rusticorum, & d.l.1. §.fin.5. & 6. ff.eodem.

Quid sit seruitus arenę fodiendę.

Est ius, quo in fundo vicini licitum est arenã fodere, vt inde fiant vasa, vel ędificia rustica propter necessitatem fundi, d.§.inter rusticorum hoc tit.& in d.l.5.& 6. cum ibi notatis, ff.eodem, & hęc quo ad seruitutes rusticas, nunc de vrbanis inspiciamus.

SVMMARIVM.

1 *Quę sit seruitus vrbana, & quę vrbana prędia appellentur.*
2 *Quotuplex sit vrbana seruitus.*
3 *Quę sint vrbanę seruitutes affirmatiuę.*
4 *Quid sit seruitus oneris ferendi.*
5 *Speciale est in seruitute oneris ferendi, vt qui eam debet, reficere etiam teneatur.*
6 *Quid sit seruitus altius tollendi.*
7 *Seruitus auertendi stillicidij.*
8 *Immittendi tignum.*
9 *Proijciendi.*
10 *Protegendi.*
11 *Seruitus prospectus.*
12 *Luminum seruitus.*
13 *Quę seruitutes vrbanę negatiuę.*
14 *Seruitus altius non tollendi.*
15 *Stillicidij non auertendi.*
16 *Ne prospectui officiatur.*
17 *Ne luminibus officiatur.*
18 *Seruitutes vrbanę, & rusticę, in quo inter se conueniant, & in quo differant.*

§. Prędiorum vrbanorum.

Quid sit seruitus vrbana.

1 Vrbana seruitus est, quę vrbanis prędijs debetur, & quę ędificijs cohęret, §.prędiorũ hoc tit.& l.1.ff.eod. scilicet, de seruit. vrban. pręd. dicunturq. vrbana prędia omnia ea, quę habitandi causa, & hominum vsui destinata sunt, & hoc siue in vrbe, siue in villa posita sint, nam non locus facit prędia vrbana, aut rustica, sed materia, vt suprà quoque diximus, l.vrbana. ff.de verb. signific. & d.§.prędiorum hoc tit.

Quotuplex sit vrbana seruitus.

2 Seruitus vrbana duplex est, affirmatiua, & negatiua, glo.& Doct.in d.l.1. ff.eodem.

Quę sint vrbanę seruitutes affirmatiuę.

Vrbanę seruitutes affirmatiuę sunt, quę verbis affirmatiuis conceptę sunt, vt ius oneris ferendi, altius tollendi, stillicidium auertendi,
3 tignum immittendi, seruitus proijciendi, protegendi, & prospectus, & luminum, d.§.prędiorum, & d.l.1.

Quid sit seruitus oneris ferendi.

Est ius quo prędium vrbanum vicini mei co-
4 gitur perpetuò sustinere onera dom⁹ meę aliquo pariete, vel columna, l.eum debere columnam 33.& ibi glo.ff.eod. l.sicuti. §.distant, ff. si seruit.vindic. dixi perpetuò, quia licet aliarum seruitutum natura ea sit, vt is, cui imponitur non cogatur aliquid facere, sed tantùm pati, l.quoties la 1.§.seru. ff.eod. l.potest. ff.com.pręd. l.1.§.fin. ff.de aqua pluuia arcendę, l.si forte.§.1. ff.si seruit.vindic. tamen speciale est in hac seruitute, vt
5 qui eam debet non solum pati, sed etiam facere teneatur, veluti columnam, aut parietẽ, qui onus sustinet, l.furti.§.distant, & l.si forte.§.etiam ff.si seruit.vindic.& d.l.eum debere 33.ff.eod.

Quid sit seruitus altius tollendi.

6 Est ius à prędio vrbano alteri debitum, quo quis altius ędificare tenetur, d.§.prędiorũ hoc

hoc tit. & d.l.1.ff.eod. & quidem nostra sæpè interesse potest, vt vicinus domum suam altius tollat, propter solis fortasse repercussionem, l.si arborem, §.interdum, ff.eod. aut, vt commodius tigna immittantur, d.l. eum debere 32. vel propter ventos glo. Bart. & alij in d.l.1.

Quid sit seruitus auertendi stillicidij.

7 Est ius debitum prædio meo, quo possum stillicidium, seu aquam pluuialem auertere, & deriuare super tectum, aut aream vicini mei, d.§.prædiorum hoc tit. & d.l.1.ff.eod.

Quid sit seruitus immittendi tignum.

8 Est ius, quo tignum immittere licet super parietem vicini, vt in vtroq. ædificio quiescat, d.§.prædiorum, & d.l.1.19.& 24.ff.eod. & licet appellatione tigni veniat omnis materia, ex qua ædificia construuntur, vt supra in §. cum in suo de rerum diuis. hic tamen accipitur tantum pro trabibus immissis.

Quid sit seruitus proijciendi.

9 Est ius quoquis ex prædio suo vrbano potest proijcere aquam in solum vicini d.l.1.ff.eod.

Quid sit seruitus protegendi.

Est ius, quo quis ex prædio suo vrbano supra vicini solum facere potest protectum, d.l.1. est autem protectum id quod ita prouehitur, vt
10 nusquam requiescat, qualia mœnia sunt à Mœnio quodam prospectandi gratia, miro populi applausu primum inuenta, is enim abroso patrimonio, & vendita domo, quam ad forum spectātem habebat, solam columnam vnde gladiatores spectaret, sibi retinuit, tignisq. extra columnam proiectis, tabulisq. superpositis, ampliataq. columnæ summitate, pluribus in columna spectatorib. locū fecit, indeq. factū fuit, vt oīa id genus ædificia mœniana vocarētur, Sueton. in Caligula vulgo nunc Podioli, & Lobiæ appellantur.

Quid sit seruitus prospectus.

Est ius, quod quis habet à vicino prædio, liberioris prospectus gratia, non quidem, vt
11 cœlum videat, sed vt fenestra, vel aliquo simili claritas cœli ad eum perueniat, secundum Azon. in sua summa in §.si autem, C.de seruit. & aqua.

Quid sit seruitus luminum.

Est ius, quo vicinus tenetur in ædificando sufficientem lucem admittere ad alterius ædes,
12 l.luminum.ff.eod. & hæc de seruitutibus vrbanis affirmatiuis.

Quæ sint vrbanæ seruitutes negatiuæ.

Vrbanæ seruitutes negatiuæ sunt, quę verbis negatiuis enunciantur, veluti, altius non
13 tollendi, stillicidij non auertendi, ne prospectui, vel luminibus officiatur, l.1.2.& 3.ff.eod.

Quid sit seruitus altius non tollendi.

14 Est ius, quo alicui ædificium suum altius tollere vicino inuito non licet, l.altius, C. de seruit. & aqua.

Quid sit seruitus stillicidij non auertendi.

15 Est ius, quo alteri stillicidium, quod in aream suam cadit, aliunde auertere non potest, ne cadat in eam, d.l.1.& ibi glo.ff.eod.

Quid sit seruitus ne prospectui officiatur.

16 Est ius, quo alteri prospectum meum, quem ex domo mea habeo, minus gratiosiorem, & liberum reddere non licet, l.14.ff.eod.

Quid sit seruitus ne luminibus officiatur.

Est ius, quo alteri lumina mea, nec ædificando, nec plantando auferre licet, l.15.& 16.
17 ff.eod. & hæc particulariter de vna quaque rustica, & vrbana seruitute dicta sufficiant, nunc generaliter aliqua vtriusque communia subijciamus.

Seruitutes rusticæ, & vrbanæ in quo inter se conueniant, & in quo differant.

Vidimus hactenus de seruitutibus vrbanorū, & rusticorum prædiorum separatim, nunc communia quędam pręcepta videbimus, ex quibus facile intelligemus, in quo conueniant, & in quo differant, qua de re etiam extat integer tit.ff. comm.præd.tam vrb.quàm rust.conueniunt igi-
18 tur, quia vtraque prædiorum appellatur, & neutra sine prædijs constitui potest, l.1.ff.commun. prædior. ideo ad quemcunque transit prædium, transit etiam seruitus prædio debita, l.13.ff.commun.præd. differunt verò, quia rustica rusticis, vrbana vrbanis prædijs debetur secundo, quia omnes seruitutes rusticæ consistunt in patiendo tantùm, vt nimirum vicinus patiatur vti, vrbanæ autem non solùm in paciendo, sed etiam in non faciēdo interdum, puta ne vicinus ædes suas altius tollat, ne tignum immittat, & similia quod non est in seruitutibus rusticis, non enim potest esse seruitus non aquæ ducendæ, non eundi, & huius generis. Si autem prædia quæ inter se seruitutem sibi debent, alia sint vrbana, & alia rustica in hoc casu, denominatio à prędio denominātē fieri debet, l.1.& ibi glo.ff.de seruit.vrban.præd. ideo li-

ces

cet via sit seruitus rustica, si tamen debeatur per fundum tuum domui meæ, appellabitur vrbana.

SVMMARIVM.

1 *Nemo potest acquirere vrbanam, aut rusticam seruitutem, nisi qui prædium habet.*
2 *Realis seruitus personalis etiam quandoque fieri potest.*
3 *In dubio quomodo cognoscatur, an seruitus sit realis, vel personalis.*

§. Ideo.

Qui seruitutem acquirere, aut imponere possint.

REgula est, quòd nemo potest acquirere ser-
uitutem vrbani, vel rustici prædij, nisi qui
1 prædium habet, & è contra nemo debet seruitu-
tem imponere, nisi qui prædium habet, ideo etiã
reales huiusmodi seruitutes dicuntur, quia scili-
cet, sine re, ac prædio dominante, & seruiẽte esse
non possunt, §. ideo hoc tit. & l. 1. ff. comm. pręd.
quicunque igitur prędium habet ei, vt alteri prę-
dio seruiat, iure seruitutem imponere potest, cũ
in re sua quilibet sit moderator, & arbiter, l. in re
mandata, C. manda. dummodo non sit factum in
præiudicium alterius, aliam seruitutem habentis,
l. per quem, cum ibi notatis, ff. de seruit. rusticor.
prædior. illud tamen omittendum non est, serui-
tutem suapte natura realem, quandoq. persona-
lem fieri posse, si ad personam referatur, veluti
seruitus lapides cędẽdi, quæ sui natura realis est,
l. ergo. & l. veluti. ff. de seruit. rustic. propter rela-
tionem facti ad personam, dicitur personæ, & nõ
2 prædij, l. apud Iulianum. §. si quis. ff. de legat. 1. sic
in seruitute Haustus aquæ videmus, quæ licet sui
natura prædialis sit, l. 1. ff. de seruit. rusti. prædicta
tamen ratione fit quandoq. personalis, l. mella.
§. fin. ff. de aliment. & cibat. legat. Quod si scire
cupias, an iuris alicuius cõcessio sit prædialis, an
personalis, vbi sumus in dubio Bart. & cęteri hãc
doctrinam tradunt, vt si concessio fiat per verba
facti veluti, si mihi cõcedas facultatem eundi, aut
vt possim ire, agere per fundum tuum, vel ex fun
do tuo haurire aquam, aut cretam inde eximere,
vel arenam fodere, & sic de similibus, sit persona-
lis, & non realis, licet occasionę rei, & prædij fa-
3 cta sit, d. l. apud Iulianum, & facit tex. in l. 2. §. itẽ
si in facto. ff. de verb. obliga. & in §. sed cum factũ
infra de stipulat. seruor. idem est, si verba illa fa-
cti referantur ad concedentem, veluti, quia pro-
miserit quispiam, non habere fenestram in parie-
te, non tollere altius, & id genus, scilicet, esse ser-
uitutem personalem, non realem. At si conces-
sionis verba sonent in ius, vt quia concessisti mi-
hi ius eundi, agendi, aut ius aquam ducendi, ser-
uitus erit realis, quæ omnino in iure consistit, nisi
ex qualitate personæ cui fit concessio, & qualita-
te rei concessæ coniiciamus cõcedentis affectio-
nem personalem esse, vt quia legatum fuerit filiæ
ius transeundi per domum hæreditariam, l. pater
filiæ, ff. de seruit. legat. & hæc cum ob multa, tum
ob id, vel maximè notanda sunt, quòd vbi serui-
tus est realis transit ad quoscunque hæredes, vbi
personalis non, l. fin. §. fin. ff. de contrahen. empt.
l. Caius. ff. de annuis legat.

SVMMARIVM.

1 *Seruitus constitui potest, contractibus, & vltimis voluntatibus.*
2 *Seruitus qualiter extinguatur.*

§. Fin.

Qualiter constituatur seruitus.

SEruitus constitui potest, tàm inter viuos, quã
1 etiam in vltima voluntate, veluti pactis, stipu-
lationib. emptione, testamento, codicillis, & alijs
huiusmodi. §. fi. hoc tit. & tot. tit. ff. de seruit. legat.

Qualiter extinguatur, & amittatur seruitus.

EXtat de hac re tit. in ff. quemad. seruit. amit-
tant. & primò quidem extinguitur seruitus,
quando dominus fundi seruientis, aut dominan-
tis, vtriusque dominus efficitur, l. 1. & ibi glo. ff.
quemadmodum seruitu. amittant. secundo amit-
titur ex aliquo actu concesso, qui seruituti, ita
contrarius sit, vt durare simul nequeant, vt si stil-
licidij immittendi ius habeam in aream tuam, &
2 permittam te in ea ędificare, vel viam, & permit-
tam tibi aliquid ibi facere, per quod vię vsus au-
feratur, l. 8. ff. quemadmodum seruitut. amittant.
tertio rei interitu seruitus quoque extinguitur,
l. 14. eodem tit. quemadmodum seruitut. restitu-
ta tamen re, restituitur etiam seruitus, dict. l. 14.
quarto remissione iuris sui, facta ab eo, qui ser-
uitutem habet, l. quęritur. §. si venditor. ff. de ędi-
lit. edict. quinto, si hęres, fundo sub conditione
legato seruitutem imponat, ea adueniente eua-
nescit, l. si is, cui 1 . §. fin. eodem tit. quemadm.
seruit. amittant. sexto, & vltimo non vtentis ne-
gligentia amittitur, olim quidem biennio exem-
plo cęterarum pręscriptionum, hodiè 10. annis
inter pręsentes, & 20. inter absentes, l. penult.
C. de seruit. idque si continua sit seruitus, ita vt
singulis diebus vti liceat, nam si ita constituta
sit, vt vel ęstate tantùm ducatur, vel alternis an-
nis, aut mensibus, duplicato tempore, nempè
20. inter pręsentes, & 40. inter absentes amitti-
tur, l. 7. & ibi glo. not. ff. quemad. seruit. amittant.
l. fin. C. de seruit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Species personalium seruitutum sunt, vsusfructus, vsus, & habitatio.*

DE

DE VSVFRVCTV. Tit. IV.

1 TRactatum est suprà de seruit. realibus, quę à re rei debentur, nunc de personalibus videndum est, quæ à re personæ debentur, & concordat tit. ff. & C. de vsufructu.

Quot sint species personalium seruitutum.

2 SEruitutum personalium, quas mixtas etiam Doct. vocant, tres sunt species, vsusfructus, vsus, & habitatio. De vsufructu agitur in hoc tit. de vsu, & habitatione in sequenti.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit vsusfructus.*
2 *Vsusfructus alius est causalis, & alius formalis.*
3 *Quid sit vsusfructus causalis, & quid formalis.*
4 *Vsusfructus tàm inter viuos, quàm etiam in vltima voluntate constitui potest.*

§. Primo.

Quid sit vsusfructus.

1 VSusfructus est ius vtendi, & fruendi rebus alienis, salua rerũ substãtia, §. 1. hoc tit. & l. 1. ff. eod.

Quotuplex sit vsusfructus.

2 VSusfructus duplex est, causalis, & formalis. Causalis est vsus rei propriæ coniunctus cum sua causa, hoc est, proprietate, & hoc modo pars dominij dicitur in l. 4. ff. eodem, nec seruitus propriè appellari potest, cum res sua nemini seruiat, l. vti frui, ff. si vsusfructus petat, formalis est,
3 vsus rei alienæ à proprietate distinctus, & iste est species seruitus, & de hoc agitur in hoc tit. nostro, definiturq. vt suprà diximus.

Qualiter constituatur vsusfructus.

4 VSusfructus cõstitui potest tàm inter viuos, cõtractibus, pactis, & alijs huiusmodi, quã etiã in testam. vt cũ testator legat vni vsumfructũ, alteri proprietatem, d. §. 1. hoc tit. l. 3. & 6. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus consistit tàm in rebus mobilibus, quã immobilibus.*
2 *Vsusfructus in rebus mobilibus, quæ vsu consumuntur impropriè constituitur.*

§. Constituitur.

In quibus rebus consistat vsusfructus.

1 VSusfructus consistit in rebus, tã mobilibus, q̃ immobilibus, dũmodo sint res, q̃ vsu nõ cõsumãtur, §. cõstituit hoc tit. l. 4. 28. & 41. ff. eod.
2 quandoq. tñ, licet impropriè, constituitur etiã in rebus, quæ vsu cõsumũtur, præstita s. cautione ab vsufructuario, vt res eiusdem qualitatis, vel bonitatis, aut illius pretium ęquualẽs restituatur, quo casu propter cautionẽ, quasi vsusfructus cõstitutus censetur, d. §. constituitur, & l. si tibi vini, ff. de vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur.

SVMMARIVM.

1 *Finitur vsusfructus morte vsufructuarij.*
2 *Finitur media, & maxima capitis diminutione.*
3 *Cessio vsusfructus extraneo facta, non extinguit vsumfructum.*

§. Fin.

Qualiter extinguatur seruitus.

1 EXtat de hac re tit. ff. qb. mod. vsusfru. amittat. & primò quidẽ extinguit morte naturali vsufructuarij, §. fi. hoc tit. & l. 3. §. fi. ff. eod. secũdò
2 morte ciuili, maxima. s. & media capitis diminutione, non autẽ minima, d. §. fi. & l. 1. ff. eod. s. qb. mod. vsusfruct. amittat. tertiò per nõ vsum longi temporis, d. §. fi. & l. 16. C. de vsufruct. quartò p cessionem iuris sui dño proprietatis factam, non
3 autem extraneo, d. §. fi. & l. si vsusfructus, ff. de iur. dotium. quintò consolidatione proprietatis, & vsusfructus simul, d. §. fin. sexto mutatione, & interitu totius rei, d. §. fin. in fine, & l. 5. §. rei. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Vsus quid sit.*
3 *Quotuplex sit vsus.*
4 *Qualiter constituatur.*
5 *Qualiter finiatur.*

DE VSV, ET HABITATIONE. Titulus V.

In principium Tituli.

1 PRosequitur reliquas duas species seruitutis personalis, quæ sunt, vsus, & habitatio, & concordat, tit. ff. de vsu, & habitat. & C. de vsufruct. & habitat.

Quid sit vsus.

2 EST ius vtendi rebus alienis ad quotidianum vsum salua rerum substantia, tex. est hic in princ. tit. nostri, & in l. 1. vbi etiã glo. notat. ff. eod.

Quotuplex sit vsus.

3 VSus secũdum glo. in d. l. 1. ff. eod. duplex est, scilicet, proprius, qui constituitur in rebus, quæ vsu non consumuntur, & improprius, qui constituitur in rebus, quæ vsu consumuntur.

Qualiter constituatur vsus.

Iisdem modis constituitur nudus vsus, quibus, & vsusfructus constitui solent secundum Imperatorem hic in princip. tit. nostri, quos modo, quoniam supra enumerauimus, hic nō repetam.

Qualiter finiatur vsus.

Similiter iisdem modis finitur vsus, quibus, & vsusfructus finiri solet, & sic easdem causas vsus habet, quas, & vsusfructus habere solet, vt hic in principio tituli.

SVMMARIVM.

1 *Minus iuris est in vsu, quam in vsufructu.*
2 *Qui nudum vsum habet seruorum, & iumentorum ad vsum suum tantum, & suorum vti potest non alijs locare.*
3 *Vsufructuarius, & frui, & vti potest.*

§. Primo, §. item is qui, & §. item is ad quem.

In quibus differant vsusfructus, & vsus.

Differunt vsusfructus, & vsus in hoc, quia minus iuris est in vsu, quàm in vsufructu, nam
1 qui nudum vsum habet fructibus tantū pro quotidiana necessitate vti potest, §. 1. hoc tit. & l. 12. ff. eod. seruis, & iumentis ad vsum suū tantū, coniugis, & liberorum, §. item is ad quem hoc tit. & d. l. 12. §. æquitij. ff. eodem pecoribus, & ouib. ad
2 stercorādū agrum solùm, lana, agnis, & lacte modico tantū pro sua, & suorū necessitate, d. §. item is ad qnem, & d. l. 12. §. hoc amplius; domo solū cū vxore, liberis, & seruis, & quandoq. hospitem recipere, §. item is, qui hoc tit. & l. 1. ff. eod. at qui vsumfructū habet, non solum fructibus vti, sed & de eis ad libitum disponere, ædes, item seruorū, iumentorumq. operas locare, ac similia facere
3 potest, d. §. 1. hoc tit. l. 7. & 13, ff. de vsufructu.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit habitatio.*
2 *Habitatio ius proprium, & separatum ab vsufructu est.*
3 *Iisdem modis quibus constituitur vsusfructus, & vsus, constituitur etiam habitatio, non tamen iisdem modis finitur.*

§. Fin.

Quid sit habitatio.

Habitatio est ius, seu facultas habitandi in aliena domo per se, vel per alium salua
1 domus substantia, §. fin. hoc tit. & l. 13. C. de vsufruct. & habitat. & hoc modo, habitatio est ius
2 proprium distinctum, & separatum ab vsu, & vsufructu. Cum vsufructu tamen in hoc conuenit, quia habēs habitationē, non solum in ea permanere, sed etiā alijs locare potest, prout, & vsufructuarius valet, quod nō est in vsu, vt supra quoq; diximus, & habemus in d. §. fin. & in l. 8. ff. eod.

Qualiter constituatur habitatio.

3 Iisdem modis, quibus constituitur vsusfructus, & vsus constituitur etiam habitatio, non tamen iisdem modis finitur, nam habitatio, nec per capitis diminutionem, nec per non vsum finitur, prout vsusfructus, & vsus finiri solet, sed sola morte naturali ipsius habitoris, l. si habitatio. ff. eod. l. legatum, & ibi glos. ff. de capit. diminut. cuius rei nulla alia ratio esse potest, quàm quod hoc ius ad certas ædes non astringitur, sed simpliciter, & absolutè relinquitur, non sic est, vsusfructus, & vsus, qui ad certas res astringitur, proinde rectè etiam dicit Imperator noster hic, habitationem, neque vsum, neque vsumfructum, sed quasi proprium aliquod ius esse.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Concordantes tituli.*
3 *Quo iure præscriptio introducta sit, & ob quam causam.*
4 *Vsucapio finis solicitudinis dicitur.*
5 *Homines naturaliter ad dissentiendū faciles sunt.*
6 *Vsucapio quid, & vnde dicta.*
7 *Quid præscriptio, & in quo ab usucapione differat.*

DE VSVCAPIONIBVS, ET LONGI temporis præscriptionibus. Tit. VI.

In principium Tituli.

Dominia rerum nobis, vel iure gentium, vel iure ciuili acquiri, supra in §. singulorū de
1 rerum diuision. dictum fuit, & hactenus qualiter de iure gentium acquirantur, explicauimus. Nūc qualiter de iure ciuili, & quia iure ciuili dupliciter acquiri possūt, vniuersaliter, & particulariter d modis particularibus, & inter eos, ab vsucapione initium sumit, & concordat, tit. ff. de vsucapio.
2 cum pluribus sequentibus, C. de præscript. cum alijs titulis ibi annexis, extra de præscript. in decretalibus, & sexto, & causa 13. quæst. 3. decreti.

Quo iure, & quam ob causam præscriptio inducta sit.

A Iure ciuili præscriptionem inductam esse constat ex principio tituli nostri, & hoc
3 propter bonum publicum, vt dicitur in l. 1. ff. eodem, ne dominia rerum diu, & semper in incerto maneant,

maneant,& vt aliquis tãdem litium sit finis,l.fin. ff.pro suo: qua de causa, & Ciceronem pro Cecina, finem solicitudinis vsucapionem dixisse, puto maximè enim nostra interest, litibus non vexari, vt scribit Vlpianus in l.minorib. 25.annis ff.de minoribus, nam vt Martialis lib.10. epigra. 47.ait hæc sunt,quæ vitam beatiorem faciunt.

Res non parta labore, sed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis
Lis nulla, &c.

Cum igitur frequentissimè inter se contrahere soleant, nec ita scire possit quis, an ille cum quo contrahit dominus sit, vel non, ideo si priori domino liceret semper petere à possessore, nec possessor efficeretur aliquando certus de dominio rei, quam habet, lexque non inuenisset modum, quo possidenti aduersus petẽtes succurreretur, semper alter alteri litem moueret, cum homines
5 naturaliter ad dissentiendum faciles sint, vt dicitur in l.item si vnus, §.fin.ff.de arbitris, sicq. nullus vnquam esset litium finis.

Quid sit vsucapio.

6 Est acquisitio dominij per continuationem possessionis, temporis, lege definiti, l.3. ff. eod. dictaque est vsucapio, quia per vsum capit, & in vsum suum conuertit.

Quid sit præscriptio.

Præscriptio secundum Abbatem, & alios in rubr.extra eod.est ius quoddam, proueniẽs
7 ex tempore, auctoritate legum vim capiens, pœnam negligentibus inferens, & finem litibus imponens, dictaque est præscriptio, quasi temporis præfinitio, tempus enim arguit, & punit eos, qui rerum suarum curam negligunt: contra quos & Solonem olim pœnam statuisse, meminit Plutarchus in Solone. Cautum etiam apud Romanos Gell.lib.4. Noctium atticarum cap.12.referr, eũ, qui indiligenter agrum suum tractasset, arasset ve, vel fordescere passus fuisset, aut vineam derelictui habuisset, nota censoria puniendum: id quod postea successores prudentissimi mitigantes, re tantùm neglecta per concessionem vsucapionis, & præscriptionis negligentes puniendos esse decreuerunt. Sunt qui putent, vsucapionem, & præscriptionem inter se differre, quandoquidem vsucapio ad res mobiles, præscriptio ad immobiles refeatur. Glo.in d.l.3.ff.eod.Bart.in l.seruitutes.ff. de seruit. cum tamen vsucapionis genuina significatio ad acquisitionem, tàm immobilium, quã mobilium rectissimè referatur, quod non tantum desinitio probat, d.l.3. sed etiam sanctio Iustiniana hic, ibi, constitutionem super hoc promulgauimus, qua cautum est, vt res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis possessionem, id est, inter præsentes decennio, inter absentes 20.annis vsucapiantur: quod autem garrit, & comminiscitur Accursius hic de propria, & impropria significatione, vt scilicet, verbum vsucapiatur, pro mobilibus propriè, pro immobilibus impropriè stet, vanum est, & rediculum. Vt plurimum igitur confunduntur, vsucapio, & præscriptio, & vtrumque rectè tam ad mobilia, quàm ad immobilia refertur.

SVMMARIVM.

1 *Bona fides in vsucapione requiritur.*
2 *Omni tempore bona fides interuenire debet.*
3 *Bona fides prodest etiam successori.*
4 *Mala fides, an successori, & cui successori noceat.*
5 *Titulus in præscriptione requiritur.*
6 *Quis dicatur tit. onerosus, & lucratiuus.*
7 *Tutatiuus titulus, an ad præscriptionem sufficiat.*
8 *Quare requiratur titulus in præscriptione.*
9 *Possessio ad præscriptionem necessaria est.*
10 *Possessionis interruptio.*
11 *Tempus etiam ad præscriptionem requiritur.*
12 *Præscriptionum plures species sunt.*

§.Diutina, §.quod autem, & §.error.

Quæ requirantur ad præscriptionem.

1 Primò requiritur bona fides text. est hic in principio tituli in cap.fin.extra de prescrip. & in cap. possessor de regulis iuris in sexto, nec non in l.qui fundum, §.qui bona fide. ff.pro emptore, neque enim vsucapiones introductę sunt, vt hominum malitijs indulgeatur, sed vt ex iusta causa succurratur ijs, qui ignoranter, & ex bona fide alienæ rei possessionem nacti sunt, & hęc bo
2 na fides de iure canonico, semper, & omni tempore, vsque ad implementum præscriptionis necessaria est, d.cap.fin. de præscript. & d.cap. possessor de regulis iuris in sexto, vbi, & canonistæ omnes notant: prodestq. huiusmodi bona fides etiam successori, tàm vniuersali, quàm particulari, non solum quod à persona sua præscriptio-
3 nem inchoare possit, sed etiam cum tẽporis coniunctione: ideo si defunctus, aut venditor, per quinque annos fundum aliquem, bona fide detinuerunt, successores si per alios quinque possideant, coniunguntur huiusmodi tẽpora auctoris, & successoris, & præscribitur fundus, §.diutinæ, hoc tit. Vniuersalis successor dicitur, q. titulo vniuersali succedit, vt hæres singularis, qui titulo singulari succedit in aliqua re, veluti ex donatione, legato, emptione, & simili: mala autẽ fides, si quidem successor sit vniuersalis nocet, d.§.diutina, & l.4. ff.eod.ea ratione, quia hæres, & defunctus vna, & eadem persona censentur, l.cum hæ-
4 res, ff.de diuers.& temporal.præscript. at si sit singularis non nocet quominus si ipse bona fide acceperit à persona sua inchoãdo præscribere possit, §.quod autem hoc tit.& l.an Titium. ff.de diuers.& temporal.prescript.

5 Secundò requiritur titu. in præscriptione, vt si-
militer constat ex principio tituli nostri, & pro-
bat l. nullo, C. de rei vindicat. idque locum habet
siue tit. sit onerosus, vt cum res ad aliquem per-
6 uenit cum onere, cuiusmodi est tit. pro emptore,
siue lucratiuus, vt cum peruenit ex mera libera-
litate, veluti ex donatione, legato, & alijs huius-
modi: item siue sit verus, siue putatiuus, dum-
7 modo putatiuus ex iusto, vel iustissimo errore
proueniat secus si ex iniusto errore causetur, §.
error hoc tit. ratio autem quare requiratur titu.
ea est, quia ille, qui sine titulo, & causa rem alte-
8 rius possidet, malæ fidei possessor psumitur: scire
enim tenetur, & debet, rem quæ sua non est, ad
alium pertinere, l. fin. C. vnde vi, sic Demosthenes
furi dicenti, nesciebam tuum esse, respondit, de-
bebas etiam scire tuum non esse.

9 Tertiò requiritur possessio, quæ cõtinnata esse
debet, §. diutina hoc tit. l. 3. ff. eod. adeoq. neces-
saria est huiusmodi continuatio, vt si momento
aliquo interrumpatur, erit de nouo inchoanda à
tempore interruptionis, l. 5. 6. & 15. ff. eod. inter-
10 tumpiturq. eo ipso, quòd quis in ius vocatur, l.
nec diutina, C. de longi tempor. præscript.

Quartò, & vltimò requiritur tempus, quę tem
11 pora varia sunt, pront etiam variæ, & multipli-
ces sũt præscriptionum species, plures enim tam
horarum, quàm dierum, mensium, & annorum
refert Hostiensis in sua summa extra de pręscrip.
12 magis tamen principales sunt quinque, scilicet,
longi temporis, longissimi, quadriennij, centum
annorum, & tanti temporis, cuius initij memo-
ria non extet incontrarium.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit longi temporis præscriptio.*
2 *Præsentes qui dicantur.*
3 *Quid sit præscriptio longissimi temporis, & quæ res ea præscribantur.*
4 *Annuæ pensiones, vt in futurum exigi non possint, nunquam præscribuntur.*

§. Primo.

Quid sit præscriptio longi temporis.

1 Est præscriptio, qua præscribuntur res mobi-
les per triennium, immobiles verò per de-
cem annos inter pręsentes, & viginti inter absen-
tes, §. primo, hoc tit. pręsentesq. hoc casu censen-
tur nõ solum illi, qui corporali præsentia adsunt,
2 sed etiam quorum domicilia sita sunt sub eodẽ
regimine, & eodem principe, l. fin. & ibi Doctor.
notant, C. de longi tempor. præscript.

Quid sit præscriptio longissimi temporis.

3 Est præscriptio triginta, vel quadraginta ann.
(hæc. n. longissimi temporis dr̃) qua pręscri-
buntur omnes actiones, tam reales, quàm perso-
nales, & mixtę, l. sicut, C. de pręscr. 30. vel 40. ann.
Quædam tamen sunt, quæ etiã minori spatio tol-
luntur, vt accusatio falsi, quę per 20. ann. l. quere-
la, C. ad l. Cornel. de fals. accusatio adulterij, quæ
per quinque, l. adulter. C. ad l. Iul. de adul. & actio
iniuriarum, quæ per annum, l. si non conuitij, C.
de iniur. Annuæ autem pensiones quicquid va-
rient Doctor. vt videre est apud Boer. decis. 336.
nec 30. annis, nec vnquam præscribuntur, ita vt
amplius in futurum exigi non possint, sed solum
omnes prɶteritæ post 30. annos sunt præscriptę:
4 post elapsum igitur tempus 30. annorum vniuſ-
cuiusq. anni propriam esse pręscriptionẽ, & quot
annos, tot pręscriptiones currere in camera im-
periali post multa determinatum fuisse refert My
sing. obseruat. cent. 3. cap. 13. hancq. esse commu-
nem affirmat Guido Papę decis. 406. 407. & 408.
vbi multa cognitu digna recenset, sic qui quotan-
nis sex pcipere debet, si per 30. vel plures annos,
quatuor, aut quinque acceperit, tali præscriptio-
ne non obstante, sex petere non prohibetur, cum
in annuis præstationibus præscriptio locum non
habeat, l. cum notissimi, C. de pręscript. 30. anno.
Crauet. de antiqnit. tempor. parte 4.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio quadriennij.*
2 *Centum annorum præscriptio.*
3 *Quid sit præscriptio tanti temporis cuius initij memoria non extat.*
4 *Seruitutes continuæ, & discontinuæ quomodo censeantur.*
5 *Quæ tempora ab vsucapionis cursu deducantur.*

§. Res fisci, & fin.

Quid sit præscriptio quadriennij.

Est præscriptio, qua præscribuntur à priuatis
personis bona vacantia fisci, contra ipsius
negligentiam, tàm mobilia, quàm immobilia,
1 facta tamen ei prius denunciatione, §. res fisci
hoc tit. & l. 1. C. de quadriennij præscript. vacan-
tia bona dicuntur cum aliquis sine hęrede mori-
tur, l. vacantia, C. de bonis vacant. lib. 10. dixi, va-
cantia, quia si fisco essent incorporata, nõ possent
præscribi nisi quadraginta annorum spatio, secun
dum glo. hic. Dixi etiam, facta ei denunciatione,
quia si nondum facta esset denunciatio ipsi fisco,
quòd talis sine hęrede mortuus sit, quo casu ip-
se efficitur hæres, non aliter quam in longo tem-
pore præscribi possent, l. quamuis, ff. eodem, è
conuerso eadem pręscriptione gaudet fiscus con-
tra priuatam personam, qua præscribit actionẽ,
quæ illi competere posset in rebus ab ipso alie-
natis, adeo quod vltra quadriennium conueniri
non potest, §. fin. hoc tit. & tot. titu. C. de qua-
driennij præscriptione.

Quid

Quid ſit præſcriptio centum annorum.

EST præſcriptio, qua præſcribuntur res Romanæ Eccleſiæ, cap. ad audientiam, & cap. cum
2 nobis de præſcriptionib., & quia hæc præſcriptio directè probari non poteſt, cum homo vltra centum annos viuere non præſumatur ſecundũ tex, in l.fin.C.de Sacroſ.Eccleſ. ideo ſufficit præſumptiua probatio per famam, quæ in factis antiquis probat ſecundum Felin. in cap. veniens de teſtibus, vel etiam probatio per inſtrumenta ſucceſſiue facta ſuper poſſeſſione, & redditibus, l.Pomponius, ff. quibus modis vſusfruct.amittat.

Quid ſit præſcriptio cuius initũ memoria non extat.

EST præſcriptio qua præſcribuntur iura, & ſeruitutes habentes cauſam diſcontinuam glo.
3 & Doct.in l.ſeruitutes. ff.de ſeruit.dixi, diſcontinuam, quia ſeruitutes, quæ cauſam cõtinuam habent longo tempore pręſcribuntur, l.fi.& ibi glo. C.de longi tempor. præſcript. quomodo autem cognoſcatur, ſeruitutem, continuam, vel diſcontinuam cauſam habore, tradit Bartol.in l.2.C.de ſeruit. dicens, quòd quando ad vſum ſeruitutis requiritur factum hominis, dicitur diſcontinua, quia homo non poteſt continuo operari, vt ire, paſcere pecora, & ſimilia: quando verò non requiritur factum hominis, dicitur continua, vt in ſtillicidio, quod quamuis non ſemper auertatur, tamen quia aptum eſt continuo exerceri abſque facto hominis, ſeruitus continua dicitur. Itẽ pręſcribuntur vectigalia, iuriſdictio, ius collectãdi, & alia regalia, c.1.de pręſcript.in 6.in hacq. pręſcriptione pręſumitur ſemper titulus, & bona fides, quamuis non allegetur ſecundum tex.in d.c.1.

Quæ tempora ab vſucapionis curſu deducantur.

TEmpora quædam ſunt, quę ab vſucapionis curſu deducuntur, & in quibus non currit, quieſcitq. pręſcriptio, & hæc ſunt. Primò in rebus minorum tempus minoris ętatis, eo.n.ceſſat pręſcriptio cũ experiri nõ poſſint, ideo cępta vſucapio cõtra aliquem cui ſucceſſit minor, ſuſpẽditur
5 donec impleuerit minorẽ ætatem, l.fin. C.in qb. cauſis ceſſat longi tempor.pręſcriptio.l.fin.C.in quib.cauſ.reſtit.in integr.non eſt neceſſ.l.cum notiſſimi, & l.ſicut.C.de præſcript.30. vel 40.ann. Secũdo in bonis eccleſię quieſcit pręſcriptio ſede vacante, cũ eo tẽpore eccleſia non habeat legitimum defenſorem, cap.1.& cap.auditis de pręſcr. cap.1.ne ſede vacãte, ſimiliter, & ſchiſmatis tempus ſubducitur à tempore vſucapionis rei eccleſiæ, cap.cum à nobis, de præſcr. & in omnib. alijs tempus hoſtilitatis cap.ex tranſmiſſa, eod.tit. de præſcript.cætera vide apud Speculat.in tit.de appellat.§.nunc breuiter, & apud Rip.de peſte.

SVMMARIVM.

1 *Decimæ à laicis nullo tempore præſcribi poſſunt.*
2 *Nec via publica præſcribi poteſt.*
3 *Furtiuæ res præſcribi non poſſunt.*
4 *Publicarum functionum quatuor ſpecies ſunt. Canon, oblatio, indictio, & patrimonium Principis, quæ omnes præſcribi non poſſunt.*

§.Sed aliquando.§.Furtiuæ, & §.Nouiſſime.

Quæ res præſcribi non poſſint.

1 PRimò decimæ à laicis nullo tẽpore pręſcribi poſſunt cap. cauſam de præſcript. Secundò res ſacræ, religioſæ, & ſanctæ, §.ſed aliquãdo, hoc tit. Tertiò liberi homines, d.§.ſed aliquãdo. Quartò, ſerui fugitiui, d.§. ſed aliquando, & l.1. C.de ſeruis fugitiu.l.vlt. C.de longi tempor præſcript.
2 Quintò, nec via publica, l.9.ff.eod. Sextò limites Parochiatum, & Diœceſum præſcribi nõ poſſunt cap.ſuper eo de parochijs, & alienan.parochian.
3 Septimò res furtiuę, §.furtiuę, & §.nouiſſimè, hoc tit. Octauò, & vltimo functiones quoque publicę præſcribi non poſſunt, l.competit, C.de pręſcrip. 30.vel 40.ann. Harum publicarum functionum quatuor ſunt ſpecies. Canon, oblatio, ſuperindi-
4 ctio, & patrimonium principis. Canon dicitur regularis præſtatio, quæ ſingulis annis æqualiter datur à poſſeſſorib. rerum, de qua in l.placet.C. de ſacroſ.eccle.in l.fundos.C.de fund.patrimon. lib.10.& in l.1.C.de immunit.nemini cõcedend. eſtq. duplex realis, & perſonalis. Realis propriè tributum dicitur, quod ſoluitur nomine cenſus poſſeſſionũ, & hæc fuit prima impoſitio functionum iuxta cuiuſq.cenſum, & quantitatem. Perſonalis erat illud, quod dicebatur capitatio, quãdo ſcilicet, ſingulis annis ſinguli per capita ſoluebãt certũ quid principi, quæ poſtea fuit ſublata inter ciues, vt habemus in l.1.C.de capitatione ciuium cenſibus eximenda, lib.11. remanſitq. ſolũ inter ruſticanos, qui præter eam ad nullũ aliud onus, aut obſequium tenebantur, l.1.C.ne ruſticani ad vllum obſequium deuocẽtur eod.lib.11. Oblatio ſecunda ſpecies functionis publicæ erat, quæ hodie extraordinaria auxilia appellantur, quãdo.ſ. ſponte ſubditi in auxilium Reipub. offerebant pecuniam principi, l.omnes. C.de Annonis, & tributis lib.10. & hæc ab initio voluntaria erat, ſed princeps poſtea voluntatem in neceſſitatem cõuertit, & factum fuit onus ordinarium, l.1. C.de oblat.vot.lib.12. Tertia ſpecies indictionum eſt genus tributorum nõ ex oblatione ſubditorũ, ſed ex imperio principis proueniens, ſic dictum indictio, & quia indicebatur ſingulis prouincijs, vt ſe præparent ad ſolutionem, l.2.C.de indictio. lib.10.& propter hanc admonitionem vnaqueq. indictio quindecim annos habebat, & ſingulis quinq; annis, quo tempore luſtrabatur ciuitas à

Censoribus, indicta soluebantur. Primo lustro ferrum ad arma militum. Secundo argentum ad ad stipendia militum. Tertio, & sic decimoquinto anno aurum, quod deferebatur in thesaurum principis, & dicebatur aurum lustrale, l. 1. C. de argenti pretio, quod thesauris infertur. Quarta, & vltima species est patrimonium Principis, qđ est separatum à patrimonio Reipub. l. bene a Zenone. C. de quadriennij præscript.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Donatio quid sit, & vnde dicta.*
3 *Quot sint genera donationum.*

DE DONATIONIBVS, Titulus VII.

In principium Tituli.

DIctum fuit dominia rerũ de iure ciuili particulariter acquiri vsucapione, donatione, & alijs huiusmodi, explicato igitur primo vsuca-
1 pionis modo, rectè sequitur nũc de donatione, & cõcordat tit. ff. de donat. & ff. de donat. caus. mor. Item C. de donat. & C. de donat. caus. mort.

Quid sit donatio.

DOnatio est rei licitæ collatio, nullo iure cogente, sed ex mera liberalitate facta, l. 1. &
2 l. donari. ff. eod. dictaq; est donatio quasi doni datio, l. Senatus. ff. de donat. caus. mort.

Quot sint donationum genera.

3 DVo sunt donationum genera secundum Imperatorem hic in principio tituli nostri, alia causa mortis, & alia inter viuos.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit mortis causa donatio.*
2 *Qualiter fieri soleat donatio causa mortis.*
3 *Quæ requirantur ad hoc, vt valeat donatio causa mortis.*
4 *Qualiter extinguatur donatio causa mortis.*

§. primo, & §. hæ mortis.

Quid sit mortis causa donatio.

MOrtis causa donatio est illa, quę fit propter suspitionem mortis, vnde, & legatorum
1 instar se habet, & est quando magis, quis se habere vult, quàm eum, cui donat, magisq. postea eum, cui donat, quàm hæredem suum, §. 1. & §. hæ mortis, hoc tit. l. 1. ff. eod. sic, & apud Homerum Odyss. 17. Telemachus donat Piræo.

Piræe, incertus quoniam rerum exitus hai ũ est.
Si tacita incautum stolidi me forte necare
Morte, proci poterunt, & opes vexare paternas,
Hæc ego te malo quàm illorum quempiã habere:
Sin ego eos iusta meritos affecero clade,
Tu mihi tunc læto reddes illa omnia lætus.

Qualiter fieri soleat donatio causa mortis.

DVpliciter mortis causa donatio fieri solet, nam aut fit à sano homine, nullo imminẽte periculo mortis, sed solum ob cogitationem
2 mortalitatis, & hæc habet effectum suum cum mors subsequitur, aut fit à sano homine propter metum imminentis periculi, & propinquæ mortis, & tunc dupliciter fieri potest, vel ex intentione, vt statim fit accipientis, sed si mors nõ sequitur, vt restituatur, §. 1. hoc tit. & l. 1. §. dat aliquis. ff. eod. vel vt statim non fiat, sed solum si mors secuta fuerit, l. 2. & 35. §. mortis causa. ff. eod.

Quæ requirantur ad hoc, vt valeat donatio causa mortis.

3 AD hoc, vt valeat donatio causa mortis, plura requirũtur, & primò requiritur expressa mentio mortis, vel imminentis periculi, §. 1. hoc tit. l. 1. ff. eod. & vtrobiq. glosa. Secundo requiritur præsentia tam donantis, quàm etiam donata-
4 rij, l. inter mortis. ff. eod. Tertiò quinque testes, l. fin. C. eod. Quartò, quòd facta sit personæ, quæ à iure non prohibeatur hæres institui, aut legata accipere, l. omnibus. ff. eod. & quæ sint istæ personæ, tradit glo. in §. legari, infra de legat. Quintò, & vltimo requiritur, quod facta sit à persona, quę testamenti factionem habeat, l. 1. ff. de tutel. & ration. distrahen. solus filiusfamilias quamuis permittente patre testamentum facere non possit, eo tamen consentiente mortis causa donare potest, l. tam is, & ibi glo. ff. eod.

Qualiter extinguatur donatio causa mortis.

PRimò extinguitur cessante causa, propter q̃ facta est, puta infirmitate, vel alio periculo, si facta fit imminente periculo, d. §. 1. hoc tit. Secundò, per penitentiã donantis, quocunq; modo donatio facta sit, vel imminente periculo, vel nõ, nam semper, & quandocunq; hæc donatio reuocari potest, d. §. 1. & l. qui mortis. ff. eod. Tertiò, p mortem donatarij ante mortem donantis, d. §. 1.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit donatio inter viuos.*
2 *Quæ differentia sit inter donationem inter viuos, & causa mortis.*
3 *Quæ requirantur in donatione inter viuos, ad hoc, vt valeat.*
4 *Quando donatio inter viuos reuocari possit.*

§. Aliæ,

§. Aliæ, & §. Perficiuntur.

Quid sit donatio inter viuos.

1 EST illa, quæ nulla interueniente suspicione mortis facta est, sed ex mera liberalitate alterius volentis rem suam alteri donare, etiam se viuente, §. Aliæ, hoc tit.

Quæ differentia sit inter donationem inter viuos, & causa mortis.

DIfferunt, quia donatio causa mortis reuocatur ex pœnitentia, vt diximus. Donatio inter viuos non reuocatur, nisi ex certis causis,
2 de quibus infra videbimus. Item differunt, quia in donatione causa mortis requiruntur quinque testes, nisi sit inter liberos, quo casu duo tantum testes adhiberi possunt, l. fin. C. de don. cau. mor. at in donatione inter viuos regulariter requirunt duo testes, Doct. in d. l. fin. Mozzius in suo tract. in ver. donat. in prin. nu. 18. & Syluest. in sua sum. verbo donatio 4. num. 2. in fi. Ad cognoscendum autē, an donatio sit causa mortis, vel inter viuos, ad coniecturas recurrendum est, de quibus per Dec. consi. 293. & Crau. cons. 52. num. 4. in dubio tamen semper si est facta mentio mortis, præsumitur donatio causa mortis, & si non est facta mentio mortis, donatio inter viuos, vt per Rimi-nal. hic num. 319.

Quæ requirantur in donatione inter viuos, ad hoc, vt valeat.

PRimò requiritur, quòd donator voluntatem suam manifestet, nec refert, an in scriptis, vel sine scriptis hoc faciat, dummodo donatio 500. aureos non excedat, quia si excedit, requiritur insinuatio, §. perficiuntur, hoc tit. & l. 35. C. eod. Insinuatio est actus iudiciarius, in quo donationis in scripturam redactæ, apud iudicem fit publicatio, & inter acta publica, auctoritate iudicis, redigitur ad fraudes vitādas, & facilius veritatem probandā, Bart. & Doct. in l. Modestinus. ff. eod.
3 Tertiò requiritur, vt fiat inter viuos nulla mentione facta mortis, d. §. aliæ.

Quartò, quòd sit libera, perfecta, & sine omni repetitione, l. hoc iure. §. si quis. ff. eod.

Quintò, & vltimo, vt ille, qui donat aliquid sibi reseruet, de quo testari possit, nam donatio omnium bonorum, præsentium, & futurorum non valet secundum Doct. communiter in l. stipulatio hoc modo concepta, ff. de verb. obligat.

Quando donatio inter viuos reuocari possit.

4 EXtat de hac re tit. C. de reuoc. dona. dicamus igitur, quòd licet regulariter donatio inter viuos reuocari non possit secundum tex. in l. donatio. §. 1. C. eod. & in l. si donat. C. de reuoc. don. tamen quandoq; etiam reuocatur, & primò propter ingratitudinem donatarij, §. sciendum, hoc tit. & l. fin. C. de reuocan. donat. quod quidem optima ratione sancitum est, ne liceat alicui bona capere, & postea irridere donatorē, & ei male agere, secundo per superuenientiam filiorum, & quidem ipso iure ex præsumpta donantis voluntate, l. si vnq., vbi Bar. & Doct. C. de reuoc. don.

SVMMARIVM.

1 *Donatio propter nuptias quid sit.*
2 *Modus acquisitionis per ius adcrescendi inter seruos communes sublatus fuit.*

§. Est, & aliud cum duobus §§. seqq.

EST, & aliud genus donationis inter seruos, de quo Imper. in §. est, & aliud mentionem facit; quod olim ante nuptias dicebatur, nunc verò post nuptias.

Quid sit donatio propter nuptias.

1 EST remuneratio quædam facta vxori à marito propter ipsius dotem, vt soluto matrimonio melius sit ei prospectum, Auth. permissa, & ibi Doct. C. de donat. ante nupt. & hæc de donatione breuiter, quantum exordia legum desiderent, & iuuenilis animus capere potest, dicta sufficiant. Fuit olim, & alius modus acquirendi rerum dominia singulariter de iure ciuili, per ius
2 adcrescendi inter seruos communes, qui modus sublatus fuit ex constitutione ipsius Iustiniani, q̄ extat in l. vnica, C. de commun. seruo, vt ipsemet recenset in §. erat olim, & in §. fin. hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quidam sunt, qui quamuis domini sint alienare non possunt, & alij, qui licet domini non sint alienare possunt.*

QVIBVS ALIENARE LICET, VEL NON. Titulus VIII.

In principium Tituli.

1 HActenus qualiter dominia rerum, tàm de iure gentium, quàm etiam ciuili singulari modo acquirantur, verum quia legali ratione inductum est, vt qui dominus rei est, eam aliquan-
2 do alienare non possit, & è contra, qui dominus rei non est, eius rei alienādæ facultatem habeat, ideo visum est Iustiniano vtrumque, vt accidat, in præsentiarum explicare, cum eam ob rem, q̄ hactenus rerum dominia, quomodo iure gentiū, vel ciuili acquirantur, tractarit, iam nunc quomodo

modo transferri debeant, subiungendum sit, tum quia donationis mentionem habuit, quæ respectu eius, qui donat, alienatio est, quam leges etiã his, qui domini sunt quandoque non permittit.

SVMMARIVM.

1 *Maritus dotalem fundum alienare minime potest.*
2 *Pupillus sine tutoris auctoritate alienare non potest.*
3 *Nec adultus sine curatore, nec ille, cui bonorum administratio interdicta est.*
4 *Filius bona, in quibus pater vsufructum habet alienare non potest.*

§. Primo. §. nunc admonendi. §. at ex contrario, & §. fin.

Qui alienare non possint, quamuis domini sint.

1 PRimò maritus licet rei dotalis dominus sit, tamen fundum dotalem, nec alienare, nec obligare potest, §. 1. hoc tit. l. vnica. §. & cum lex. C. de rei vxor. action. secundo pupillus sine tuto-
2 ris auctoritate alienare nõ potest, §. nunc admonendi hoc tit. imò si debitor soluat pupillo sine tutoris auctoritate non liberatur, nisi res, vel summa apud ipsum pupillum extet, vel in eius vtilitatem conuersa sit, §. at ex cõtrario, & fin. hoc tit.
3 tertio adultus, qui est sub curatore, l. si curatorẽ, C. de restit. in integr. quarto Prodigus, cui bonorũ administratio interdicta est, l. is, cui. ff. de verb. oblig. quinto filius bona, in quib. pater vsumfru-
4 ctũ habet, l. fi. §. filijs autẽ. C. de bonis quæ liber.

SVMMARIVM.

1 *Qui alienare possint, quamuis domini non sint.*
2 *Pignoris distractio qualiter fieri debeat.*

§. Contra autem.

Qui alienare possint, quamuis domini non sint.

QVamuis regula sit, neminem plus iuris in alium transferre posse, quam ipse habet secundum tex. in l. nemo. ff. de regul. iur. attamen quandoque euenit, vt ille, qui dominus non est, res alienas alienare possit, veluti creditor, qui pi-
1 gnus quamuis suum non sit distrahere potest, §. contra autem hoc tit. & l. 46. ff. de acquir. rer. domin. hac tamen forma venditio fieri debet, videlicet, vt si actum sit de venditione illius, venditio iuxta conuentionem fieri debeat, quòd si venditionis nulla facta sit mentio, tunc præcedẽte vna denunciatione, & elapso biennio pignus vendi potest: at si forte inter partes expressè conuen-
2 tum sit, ne pignoris distractio fiat, tunc facta trina denunciatione cum lapsu biennij, pignus non obstante pacto, vendi potest, l. fin. §. fin autem. C. de iure dominij impetrand. & l. si conuenerit, ff. de pignorat. action.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Per nosmetipsos nobis acquiritur.*
3 *Per filios, & nepotes nostros, quæ nobis acquiruntur.*
4 *Peculiorum distinctio.*
5 *Per seruos non solum proprietas, sed etiam possessio nobis acquiritur.*
6 *Per procuratores nostros quoque nobis acquiritur.*

PER QVAS PERSONAS CVIQ. ACQVIRITVR
Titulus IX.

1 CVm hucusque de dominiorum acquisitione tractatum sit, & nobis non solum per nosmetipsos, sed per alias quoque personas acquiratur. Ideo meritò prosequẽdo ampliationẽ materiæ de his personis, per quas nobis acquiritur in hoc titulo agitur. & quia non solum dominiũ, sed etiam possessio, & obligatio nobis acquiri potest: de dominio principaliter traditur: de possessione quædam incidenter intermiscentur: de qua tñ plenius in Pãdectis, & C. sub tit. de acquir. possess. differitur: de obligatione verò nihil, sed eius materia cõmodiori loco reseruatur. s. ad tit. per quas personas obligat. nobis acquiritur.

Per quas personas nobis acquiritur.

2 PRimò, per nosmetipsos legitimis titulis, & modis supra enumeratis, §. 1. hoc tit. Secundo, per filios nostros, nepotes, & pronepotes in potestate nostra existentes, d. §. 1. & l. acquiritur. ff. de acquir. rer. domin. & quidem in totum olim vndecunq. res perueniẽbãt, hodie verò solum peculia profectitia in totũ, aduentitia quo
3 ad vsumfructum. Castre sia, vel quasi in nihilo, §. igitur, & §. quod nobis, hoc tit. & l. cum oportet. C. de bonis quæ liber. Profectitium peculium dicitur illud, quod a patre, vel ex substantia, aut rebus paternis proficiscitur. Aduentitium, quod filius acquirit ex successione matris, aut etiam extranei, vel quod liberalitate Dei, aut suis laboribus adeptus est. Castrense quod filius acquirit in castris. Quasi castrense, quod filius acquirit
4 occasione militiæ inermis, siue literariæ, glo. in d. l. cum oportet. Dixi per filios in potestate, quia per emancipatos nobis non acquiritur. Imò licet olim pater emancipando filium, tertiam partem dominij bonorum ipsius filij in recompensationem sibi retineret, hodie tamẽ solum dimidiam partem, non dominij, sed vsusfructus bonorum aduentitiorum sibi retinere potest, §. hoc quoq; hoc titu. & d. l. cum oportet. §. cum autem. C. de bonis quæ liber.

Tertiò, acquiritur nobis etiam per seruos nostros,

stros, §. item vobis, hoc titu. & l. acquiritur. ff. de
5 acquir. rerum domin. nec solum proprietas per eos nobis acquiritur, sed etiam possessio, §. non solum el primo, hoc tit.

Quartò, per seruos quoque in quibus vsumfructum habemus in duobus casib. nobis acquiritur, veluti quod ex re nostra, aut ex operis suis acquirunt, extra quos postea non nobis, sed domino proprietatis acquirunt, §. de ijs autem, & §. itaque, hoc tit.

Quintò, in prędictis duobus casib. nobis acquiritur etiam per eum, quem bona fide possidemus, §. sed bonæ fidei, hoc tit. nec solum proprietas nobis acquiritur, sed etiam possessio, §. non solum el secundo, hoc tit.

Sextò, & vltimo etiam per liberos homines,
6 nec iuri nostro subiectos, vt per Procuratores, §. ex his, hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit testamentum.*
3 *Verbum iusta in definitione testamenti positum, quomodo accipiatur.*
4 *Sententia testamentū, iure adsimilari ostenditur.*
5 *Declarantur verba illa, de eo quod quis post mortem suam fieri vult.*
6 *Ad hoc, vt testamentum valeat, necesse est, vt de voluntate constet.*
7 *Quo iure introducta sit testamenti factio.*
8 *Testamentum vnde dictum sit.*

DE TESTAMENTIS ORDINANDIS, Titulus X.

In principium Tituli.

HActenus, quibus modis iuregentium, item iure ciuili singulariter, nunc quibus modis titulo vniuersali, rerum dominia acquirantur, inter quos cum primus modus sit per hęreditatem
1 eaque, vel ex testamento, vel ab intestato defferatur, & primus succedendi locus sit ex testamento, l. quandiu. ff. de acquir. hæred. Ideo primo etiam de ijs, quę ex testamento nobis obueniūt, videndum est, qua in re necessarium quoque est initium de testamentis ordinandis exponere, vt Imperat. voluit in §. fin. sup. tit. proximo. & concordat tit. ff. de testa. & C. qui testam. facere poss.

Quid sit testamentum.

TEstamentum est voluntatis nostrę iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam
2 fieri vult, l. 1. ff. eod. & hæc est verissima definitio, quamuis nonnulli Doctor. aliqua illi addant, quę nullius sunt effectus, vt tradit Illust. Card. Mantic. de legali philosophia optimè meritus in suo eleganti tract. de coniect. vlt. volun. in princ. Sententia significat omnem cuiuscunque rei deliberatę voluntatem, verbum postea, iusta, habet emphasim, videlicet quid debeat esse legitima, & solem-
3 nis, vnde sicut iniustum dicitur, quod non iure factum est, idest, non adhibitis solemnitatibus, ita à contrario, iustum dicitur quod factum est, adhibitis solemnitatibus, & sic codicillis non cōpetit, in quibus nulla est solemnitatis ordinatio, vt tradit Mysing. hic, & habemus in §. fin. inf. de codicillis. Item iusta sententia testamentum dicitur, quia est vera, & omnibus modis absoluta animi destinatio, cum nihil possit esse in hac vita iucundius, quàm vt voluntas regnet in bonis à testatore relictis, etiam extincto corpore, si quidem moriens testamento sententiam suam ita fortiter exprimit, vt post mortem perpetua sit, nam licet sint alij modi, quibus vltimę volūtates enunciantur: hic tamen, qui testamento fit, potissimus est, & ob id iustę sententię nomē meretur eodem modo apud Liuium accipitur iustum pręlium, iustus dux, iusta classis, iusta pugna, iustę stationes, & apud Ouid. iustum pondus 2. Metamorph. ibi.

Vtque labant curuæ, iusto sine pondere naues.

Iusta igitur sententia, in definitione testamenti intelligitur plena, legitima, solemnis, & ex omni parte absoluta, cuique maior diligentia addi nō potest, vt sic, & hęredis institutionem comprehēdat, & codicillis non competat Couar. in rubric. de testam. in princ. Michael Crass. §. testamētum, quęst. 1. & meritò quidem testamentum, sententię adsimilatur, nam sicut sententia debet esse secundum iuris dispositionem, alias si contra ius expressum proferatur est ipso iure nulla, l. 4. §.
4 condemnatum de re iudic. l. 1. C. quando prouocar. non est necesse, l. 1. C. si à nō competenti iudice cap. 1. & cap. quo ad consultationem, de sentent. & re iudic. ita, & testamentum debet secundum ea, quę à iure disposita sunt constitui, alias si contra à iure disposita constituatur, effectum non habet, l. nemo potest, ff. de legat. 1. l. quidam in suo, ff. de condit. Institut. l. 1. & 2. ff. de iniusto rupto, item sicut iudex libere, & absque aliqua coactione debet sententiam proferre alias sentētia est ipso iure nulla, vt voluit gl. in cap. quatuor, & in cap. iniustum 2. q. 3. Bald. in l. necessitate, C. de bonis quę liber. eadem ratione testamentum metu factum, vel aliqua coactione interueniēte, cum non contineat liberam testandi facultatem, non valet, l. 1. & ibi Doct. notant. ff. si quis aliquē testari prohibuerit, l. 1. & ibi Doctor. C. de sacros. eccles. Menchaca de successionum creatione, §. 17. nu. 4. cum sequentibus, additur in definitione, de eo quod quis post mortem suam fieri vult, ex quibus verbis videtur constitui, quòd dispositio testatoris, & eius vltimę voluntatis accipiat vires à die mortis ipsius, vt constat ex cap. cum morte de celebrat. missar. & ex l. 1. & 2. de legat. 3. & sic videtur, quòd conferatur effectus dispositionis testatoris in tempus, quo iam nō est futurus dominus,

minus, & sic in tempus inhabile, vnde videtur dicendum talem dispositionem mero iure minime valere argumento text. in l. Stichus seruus meus de manumiss. testam. versic. quia in id tempus l. cum, qui in fine, de iurisdictionomni iudic. l. Titio cum morietur de vsufruct. & l. quod sponsę, C. de donat. ante nupt. dicamus, quòd licet verum sit, quòd per testamẽtum vltima voluntas, post mortem, quæ omnia adimit, conferatur, tamen per legem prouisum est inducendo hęreditatem, quę imaginaria est persona, in qua cõtinuatur magis,
5 quàm finitur ius defuncti, & sic per repræsentationem hæredis est succursum, vt cõtinuetur dominium in ipsum hæredem, sic resoluit. Sarmien. de redditibus ecclesiasticis par. 4. cap. 4. nu. 8. & sic non est verum dicere, quòd dispositio conferatur in tempus, quo non est futurus dominus, ex quo hæres obligatus est in vita ipsius testatoris adimplere disposita per eum sequuta morte defuncti, Bald. in rubr. C. res inter alios acta. Postquàm enim quis hæres factus est omnia iura defuncti transeunt in eum, præter possessionem, dominiumq. acquirit in vita, & continuatur in ipsum, licet eius executio differatur ad testatoris mortem, Didacus Spino à caceres in suo, vninetsæ iurisprudentiæ thesauro in principio rubricæ par. 2. num. 17. & 18. sic licet aliàs hæreditate iacente non possit inchoari præscriptio, cum verè hæres nondum possideat, l. vlt. in fi. ff. de vsucap. tamen datur quædam ficta possessio in hærede, per quam continuatur præscriptio cępta per defunctum, l. cęptam, l. iusto, §. nondũ. ff. de vsucap. Coras. lib. 6. Miscell. cap. 12. Couar. in regula, possessor par. 2. §. 1. nu. 5. de reg. iur. in 6. ex illis postea verbis in fine definitionis positus, fieri vult, constat, quòd ad hoc, vt testamentum effectũ habeat, necesse est, vt de voluntate testatoris, per verba exteriora appareat, ideo quãdo dispositio testatoris per verba clara, & aperta fit, & absque
6 aliqua ambiguitate, non est ab eius verbis recedendum, nec coniecturæ admittuntur, l. ille, aut ille, §. cum verbis de legat. 3. cum in verbis, inquit Paulus, nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio, l. volumus, C. de testam. voluntates, inquit Imperator, hominum audire volumus, non iubere, hinc fit, quòd si nõ reperiatur aliquid aliud ex mente contraria, vel signo perceptibili ab eo, quod testatur disposuit, non est ab eius verbis recedendum, probat hoc tex. in l. non aliter, ff. de legat. 3. inquit tex. non aliter à significatione verborum recedi oportet, quàm cũ manifestum est, aliud sensisse testatorem, quia ea præsumitur mens loquentis, quæ eius verba prę se ferunt argumento, l. Labeo. §. idem Tubero de supellect. legat.

Quo iure introducta sit testamenti factio.

QVamuis solemnitatibus in testamento requisitæ, à iure ciuili, & prætorio inuentæ sint, inuentione tamen testamentum iuris gentium esse Doct. magis communiter tenent, quicquid dicat Gulielmus de benedict. in repetit. cap. raynutius de testam. in prima parte, ita tenet Bartol. in l. interdum. ff. de condit. indebita, Ias. in l. admonendi, ff. de iureiur. Corneus in l. si testam. C. de testam. Fortun. Garzia in l. Gallus in glo. de liber. & posthum. Pinel. in rubr. de rescind. vendit. 1. par. cap. 1. nu. 23. Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 6. nu. 7. Anton. Gomez. Burgos de Paz. & Tellus Fernand. in l. 3. Tauri in princ. Costanus lib. sing. quæst. cap. 6. Vaconius a Vacuna lib. 4. declarat. cap. 126. Clar. in §. testam. q. 2. Menchaca de successionum creatione, §. 1. nu. 1. & Didacus Spino à caceres d. rubr. par. 2. nu. 22. & quidem natura impellimur, vt non solum nobis, quæ ad viuendum sunt necessaria, paremus, sed etiam liberis, ac de nobis bene merentibus, cõsulamus, ex qua postea animorum affectione, extremæ profluunt testantium dispositiones (vt Cic. lib. 3. de finibus docet) hac ratione excitatus Solon primus apud Athenienses legem de testamẽtis tulit, omnibusq. de rebus proprijs liberam disponendi facultatẽ
7 concessit, vt Plutarchus auctor est. Sanè testamẽtorum, successionumq. exempla in sacris biblijs abundè suppetunt: nam Genes. cap. 27. Isaac filiũ suum hæredem instituit, & Leuit. 25. Moses dixit: Hos habebitis famulos, & hęreditario iure ad posteros transmittetis, eodemq. pertinet cap. 27. Num. & Deuter. 2. sed, & Laertius Aristotelis testamentum memorat, in quo puellę, si prius moreretur, quã nuptui collocata esset, vel deinceps sine liberis, Nicanorem substituit, ergo quã primum homines ex agresti immaniq. vita, exculti ad humanitatem, & commercia habere, & testamentorum vsum simul obseruare cęperunt. Nec dissidet, quòd deportatis, qui ea, quæ iurisgentiũ sunt, detinent, secundum tex. in l. quidam. ff. de pœnis, factio testamenti denegetur, l. eius. ff. de testamen. ideo enim testamentum iuris ciuilis dicendum non est, nam quoties actibus iurisgentium aliquid ius ciuile addit, eorum causam, & originem minime mutat, sed tantum facit, vt ob formæ, vel solemnium adiectionem, iure ciuili censeantur, l. ius ciuile. ff. de iust. & iur.

Vnde dictum sit testamentum.

TEstamentum ex eo dictum est, quod testatio mentis sit, secundum Imperatorem hic,
8 in principio tituli, ex quo colligunt Doctor. argumentum ab ethimologia vocabuli in iure validũ esse, intellige negatiuè, non affirmatiuè, nõ enim valet est testatio mẽtis, ergo est testamentũ, nam potest esse codicillus, sic fit de meo tuũ, ergo est mutuũ, similiter nõ valet, qa potest esse donatio; & ita de similibus, sed negatiuè, non est testatio mẽtis, ergo nõ est testamentũ; nõ fit de meo tuũ, ergo nõ est mutuum, valet, vide Euerardũ in suis locis topicis in loco ab Ethimologia vocabuli.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Tria olim fuerunt testamentorum genera.*
2 *Testamentum calatis comitijs.*
3 *Testamentum procinctum quod nam esset.*
4 *Testamentum per æs, & libram.*
5 *Hodie duæ sunt testamentorum species.*

§. Primo.

Quot olim essent testamentorum genera.

1 TRia olim testamentorũ genera in vsu fuisse, refert Imperator hic in §. primo. Vnũ quo in pace, & ocio vtebantur, & calatis dicebatur, fiebatque bis in anno Præcone totam ciuitatem lustrante, tuncque qui volebant in concione po-
2 puli, & eo audiente extremam suam voluntatem declarabant: quiritesq. obtestabantur, vt eam ra-
3 tam seruarent. Alterum quo tempore belli vtebãtur, & Procinctum dicebatur, eo quod ad bellum procincti, nulla legum solemnitate, hęredem suum aliquot viris præsentibus nuncupabant, antequam enim togam cingerent, aut clypeos arriperent id facere solebant, vt si quid in acie sibi
4 secus eueniret, rebus suis consulerent. Tertium, & vltimum dicebatur per æs, & libram, seu per imaginariam quandam venditionem, adhibitis quinque testibus, & eo qui autum appendebat, nec non emptore familiæ futurusq. hæres æs tenens verba quædam solemnia enunciabat, & patrimonium testatoris emere fingebat, testatorq. eum post mortem suam, in re hæreditatem adire
5 posse declarabat: quo genere testamenti Romani multo tempore vsi fuerunt: sed tandem, & hoc simul cum alijs in desuetudinem abijt, aliæq. formæ faciendorum testamentorum introductæ fuerunt, de quibus infra videbimus.

Hodiè quot sint testamentorum genera.

HOdiè duo sunt testamentorum genera, Vnum Paganicum: alterum militare, de Paganico habemus in hoc tit. de militari habemus in titulo sequenti.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum Paganicum duplex est.*
2 *Quid sit solemne testamentum.*
3 *Non est necesse scire testes quid in testamento contineatur.*

§. Sed cum paulatim.

Quotuplex sit testamentum Paganicum.

PAganicum testamentum, de quo in hoc tit. acturi sumus, duplex est, solemne, quod in scriptis, & nuncupatiuum, quod sine scriptis consistit, §. sed cum paulatim, & §. fin. hoc tit.

Quid sit testamentum solemne.

1 TEstamentum solemne dicitur quãdo testator suam vltimam voluntatem in scriptura exprimit adhibitis septem testibus, qui scripturæ subscribunt, & sigilla apponunt, d. §. sed cũ paulatim, & l. iubemus, C. eod. nec est necesse testes
2 scire quid in ipso testamento contineatur, sed sigilla apponere, & subscribere possunt absque eo, quod sciant quid in ipso contineatur, l. hac con-
3 sultissima, C. eod. & hoc ne detur, si fortè timeatur, occasio captandæ mortis, cum improbi, & scelerati homines vitæ eorum facile insidiari soleant, quorum facultates, eorum morte, sibi obuenturas sperant, vt exemplo Oppianici, & cuiusdam Milesiæ luculenter Marcus Cicero ostendit in orat. pro Cluentio, cuius rei quoque plura exempla recenset Costanus quæst. iuris lib. 2. c. 7.

SVMMARIVM.

1 *In solemni testamento testator in scriptura voluntatem suam exprimere debet ab ipso scripta, vel subscripta.*
2 *Hæredis institutio verbis expressis fieri debet.*
3 *Requiruntur septem testes, & specialiter rogati.*
4 *Testes subscribere, & sigilla apponere debent, nec refert an anulo proprio, vel alieno consignent.*
5 *Omnia vno contextu in testamento fieri debeant.*
6 *Testamentum scrib. potest in quacunque charta apta ad scribendum.*

§. Sed his omnibus, & §. possint, §. nihil autem, & §. sed, & vnum.

Quæ requirantur ad solemne testamentum constituendum.

MVlta necessaria sunt in solemni testamento ad hoc, vt valeat, & primo necesse est, vt testator in scriptura exprimat voluntatem suam, quæ ab ipso scripta, aut saltem subscripta sit, & si
1 fortè testator scribere nesciat, alius eius nomine subscribere debet, qui non sit ex septem testibus regulariter requisitis, sed alius vltra eos, & sic octauus erit testis, §. sed his omnibus hoc tit. l. cum antiquitas, & l. hac consultissima, C. eod.
2 Secundo requiritur hæredis institutio expressis verbis facta, d. §. sed his, & l. iubemus, C. eod.
3 Tertio septem testes coram quib. testator manifestet illud esse testamentum suum: qui etiam ad hoc specialiter rogari debent, & hoc, quia rogatio inducit quandam attentionem ad actum gerendũ, itē in præsentia testatoris existere, & ipsum videre debet, §. sed cũ paulatim hoc tit. l. hęredes palã, ff. eod. l. hac cõsultissima, & l. si nõ speciali, C. eod. Mich. Cras. §. testamentũ, q. 59. nu. 1.

Quarto

4 Quarto, quòd testes se subscribant, d. §. sed cũ paulatim, & quilibet propria manu, l. singulos, ff. eod. nisi essemus in loco, in quo non reperirẽtur tot literati, nam tunc vnus pro alijs subscribere potest, mentionem faciendo de eis, l. fin. C. eod. tradit glo. hic in verbo subscriptione.

Quinto requiritur, quòd testes consignent testamentum, vel anulo proprio, vel alieno, vel etiã testatoris, nil enim refert, §. possunt hoc tit. & l. ad testium, §. si quis. ff. eod.

Sexto, & vltimo necesse est, vt hæc omnia fiãt vno contextu, eodem tempore, in eodem loco, & nullo actu interposito, aliàs non valet, d. §. sed cum paulatim, & d. l. hæredes palam, & ratio est,
5 quia testamentum quod habet dilationem, non videtur habere ita liberam disponendi facultatẽ: imo vrgentissimam præsumptionem cõtra se habet, maximè, quia est act° indiuiduus, & sic si fuit cęptum, & non impletum, non valet, l. si is, qui testamento. ff. eod. tuncq. vno contextu testamentum fieri dicitur, quando vno, & eodem die nullo actu extraneo intermedio interposito, quod testatoris mentem alienet, & eius voluntatem peruertat factum est, d. l. hac consultissima, C. eod.
6 potestq. scribi testamentum in tabulis, chartis, membranis, & quacunque alia materia apta ad scribendum, §. nihil autem hoc tit. item, & pluribus codicibus, quo casu si voluntas eadem sit, vnum probat, sicut aliud, l. & vnum. ff. eod. si diuersa, posterior voluntas attenditur, §. sed & vnũ hoc tit. vbi, & Doctor. notant.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit nuncupatiuum testamentum.*
2 *Q æ requirantur ad nuncupatiuum testamentum constituendum.*
3 *Quæ differentia sit inter solemne, & nuncupatiuum testamentum.*

§. Fin.

Quid sit nuncupatiuum testamentum.

NVncupatiuum testamentum dicitur, quãdo testator sine scriptis coram septem testibus ad hoc specialiter rogatis, suam vltimam
1 voluntatem exponit, & hæredem omnibus ipsis audientibus nuncupat. §. fin. hoc tit. & l. hæredes palam, ff. eod. quandoq. tamen constituitur nuncupatiuum testamentum etiam cum scriptura, cũ scilicet testator coram septem testibus, & notario expresse nominat suum hęredem, & voluntatem suam declarat, rogatq. notarium, vt talem suam vltimam voluntatem redigat in publicam scripturam, & tunc huiusmodi testamentum, etiam mortuis testibus per se plenam fidem facit, secundum gloss. in l. 2. ff. quemadmodum testament. aperiant.

Quæ requirantur ad nuncupatiuum testamentum constituendum.

OMnia ea, quæ in solemni testamento requiruntur, & in hoc nuncupatiuo locũ habere debent, excepta testium subscriptione, & sigillorum appensione, hęc enim ad nuncupatiuum testamentum constituendum necessaria non sunt,
2 & sic sufficit, quod testator coram septem testibus ad hoc specialiter rogatus voluntatem suam declaret, & hæredem expressis verbis nuncupet, aut corã testibus, & notario, qui notarius, & ipse ad hoc specialiter sit rogatus, & hæc omnia vno, & eodem contextu, eodem tempore, & loco, & nullo actu interposito, vt supra quoque de solemni testamento diximus fieri debent, quemadmodum Doct. prædictis locis tradunt, & Clar §. testamentum, quæst. 58.

Quæ differentia sit inter solemne, & nuncupatiuum testamentum.

PRima differentia est, quia in testamento nuncupatiuo non requirũtur omnes hæ solemnitates, quę in solemni testamento desiderantur, solemnitas enim subscriptionis, testium, & sigillorum, in solemni tantũ testamento locum habent, non in nuncupatiuo, vt suprà quoque diximus.

Secunda differentia est, quod in testamento nuncupatiuo testator voluntatem suam reuelare, & manifestare cogitur. At in solemni eam celare, & scriptura tantum comprehendere potest.

Tertia est, quia testamentum nuncupatiuũ de sui essentia scripturam non requirit, sed satis est, si coram testibus, vel testibus, & tabellione suã testator manifestet voluntatem, quæ licèt postea
3 per tabellionem quandoque scribatur, id non ex natura actus fit, sed ex accidenti, & sic ex voluntate testatoris volentis voluntatem suam in scriptis redigi, qua propter non ideo minus sine scriptis dicitur, quia non ad substantiam, sed ad maiorem actus comprobationem, ac perpetuam rei memoriam, vt etiam mortuis testibus fidem faciat, scriptura pertinet argumento, l. contrahitur. ff. de pigno. quemadmodum, & reliqui actus, qui celebrantur inter viuos, semper in scriptis eos constitui videmus, potius ex voluntate contrahentium, quàm ex natura ipsorum, vt institut. de empt. & vendit. in principio.

SVMMARIVM.

1 *Mulier testis in testamento esse non potest.*
2 *Filius in testamento patris testis esse non potest, nec pater in testamento filij.*
3 *Nec hæres institutus testamentarius testis esse potest, nec parentes, nec filij, nec fratres eius.*
4 *Quæ sunt testamenta, in quibus ordinariæ testamentorum solemnitates relaxantur.*

§. Testes

§. Testes cum quinque §§. sequentibus.

Qui non possint in testamento testes esse.

1 SI hos cognoueuerimus facilè etiã intelligemus, qui testes esse possint, primo igitur in testamento, testis esse non potest, nec mulier, nec hermaphroditus in sexu fœminino prævalens, nec impubes minor 14. ann. nec seruus, neque furiosus, nec mutus, nec surdus, nec cæcus, quia testes, vt supra diximus, testatorem videre debent, nec prodigus, qui omnia dilapidando profudit, §. testes, & ibi glo. in verbo mulier, hoc tit. l. qui testamento, §. seruus, & §. nec furiosus, & l. is, cui, ff. eod. l. si non speciali, & l. si vnus, C. eod.

Secundò, nec illi in testamento testes esse possunt, quos lex iubet improbos, ac intestabiles esse, vt omnes hi, qui neque testimonium dicere, neque testamentum facere possunt, d. §. testes, & l. is, cui 18. & l. cum lege 36. ff. eod.

2 Tertiò, nec filius in testamento patris testis esse potest, nec pater in testamento filij, testantis de Castrensi, vel quasi Castrensi peculio, §. in testibus hoc tit. & l. parentes, C. de testibus.

3 Quartò, nec hæres institutus, imò nec parentes, nec filij, nec fratres eius, §. sed neque hoc tit. & ibi glo. patrem autem, & filium item duos fratres, & plures eiusdem domus in alieno negotio testes esse nihil prohibet, §. pater hoc tit. & l. pater, & filius, ff. de testibus: item & legatarij, eorumque filij, etiam in testamento, in quo eis legatum relictum est, testes esse possunt, §. legatarijs hoc tit. & l. dictantibus, C. eod.

In quibus casibus testamentum solemnitates remittantur.

MVlti casus sunt, in quibus solemnitates iuris remittuntur, & primò in testamento ad pias causas; in eo enim sufficiunt duo testes, ita dicit Bart. in l. 1. num. 75. C. de Sacrosf. Eccles. quæ quidem opinio communis est, & seruatur tàm in foro Ecclesiastico, quàm seculari, vt tefert Clar. in §. testamentum, quæst. 6. num. 2. nec est necesse, vt huiusmodi testes sint rogati, quinimò, & mulier testis esse potest, vt Clar. eadem quæstionem, num. 3. & 4. tradit.

Secundò in testamento condito inter liberos duo etiam tantùm testes sufficiunt, non rogati, & mulier quoque testis esse potest Clar. §. testamentum, quæst. 8. num. 2. 3. & 4. id quod locum habet etiam si pater esset cæcus, cum omnis falsitatis suspicio in filijs, qui omnino successuri sũt cesset, Ias. & communiter Doct. in l. hac consultissima, C. qui testam. facere possunt.

Tertiò in testamento facto à parochianis, in eo enim similiter duo testes, cum ipsius parochiæ interuentu sufficiunt, cap. cum esses extra de testam. id quod locum habet in terris Ecclesię in vtroque foro tàm Ecclesiastico, quàm seculari, extra verò terras Ecclesiæ solum in foro Ecclesiastico nõn seculari, ita volunt communiter Doct. vt dicit Clar. d. §. testamentum, num. 2.

Quartò in testamento rusticorum ruri confecto quinque testes sufficiunt etiam illiterati, si alij haberi non possunt, l. fi. C. eod. dixi ruri cõfecto, quia hæc duo copulatiuè requiruntur, s. & quod sit rusticus, qui testamentum condit, & quòd ruri testetur, nam si rusticus testetur in ciuitate, vel ciuis ruri, non gaudent beneficio, ita declarat Bart. in d. l. fin. num. 2. & est communis sententia, vt dicit Boer. decis. 228. num. 2.

Quintò in testamento cõdito tempore pestis, magna apud Doct. altercatio est: nam aliqui dicunt, quod tẽpore pestis sufficit, quòd testamentum fiat cum quinque testibus: & fuit d. Bal. in l. fin. num. 1. in fine, C. eod. sequitur Dec. consl. 289. num. 5. Paris. consl. 32. num. 6. lib. 2. & Ioan. dilect. de Arte testan. tit. 2. caut. 2. nu. 2. & hoc quia propter suspitionem contagionis, personæ non ita facile ad infirmos accedunt, neque inuicem inter se conuersari solent: contrariam sententiã, quòd immo etiam si testamentum sit confectum tempore pestis, nihilominus requiratur integer numerus septem testium, tenet Alexand. consl. 177. num. 8. lib. 2. Afflict. decis. 25. nu. 2. & Boer. decis. 228. magis tamen placet opinio Baldi, maximè si pestis grauis sit, quæ opinio etiam, & æquior, & magis recepta est secundum Clar. in d. §. testamentum, quæst. 54. num. 5. eamque sequuta est Camera Imperialis, teste Andrea Gail. lib. 2. suarum obseruationum, obseruat. 118. num. 19.

Sextò in testamento facto corã summo principe, dummodo de hoc appareat saltem per duos testes tex. est, & ibi Bar. notat in l. omnium, C. eod.

Septimò, & vltimo in testamento militis, vel etiam alterius, facto tamen tempore belli, & loco hostili, de quo infra tit. proximo.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit militare testamentum.*
3 *Quis dicatur miles.*
4 *Quæ sint priuilegia militũ in cõdẽdis testamentis.*
5 *Testamentum à milite in castris factum, valet tanquàm militare, etiam postquam miles domum reuersus est infra annum.*
6 *Testamentum sine debitis solemnitatibus factum ante militiam, sed in castris postea resignatum valet vt militare.*
7 *Priuilegia militum, an competant etiam ijs, qui in castris degunt.*

DE MILITARI TESTAMENTO. Titulus XI.

DIximus supra duo esse testamentorum genera, Paganicum, & Militare: de Paganico hactenus,

hactenus, Nunc de militari, & concordat cũ hoc tit. ff. de milit. testam. & C. de testam. milit.

Quid sit militare testamentum.

2 Est testamentum factum à milite armato in militia, in quo rigidæ iuris obseruationes remittuntur, §. 1. hoc tit. & l. 1. ff. eodem.

Quis dicatur miles.

3 Miles is dicitur, qui in militari matricula auctoritate principis scriptus, & publico signo vocatus, enseq. cinctus a signis nõ recedere iurauit, ita tenet glo. in l. penult. ff. ex quib. caus. maior. quam Doct. communiter sequuntur, & ibi Angel. notat, & Emanuel à Costa in l. Gallus. §. & quid si tantum, par. 1. num. 61.

Quæ sint priuilegia militum in condendis testamentis.

Duo sunt genera priuilegiorum, quæ militibus concessa sunt circa testamenta conficienda. Primum concernit personam ipsius testantis, quia scilicet multi, qui alias de iure communi non habent testamenti factionem, si tamen sint milites testari possunt, vt filiusfamilias, is enim si miles sit, testari potest, in castris quidem iure militari, extra castra iure communi, §. de illis, hoc tit. sic Iuuenal. Saty. 16.

Solus præterea testandi militibus ius
Viuo patre datur: nam quæ sunt parta labore
Militiæ placuit non esse in corpore census.

Eodem modo mutus, & surdus, qui alias de iure communi non potest, si miles sit, testari recte potest, §. plane in fine, hoc tit.

Secundum, concernit modum testandi circa omissionem, scilicet solemnitatum, quæ in testamentis regulariter requiruntur, & tunc distinguendum est, nam aut testatur miles in ipso conflictu hostium, aut non in conflictu, sed in castris, aut extra castra: primo casu, si testetur miles in conflictu hostium, & in extremo periculo vitæ, quocunque modo supremæ voluntatis elogium faciat, siue in charta, siue in vagina, siue in puluere, aut clypeo, etiam sanguine scriptum, vel absq. scriptis, quocunque apparuerit modo firmũ robur obtinet, neque testium præsidiũ aliquod desiderat, §. 1. hoc tit. & l. 1. ff. eod. Secundo casu, si non in conflictu, & acie testetur, sed in castris, in hoc casu, si duo testes adsint, qui illam ipsam militis testantis voluntatem esse dicant, valet testa-
4 mentum absque alijs solemnitatibus, d. §. plane, hoc tit. l. 1. l. diuus, & l. Lucius, ff. eod. l. milites, & ibi glo. C. eod. & hoc ne si etiam miles iocando hæredem aliquẽ nuncuparet pro testamento obseruaretur, d. §. planè. Tertio casu, si miles extra castra, domi, vel alijs in locis testetur, non gaudet priuilegio militis, sed testari debet cum omnibus solemnitatib. in testamento paganico requisitis, §. illis, & §. sed hactenus, hoc tit. Habent tñ milites postea alia priuilegia, videlicet, vt directo substituere possint, & pro parte testati, & pro parte intestati decedere valeant, & alia de quib. Mich. Crass. §. testam. q. 3. 7. & 8. & Clar. q. 10. per totã. Sed an testamentũ factum in castris à milite, qui reuersus domum decessit, valeat tãquã militare?
5 Respondeo, quòd decedente milite infra annũ, valet, & hoc etiam si conditio hæredi adscripta post annum extaret, & ratio est, quia cõditio retrotrahitur ad tempus cõditi testamenti, d. §. sed hactenus. Sed quid si ante militiam testetur miles sine debitis solẽnitatibus, & postea in castra ire-
6 rit, an valeat? Respõdeo, quòd si in castris degens illud resignauit, aliquid adiecit, vel detraxit, valet huiusmodi testamentum tanquam militare, quasi ex noua militis voluntate confirmatum, §. sed & si quis, hoc tit. nec superueniens capitis diminutio militis testamentum irritum reddit, d. §. sed & si qs, & l. 23. ff. eod. Et quia superius diximus milites esse, qui in matricula scripti sũt, ideo quęro, an ijs tantum priuilegia militum competant, an verò etiã ijs, qui in castris degunt, licet matriculis
7 inscripti non sint. Respondeo, quòd sic, dũmodo in loco hostili sint, ita dicit glo. in l. scriniarios, C. de testam. milit. quam Doct. communiter sequũtur, vt testatur Paris. cons. 31. nu. 15. lib. 2. Iul. Cla. q. 15. nu. 5. Michael Crass. q. 3. in fine, & Vasquius de successionum creat. §. 23. num. 1.

QVIBVS NON EST PERMISSVM facere testamentum. Tit. XII.

Hactenus qualiter testamenta fieri debeant, nunc qui testamenta facere non possint. & concordat cum hoc tit. secunda pars Rubricæ de testam. & qui testamenta facere possunt, in ff. & in C. tit. qui testam. facere poss.

SVMMARIVM.

1 *Filiusfamilias excepto de castrensi, vel quasi castrensi peculio, testari non potest.*
2 *Impubes minor 14. ann.*
3 *Furiosus.*
4 *Prodigus.*
5 *Mutus, & surdus à natura.*
6 *Cæcus qualiter testetur.*
7 *Captus ab hostibus testari non potest.*
8 *Obsides, serui, damnati ad mortem, & seipsos motu pœnæ interficientes.*
9 *Hæretici.*
10 *Vsurarij manifesti.*
11 *Monachi.*

Qui testamenta facere non possint.

Primò filiusfamilias patriæ potestati subiectus cuiuscunque ætatis sit, testamentum [illegible] facere

facere non potest, nec etiam de consensu patris,
1 excepto de Castrensi, vel quasi Castrensi peculio, §. fin. supra tit. proximo, §. 1. & 2. hoc tit. l. nemo, & fin. C. eod. l. qui in potestate, ff. de testam. cap. licet de sepult. lib. 6. & ratio quare filiusfamilias testari non possit, etiam cum consensu patris, ea esse videtur, quia testamenti factio ex alieno arbitrio pendere non debet, l. 1. ff. de legat. 2. quod ergo non potest filius per se efficere, minus poterit patre consentiente, ita volunt, communiter Doctor. teste Aretino, in d. l. qui in potestate, quinimo aliqui volunt, vt nec etiam ad pias causas de consensu patris testari possit, ita dicit Ias. in l. senium, C. eod. Ioan. Andr. in cap. licet de sepult. lib. 6. Imola in d. l. qui in potestate, ff. eod. & plures alij. Contraria tamen sententia immo, quod ad pias causas de licētia patris possit filius testari, tenet Abb. in Rubr. de testamen. num. 10. Bald. in l. 1. C. de Sacrosan. Eccles. & est communis, & verior, secundum Decium in d. l. senium num. 11. Couar. in rubr. de testamen. in fine, Menchaca de successio. creatio. §. 22. num. 8. & Clar. in §. testamentum, quæst. 5. num. 4.

Secundò, testari non potest impubes minor
2 14. annorum etiam si patrem non habeat, §. praeterea hoc tit.

Tertiò furiosus dum est in furore, & mente
3 captus, d. §. præterea hoc tit. l. in aduersa. ff. eod. & l. furiosum, C. eod. cap. vlt. de successio. ab intesta. & hæc sententia adeò vera est, vt nec etiam ad pias causas talis furiosus, vel mente captus testari possit, tenent plures relati per Dec. in d. l. furiosum, qui dicit communem, & ea ratione fundatur, nam legata pia licèt regulariter non regulentur iure positiuo, regulantur tamen iure naturæ, & gentium cap. cum esses, & cap. relatum extra de testam. sed testamentū factum à furioso peccat in iure naturali, quia in eo deficit volūtas, testamentum enim est voluntatis nostræ iusta sententia, si ergo deficit voluntas, & sic substantiale, deficiet quoque causatum ab ea: quod de furioso, & mente capto diximus, habet locum etiā in frenetico, qui in multis, & ferè in omnibus æquiparantur, vt resoluunt Doctor. in l. ex facto. ff. de vulgar. in l. humanitatis, C. de impub. & alijs substitut. in l. furiosi, C. de nupt. & in l. tam dementis, C. de Episc. audient.

4 Quartò, nec prodigus post interdictam sibi rerum suarum administrationem testari potest, §. item prodigus hoc tit. & l. is enim. ff. eod.

Quintò mutus quoque, & surdus à natura testamentum facere prohibetur, §. item surdus hoc
5 tit. l. qui in potestate, §. fin. cum l. sequenti, ff. eod. & l. discretis, C. eodem.

Sextò cęcus erat quidem olim iure digestorum omnino intestabilis, iure tamen Codicis testabilis factus est, dummodo faciat testamentum secundum solemnitatem, & formam, l. hac consultissima, C. eodem, quam solemnitatem approbat Imperator hic in §. Cęcus, eaque vltra alias solemnitates in alijs testamentis requisitas talis est, primò, vt ipse cęcus coram testibus, enunciet se sine scriptis testari velle: nam in scriptis non potest: quia cum non possit videre, & cognoscere,
6 nec suas, nec alienas litteras, facilè decipi, & contra eum falsitas committi posset. Secundò, vt in omnibus capitulis testamenti hæredis institutionem præponat. Tertiò, vt specialiter nomina hęredum, prænomina, dignitates, & officia exprimat, ad hoc, vt nulla relinquatur dubitatio. Quartò, quòd testes, & notarius se subscribant, & tabulas anulis consignent, & si notarius haberi non possit, alius, & sic octauus additur testis, qui & ipse se subscribere debet, d. l. hac consultissima, & ibi Bart. Bald. Ias. ac cœteri scribentes notant.

Septimò, captus ab hostibus, dum in seruitute
7 permanet testari non potest, antea tamē factum testamentum valet, vel iure postliminij si redit, vel ex l. Cornelia, si apud hostes moritur, §. fina. hoc tit. l. in omnibus, ff. de captiu. & postlimin. reuers. & l. lex Cornelia, ff. eod.

Octauò, obsides testari non possunt, nisi specialiter eis à Principe concedatur, l. obsides, & ibi glo. ff. eod.

Nonò serui, nec ipsi testari possunt tex. est in l. 19. ff. eodem.

Decimò, damnati ad mortem naturalem, vel ciuilem, testari non possunt, l. 8. §. 1. ff. eodē, nec etiam ad pias causas secundum Bart. in repet. l. 1. num. 26. C. de Sacros. Eccles. & Abb. in Rubr. extra de testamen.

8 Vndecimò, metu pœnæ se ipsos interficientes, intestabiles sunt, nec antea testamentum ab eis factum valet, l. 2. C. eodem.

Duodecimò, committens læsæ maiestatis crimen, l. fin. C. ad l. Iul. maiest.

Decimotertiò hæretici, & credentes ipsis, auth.
9 credentes, C. de haeret. hoc enim crimen est omnibus sceleratissimum, nam si ea ratione grauissimum reputatur in iure, & detestabile delictum, quod gloriam, & honorem principis, vel Reipublicè offendit, vt suprà quoque diximus, quanto maiori ratione detestabilissimum erit iudicādum crimen, quod ipsam diuinam maiestatem offendit, & Ecclesiæ Catholicæ sacramenta, ac sacrificia Christianęque religionis fundamenta peruerse subuertere, & destruere tentat, vnde talia intendentes organa diaboli meritò appellantur, si quidem diabolus per hæreticos tanquām per sua membra, hæc tollere, & abolere satagit, vt ijs adiumentis destituti, peccatis nostris depressi, & perpetuo somno sepulti, nostrum authorem vitę obliuioni tradamus, & ineffabilem gloriam Dei, quam ipse pessimus perdidit, amittamus. Hæreticus autem, ne hoc omittamus, est homo baptizatus, errans per intellectum in his, quæ sūt fidei christianæ, manifestamve fidei christianæ non credens, pertinaciterquè, & voluntariè errori adhærens, hanc definitionem constituit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 11. artic. 2. Angelus, & Syluest. in

verbo hæreticus. Nauar.in cap.nouit de iudic. & omnes sequuntur. Ex quo sequitur, quod si inaduertenter, aliquis ignorantia ductus, vel ludibrio linguæ, aut iocosè, aliquid contrarium catholicæ fidei proferat; si in errore non se affirmet, sed paratus sit emendare quod dixit, non est iudicandus hæreticus, tenet Io.Andr.in cap.2.de hæretic.lib.6. sic qui aliquos errores inaduertenter protulit contra sacræ scripturæ testimonia, si pertinaciter illos errores non teneat, non est hæreticus iudicandus, vt habemus de B.Cypriano, qui errore ductus tenuit, quod baptizati ab hæreticis essent rebaptizandi, quemadmodum in c. si quis inquit 70.1.q.1. nam statim quod fuit reprehensus à D.August.in lib.5.de baptismo c.20. & transumptiuè habetur in cap.quomodo exaudit 41.de consecrat.distin.4.deposuit illum errorem, & sic verè credidit, & tenuit baptizatum ab hæretico secundum formam traditam à Christo, & cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia Romana, esse vere baptizatum c.Romanus Pontifex 23.eadem, distin.4.& nouissimè habetur in Concil.Trident.sess.7. de baptismo cap.4. hac de causa dixit B.August.lib.1.de Trinit.errare potero, sed hæreticus non ero, quod dictũ refert Flor. in 2.par.suæ summæ tit.12.c.1.& Simancas de institutionib.catholicis cap.31.nu.7.

Decimoquartò, vsurarius manifestus testari nõ potest, nisi facta satisfactione, aut eius nomine cautione præstita, cap.quanquam de vsur.in 6. id
10 quod optima ratione statutum esse videtur, cum perniciosissimum malum Reipublicæ sit, vsura, & talis acquirendi modus omnino cõtra naturam, vt pecunia, quæ sterilis est, prolem sibi similem pariat, teste Aristo.lib.1.Polit.cap.7.cui conuenit Plutar.in libello de vitand.vsur. qui loquendo de fœneratoribus, inquit, naturalia quoque deridẽt, quæ asserunt ex nihilo, nihil gigni posse, quandoquidem apud illos ex eo, quod non est, & nunquam fuit, vsura generatur, nam licet pecunia quæri possit, & augeri negotiatione valeat, & res, quæ ipsa emuntur, maioris vendi possint, tamen id magis operæ, quam pecuniæ fructus est, & diligentia, & consumptione pecuniæ id fit: nec est omnino certum, sed contingens, cum possit dari casus, & sæpe euenire, vt non solum pecunia non augeatur, sed minuatur, & amittatur, nec quicquã vsurarium excusat, quod furta auertere, & necessitati pauperum succurrere videtur: nam videtur quidem necessitati eorum succurrere, re tamen vera in maiorem mittit necessitatem: de vno vinculo soluit, & multis vinculis alligat: similisq. est (inquit Chrysost.homil.12.in 5.c.Matth. in fine) aspidis morsui, sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, & per suauitatem soporis moritur, sic & qui accipit sub vsuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficiũ accipit per suauitatẽq. beneficij non sentit, quomodo captiuus efficitur. At sicut venenũ aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit, sic vsura per totas facultates eius discurrit, & conuertit in debitum. Et non solum quando iste talis iam vsuras exercebat, si erat manifestus vsurarius, non valet testamentum, verumetiã si post factum testamentum effectus est vsurarius, testamentum illud antea factum nõ valet, ea ratione, quia non sufficit tempore, quo facit testamentũ, illud posse facere, si tẽpore mortis sit incapax ad illud faciendum iuxta l.1.§.si filius. ff.de legat.3. Anania in cap.quia in omnibus de vsur.& est cõmunis secundum Socin.cons.127.lib.3.tradit Didacus Spino à caceres in glo.rubricæ, q thesauri, par.1.nu.24.& 26.idem est, si tẽpore conditi testamenti præstitit cautionẽ de restituendis vsuris, & post præstitam cautionẽ vsuras iterum exercuit.s. testamentum ad huc ipso iure nullum esse, tenet Bald.in l.executorem. C. de executione rei iudicatæ, & tenent Doct.in d.cap.quanquam.

Decimoquintò, Monachi post professionem testari non possunt cap.2.extra de testam.cap.si. de successionib. ab intest.cap. quia ingredientib.
11 19.quæst.vlt.& Auth.ingressi.C.de sacrosf.eccle. & si quis obijceret, quod si aliqua ratione, prohibetur monacho testamenti factio, ea potissima erit, quia nõ habet bona, ex quibus testari possit, cum quicquid acquirit, acquirat monasterio cap. vnico 18.q.2. sed qui bona non habet, potest facere testamentum, l.hæreditas.ff.de petit.hæred. ergo. Respõdeo id verum esse in eo, qui licet nõ habeat bona in actu, habet tamen in habitu, & potentia, quod nõ est in monacho professo, qui neque actu, neque potentia bona habere potest: ideo & dubium est de excommunicato, an possit facere testamentum, & quidem videtur dicendũ, quod non, maximè propter periculum communicationis, quæ ex factione testamenti causatur cum ipso excommunicato, & testibus, quæ prohibita est, ita tenet glo. in cap.decernimus, de sen ten.excommun.in 6.& Alberi.in l.1.C.de hæred. institut.contraria tamen sententia magis recepta est, secundum Abb.in rubr.de testam.vbi Fræcus, & alij, glo.Bart.& Aret. qui communem dicit in l. si quæramus.ff.de testam.Nauar.in suo Manuali cap.27.nu.36.& Clar.§.testamentum, quæst.24. Maius tantum dubium est, an clerici de bonis intuitu ecclesiæ quæsitis testari possint, vt videre est apud Nauarrum, & Sarmientum, de redditib. ecclesiasticis, qui summopere hac de re inter se contendunt. Ego, qui nullum iam mihi nomen adeptus sum, inter tantos viros meam nunc proferre sententiam non audeo, sed dubius adhuc quid sentiam, Deo Opt. Max. fauente, dicam in meis canonicis quæstionibus.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Liberi omnes, aut expressè instituti, aut nominatim exhæredari debent.*
3 *Posthumi omnino instituti debent.*

4 *Casus*

4 *Casus in quibus præterito pro tacita exhæredatione habetur.*
5 *Causa propter quas filij exhæredari possunt.*
6 *Ad quem spectet probare causam exhæredationis iustam esse.*

DE EXHÆREDATIONE LIBERORVM. Titulus XIII.

HVcusque pertractatum est, qualiter testamenta ordinentur, & qui ea facere nō possint; Verum quia ad validitatē testamenti in his, qui filios in potestate habent non tantum requiritur supradicta diligens obseruatio, vt. s. solēnia à iure præscripta in eo interuenire debeant, de
1 quibus in tit. de testam. ordin. & quòd potestatē testandi habeant, de qua superiori tit. sed etiam, vt eos, vel hæredes instituere, vel nominatim exhęredare debeant. Ideo specialiter de hac re, quę difficilem tractationē habet, hoc tit. Imper. agere voluit, cum quo concordat tit. C. de liber. pręter. ff. de liber. & posthum. hęred. instituen. & ff. de iniusto rupto irritoq. facto testamento.

Quæ necessario in testamentis obseruanda sint ab his, qui filios in potestate habent.

INter cętera, inquit Caius Iurisconsul. quæ ad ordinanda testamenta necessariò desiderantur, principale ius est, de liberis, & posthumis hęredib. instituen. l. inter cętera. ff. de liber. & posth.
2 Ideo liberi homines, tàm masculi, quàm feminę, tàm in potestate, quàm emancipati, exploso anti quo iure, tàm nati, quàm posthumi, aut exprefsè instituti, aut nominatim exhæredari debent, alias si silentio prętereantur testamentum est nullum, & statim quidē, si fuerint præteriti filij iam nati, si verò posthumi, tunc demum si nascātur, quod si non nascātur, vel mulier abortum fecerit valet testamentum, §. 1. §. sed non ita. §. posthumi quoque. §. emancipatos, & §. sed hæc quidem, hoc tit. l. 1. 2. & 3. C. de posthu. hæred. instit. nec solum in filijs, hoc locum habet, sed etiam in nepotibus ex filio cęterisq. ex virili sexu descendentib. §. posth. hoc tit. & l. posthum. ff. de iniusto rupto, & in posthumis quidem hodie tantum locum habet, vt instituantur, non tamen alternatiuè, vt vel exhęredentur, quia cum in eis nullum ingratitudinis
3 vitium cadere possit, exhæredari etiam minime possunt, sed institui omnino debent, l. si quis. ff. de inoffi. testa. & hoc adeo verum est, vt etiā si filius, qui fuit prę̈teritus, vel posthumus post natiuitatē viuo testatore decesserit, nemo adhuc hæreditatē ex eo testamēto capere poterit per regulā, quod ab initio nō valet, nec ex post facto valere potest. §. 1. hoc tit. & l. quod ab initio. ff. de reg. iu. nisi fuerint instituti venientes ab intestato, l. posthumus, & ibi Bar. & Docto. notant. ff. de iniusto rupto, & C. quidam tamen casus sunt in quibus sola filij præterito testamentum nullum minime reddit.

Primus casus est in filijs adoptiuis, hi enim, quamuis olim in potestate patris adoptiui existentes instituendi, aut exhęredandi essent, secundum tex. in §. adoptiui, hoc tit. hodie tamen secus est per tex. in l. cum in adoptiuis. §. sed nec articulum. C. de adopt. de quo Imper. hic in §. circa adoptiuos, mentionem facit.

4 Secundus casus est in milite, cuius prætéritio pro expressa exhęredatione nominatim facta habetur, §. circa adoptiuos, hoc tit.

Tertius est, in matre, & auo materno, quorum similiter pręteritio censetur tacita exhęredatio, §. fin. hoc tit. & hoc quidem iure antiquo, locum habebat siue pręteritus fuisset cum causa, siue sine causa. At iure nouissimo tunc demum si inserta fuerit causa, glo. in §. exhęredatos Auth. de heredib. & Falcid. qui communiter approbatur, vt dicit Crass. §. testamentum, nu. 1. & 2. Verum, quia sola exhęredatio, siue expressa, siue tacita ea sit, non sufficit, nisi iusta subsit causa propter quā exhęredatio fieri debeat, & ea probetur, ideo de his causis, & qui eas probare teneatur, videamus.

Quæ causæ sint, propter quas filij à parentibus exhæredari possint.

MVltę causę sunt, propter quas filij à parentibus exhęredari possunt.

Et primò, propter violentam manuum iniectionem in patrem.

Secundo, propter grauem, & inhonestam iniuriam illatam.

Tertiò, si accusauerint parentes de crimine capitali, nisi sit aduersus Principem, aut Rempubl.

Quartò, quando filius, vt maleficus cum maleficis versatur.

Quintò, quando insidiatus est vitę parentum.

Sextò, si nouercę, vel concubinę patris se immiscuit.

Septimò, si contra parentes delator, aut accu-
5 sator fuit, eosque sua delatione grauia dispendia pari coegit.

Octauò, recusatio fideiussionis pro patre in carcerem coniecto.

Nonò, si patrem testari prohibuerit.

Decimò, associatio cum mimis, & arenarijs pręter parentum voluntatem.

Vndecimò, si filia noluerit nubere, sed potius vitam luxuriosam elegerit.

Duodecimò, si patrem furiosum curare, vel nutrire neglexerit.

Tertiodecimò, si patrem captiuum redimere recusauerit, quod si apud hostes moriatur, & antea filium heredem instituerit, priuatur filius, vt indignus, & hereditas ecclesię pro redemptione aliorum captiuorum applicatur.

Decimoquartò, & vltimò, si filius sit hęreticus, hęc omnia habentur in §. aliud quoque capitulū Auth. Vt cum de appellat. cognoscitur, vbi in §. iustum, habemus etiam causas propter quas è

conuerso parentes à filijs testantibus de castrési, vel quasi castrési peculio exhæredari possunt, neo ob eas tantum, sed etiam ob similes, vel maiores exhæredari quoque rectè valent secundum Ias. & alios in d.§. aliud quoque capitulum.

Ad quem spectet probare causam exhæredationis iustam esse.

6 CAusa exhæredationis semper à patre in testamento nominatim exprimi, & ea postea si iusta sit, per hęredem scriptum probari debet, interim filio in possessione bonorum paternorũ manente, Auth. non licet. C. de liber. præter. & §. si tales Auth. Vt cum de appellat. cognoscitur, & ibi Doct. notant, quod si simus in casibus, in quibus prętcritio pro tacita exhędatione habetur, de quibus supra mentionem fecimus, similiter hæres scriptus si obtinere velit, probare debet iustam subesse causam, propter quam filius paterna successione priuari debeat.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Qui hæredes institui possint.*
3 *Qui institui non possint.*

DE HÆREDIBVS INSTITVENDIS. Titulus XIV.

In principium Tituli, cum aliquot. §§. sequentibus.

1 QVia testamentum sine hæredis institutione consistere nõ potest, vt habemus in §. ante hæredes, infra de legat. Ideo post multa, quæ ad validitatem testamenti pertinent, specialiter etiã de hæredum institutione ponitur, & concordat titulus. ff. & C. de hæredibus instit.

Qui hæredes institui possint.

PRimò omnes homines, tàm liberi, quàm serui, etiam quos testator nunquam vidit, nisi specialiter à lege prohibeantur, §. 1. & si. hoc tit.

Secundò seruus proprius hæres quoque institui potest, dummodo non instituatur à Domina, cum qua adulterium commisisse dicatur, d. §. 1. & §. proprius hoc tit. l. 48. §. 2. ff. eod. nec refert,
2 an cum libertate, vel sine ea institutus sit, quia eo ipso quod hæres institutus est, liber etiam esse censetur, d. §. 1. & §. Alienus: suusque, & necessarius hæres, efficitur, si in eodem statu vsque ad testatoris mortem permaneat, d. §. alienus, dixi, si in eodem statu permaneat, quia si à viuo testatore manumissus fuerit, non necessarius erit hęres, sed arbitrio suo hæreditatem adire poterit, d. §. alienus. Si vero alienatus fuerit neque liber, neq; hæres esse poterit, quandoquidem destitisse à libertatis datione videtur Dominus, qui cum alienauit, ideo hæreditatem hoc casu iussu noui Domini adire debebit, qui per eum efficietur hæres, §. quod si alienatus, hoc tit.

Tertiò etiam seruus alienus hæres institui potest, sed sine libertate, quo casu Dominus eius quodammodo hæres institutus esse videtur, cum quicquid acquirit seruus, acquirat Domino, d. §. 1. & d. §. alienus hoc tit. & l. tertia, ff. eod. vnde & si plurium Dominorum sit seruus, omnibus etiã proportionabiliter acquirit, §. seruus autem plurium, hoc tit. dixi, sine libertate, quia si cum libertate alienus seruus instituatur, nulla erit institutio, cũ libertas ab alieno Domino dari nequeat, l. 49. ff. eod. Quis autem dicatur seruus proprius, aut alienus, satis clarè tradit Imperator hic in §. proprius, & in §. alienus.

Qui hæredes institui non possint.

QVia diximus omnes hæredes institui posse, nisi specialiter à lege prohibeantur, ideo necessariũ esse iudicaui, personas etiam, quę prohibeptur, particulariter enumerare, vt nihil à nobis eorum, quæ ad materiæ nostræ cognitionem pertinent, studiosus iuuenis desiderare habeat.

Primò igitur hæredes institui prohibentur deportati, l. 1. C. eod.

Secundò in metallum damnati, l. si in metallũ, ff. de his, quæ pro non script. habent.

Tertiò filij eorum, qui rei sunt criminis læsæ
3 maiestatis, l. quisquis. §. filij. C. ad l. Iul. maiest.

Quartò illicitũ collegium, l. collegium, C. eod.

Quintò nati ex incestuoso, & damnato coitu, Auth. ex complexu, C. de incest. nupt. intellige à patre, nam ab extraneo institui possunt.

Sextò Hæretici, l. Manichæos, C. de hæret.

Septimò seruus de adulterio cum Domina accusatus, ab ea institui non potest, vt suprà quoque diximus.

Octauò Mulier nubens infra annũ luctus, efficitur incapax omnium, & quorumcũque relictorum in vltima volũtate, nec hæres institui potest, l. 1. C. de secundis nupt. anni enim spatium mulieribus, vt maritum elugere valeant, datum est, tàm ratione honestatis, quàm etiam ratione prolis, ne propter sanguinis, incertitudinem filiorum quoque incertitũdo causetur, de hoc anno luctus loquitur. Ouidius lib. 3. Fast.

Assuetos igitur numeros seruauit in anno
Hoc luget spatio, fœmina mæsta virum.

Apud Romanos his, quæ vnico contentæ matrimonio vixerant, corona pro pudicitiæ laude, decreta fuit, credẽtes multorum matrimoniorum experientiam quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse, vt refert Valerius lib. 2. cap. 1. qui miris laudibus Antoniam extollit, quæ in eodem lecto, in quo adolescentiæ vigorem sensit, in eodem vidua consenuit. Et inter cęteras laudes, quib. Cornelius Tacitus Germanos prosequitur, castitatis laus summa ferè est, & præcipua, vnica enim

enim eos vxore contentos fuisse refert. Insigne exemplum extat in Valeria Messalarum sorore, quæ amisso Seruio viro, interrogata, cur alteri nō nuberet, respondit, semper sibi Seruium viuere. Plutarchus interrogatus quare publicis festis veteri more virgines non nubant, viduæ nubant rationem reddit, quod virginibus decorum, viduis vero multis præsentibus fœdum sit nubere: diebus enim festis multitudo adeo distrahitur, vt his rebus interesse per ocium minime possit, hinc Dido apud Vergil. lib. 4. Aeneid.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat.
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq. profundam,
Ante pudor quam te violem, aut tua iura resoluam:
Ille meos primus, qui me sibi iunxit, amores,
Abstulit, ille habeat secū, seruetq. sepulchro.

Hodie tamen de iure Canonico hoc locum non habet, per tex. in cap. penult. & fin. extra de secundis nupt. & sic pœnæ impositæ à iure ciuili cōtra nubentes infra annū luctus à iure Canonico sublatæ sunt, cum secundas nuptias non detestetur Ecclesia Cathedr. cap. aperiant cum duobus sequentibus 31. quæst. 1. imo eas, permittit Deus ob fornicationis periculum euitandum, §. hac ratione cum seq. eod. 31. q. 1. melius. n. est nubere, quām vti, seu inhoneste multos admittere.

Nonò, incerta persona institui nō potest, nam hæres certus esse debet, l. quoties. ff. eod. Fallit si instituantur pauperes, vel captiui, tunc enim fauore pietatis valet institutio, quamuis certi non fuerint nominati, l. 24. 28. & 38. C. de episcop. & cler. quibus postea pauperibus, & quibus captiuis debeatur, episcop' loci eligere debebit, dummodo testator alijs facultatem eligendi non concesserit, l. nulli. C. de episc. & cleric.

SVMMARIVM.

1 *Diuiditur hæreditas in 12. vncias.*
2 *Nemo potest decedere pro parte testatus, & pro parte intestatus, nisi sit miles.*
3 *Quid sit dupondium.*
4 *Quid tripondium.*

§. Hæreditas, §. Si plures, §. Videamus, & §. Et si plures.

Qualiter diuidatur hæreditas.

Diuiditur hæreditas, vt plurimum in 12. vncias, siue partes, quæ omnes ab vnica vsq;
1 ad assem certa nomina habent. As enim 12. vncias, & sic totam hæreditatem significat. Deunx vndecim. Dextans decem. Dodrans nouem. Bes octo. Septunx septem. Semis sex. Et sic dimidiam hæreditatem. Quincunx quinque. Triens quatuor, quasi tertia pars. Quadrans tres, quasi quarta pars. Sextans duas, quasi sexta pars. §. hæreditas, hoc tit. & l. seruum. §. fin. ff. eod. Modo si testator vnum tantùm hæredem instituit, is quamuis ex parte tantummodo institutus sit, totam nihilominus hæreditatem accipiet, cum ne-
2 mo possit decedere pro parte testatus, & pro parte intestatus, nisi sit miles, d. §. hæreditas, & l. ius nostrum. ff. de reg. iur.

Secundò, si testator plures instituat, nec partes exprimat; omnes accipient partes æquales, nam æqualiter etiam instituti esse censentur. §. si plures, hoc tit. & l. 9. §. hæredes. ff. eod.

Tertiò, si aliqui ex certis partibus instituti sint, alij simpliciter, & pars aliqua vacet, hoc casu partem vacantē accipient hi, qui simpliciter instituti sunt, d. §. si plures, & l. 17. ff. eod. Sed si nullus reperiatur sine parte scriptus, & pars aliqua similiter vacet, tunc pars vacans singulis pro parte hereditatis accrescit, sicut è conuerso si aliquid ex asse desit, decrescit, §. videamus, hoc tit. & l. 13. ff. eod. Quod si præcisè as inter quosdam distributus sit, & alij sine certa parte similiter instituti sint; hæreditas in hoc casu intelligetur constare
3 24. vncijs, & dupondij appellatione cōtinebitur; & hi quidem, inter quos totus as distributus fuit, duodecimas vncias accipient, aliæ verò duodecimæ vnciæ inter alios postea, qui sine parte instituti fuerunt, diuidentur, d. §. si plures, & d. l. 17. §. sed si asse, similiter si testator in distributione excesserit 12. vncias, non tamē ad dupondium peruenerit, hi, qui sine parte scripti sunt, residuū habebunt vsque ad dupondiū, §. & si plures, hoc tit. & l. 18. ff. eod. Eodem modo si dupondium testa-
4 tor distribuerit, vel excesserit, transitus fiet ad tripondium, quod 36. vncijs constat. d. §. & si plures, & d. l. 17. §. vlt. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Hæredis institutio, & purè, & sub conditione fieri potest.*
2 *In diem incertam institutio valet.*
3 *Ex certo tempore, vel ad certum tempus institutio facta, perinde est, ac si purè facta fuißet.*
4 *Qualiter vitietur institutio sub conditione impossibili facta.*

§. Hæres, §. pen. & §. impossibilis.

1 Hæredis institutio fieri potest, purè, & sub conditione, honesta tamen, & possibili. §. hæres, hoc tit. & si plures conditiones coniunctim adscriptæ sint, omnes impleri debent, si disiunctim, sufficit vnam impleri. §. pen. hoc tit. & l. 5. ff. de condit. institut.

Secundo etiam in diem incertā institutio fieri potest, quia dies incertus in institutione conditionem facit, lege dies incertus. ff. de conditioni-
2 bus, & demonstrationibus. Exempli gratia, si aliquis, qui hæreditatis incapax sit, institutus sit in tempus,

tempus, quo hæreditatem capere possit, tale quidem tempus incertum est, & tamen talis institutio valet, l. in tempus, ff. eod.

Ex certo verò die, aut tempore institutio fieri non potest, veluti post biennium, quàm moriar, aut ex kalendis illis, nec ad certum tempus, ve-
3 luti vsque ad Kalendas illas, sed vitio temporis sublato, manet institutio perinde, ac si purè facta fuisset, d. §. hæres, & hoc fauore vltimarum voluntatum, l. hæreditas ex die, ff. eod. Et ne quis pro parte temporis testatus, & pro parte intestatus decedat contra regulam legis, ius nostrum, ff. de reg. iur. An autem institutio facta sub conditione impossibili, valeat, vel non, est distinguẽdum, nam alia est conditio impossibilis natura, vt illa,
4 si cœlum digito tetigeris, alia de iure, vt quæ est contra bonos mores, alia de facto, vt si montem aureum dederis, alia denique verborum perplexitate, veluti si dicatur, si Titius hæres erit, Caius hæres esto. Duæ priores conditiones non vitiãt institutionem, sed pro non scriptis habentur, perindeq. est, ac si positæ non fuissent, §. impossibilis, hoc tit. sed posteriores vitiant quidem institutionem, eo quod non præsumitur animus dandi, vt tradit glo. hic in d. §. impossibilis.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit substitutio, & an sit propriè institutio.*
3 *Quotuplex sit substitutio.*
4 *Quot sint species directæ substitutionis.*

DE VVLGARI SVBSTITVTIONE. Titulus XV.

CVm plures gradus hæredum in testamẽtis fieri valeant secũdum Imperatorem hic in
1 princ. tit. nostri, ideo meritò post tit. de hæredib. instit. sequitur de substitutione, quę est secũdi gradus institutio, & cõcordat tit. ff. de vulg. & pupill. substitut. & C. de impuber. & alijs substitut.

Quid sit substitutio.

SVbstitutio est secunda hæredis institutio, l. ex facto 43. Lucius. ff. eod. vel in secundo gradu facta institutio, l. 1. ff. eod. & sic in locum instituti
2 hæredis deficientis suppositio. An autem substitutio sit propriè institutio, distinguendum est, nã aut accipitur substitutio in genere, aut in specie; si in specie, tunc substitutio diuersa est ab institutione: sunt enim ambæ diuersæ species ab eodẽ genere descendentes, l. 1. ff. eod. si in genere, tunc substitutio est propriè institutio, nec obstat, si dicatur, tale secundum quid non dici propriè tale, l. mercis, la 2. ff. de verb. signific. item conditionalem dispositionem nõ esse propriè dispositionẽ, l. 1. ff. de donat. sed substitutio nõ dicitur simplex institutio, sed secundo, vel vlteriori gradu item, conditionalis. f. si primus hæres non erit, ergo. Nam respondeo, & primo tale secundum quod non dici propriè tale, quando illud secundũ quid alterat dispositionem, cui annectitur, secus verò si dispositionẽ nõ alteret, quia tunc dicitur simpliciter, & propriè tale, l. serui pœnę. ff. de manumiss. modo in substitutione illud secundũ quid. i. secunda institutio, non alterat institutionem, sed cum ea se compatitur, ergo erit propriè institutio, similiter dico, conditionalis dispositio, nõ est propriè dispositio, quãdo conditio alterat dispositionem, secus si nõ alteret, vt quia sit de natura actus, & illa cõditionalis dispositio sit species sui generis, sed conditio, quæ est in substitutione, nõ alterat dispositionem, cum sit de natura substitutionis, & sit species institutionis, ergo substitutio erit propriè institutio, cõtra communem, quam tenet Bal. Imo. & Soc. in l. 1. ff. eod. maximè cum genus propriè sub se quamlibet eius speciẽ contineat, l. si quid earum. §. interemptũ. ff. de legat. 3.

Quotuplex sit substitutio.

SVbstitutio duplex est: Directa, & Obliqua. Directa est per quam substitutus directè, & immediatè sine alterius ministerio capit hæredi-
3 tatem testatoris, veluti cum testator dicit, Titius hæres esto, & si Titius hæres non erit, Caius hæres esto. Obliqua est, quæ indiget alterius ministerio, & in qua hęreditas nobis per interpositam personã defertur; & de hac obliqua substitutione videbimus infra in tit. de fideicommiss. hæredit. & de sing. rebus per fideicommiss. relict. De directa verò nunc in hoc tit. & in tit. sequenti videamus.

Quot sint species directæ substitutionis.

4 QVinque sunt species directæ substitutionis, alia enim est vulgaris, alia pupillaris, alia exemplaris, alia breuiloqua, & alia compẽdiosa.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit vulgaris substitutio.*
2 *Verba illa, si hæres non erit, in vulgari substitutione posita, quomodo intelligantur.*
3 *Si quis omissa causa testamenti velit succedere ab intestato, nõ potest, sed substitutus admittitur.*
4 *Titulus si quis omissa causa testamenti, quomodo intelligatur.*
5 *Vulgaris substitutio quotuplex sit.*

Quid sit vulgaris substitutio.

1 VVlgaris substitutio, est secundi hæredis in locum primi non adeuntis institutio, quę ideo dicitur vulgaris, quia à quolibet, & cuilibet communibus, & vulgaribus verbis fieri potest, & nihil specialitatis habet, §. 1. hoc tit. l. 1. & ibi Bart. ff. eodem.

Quibus

Quibus verbis vulgaris ſubſtitutio fieri ſoleat.

VVlgaris ſubſtitutio per hæc, aut ſimilia verba fieti ſolet, videlicet, (Titius hæres eſto, & ſi Titius hæres non erit, Caius hæres eſto) quę
2 verba (ſi hæres non erit) intelliguntur, vt, vel quia non potuerit eſſe hæres, vel quia noluerit eſſe: idem dicendum eſt, ſi dictum ſit tantummodo; ſi hæres eſſe noluerit, vel tantum ſi hæres eſſe non potuerit, quia adhuc vtrunque comprehenditur ſecundum Docto. communiter in l. 1. ff. eod. tum per l. Gallus. §. & quid ſi tantum. ff. de liber. & poſthum. tum quia nolle, & non poſſe paria ſunt argumento, l. 1. §. vſus. ff. de procurat. & cap. prudentiam. §. adijcimus, extra de offic. delegat. intellige tamen ſemper ex teſtamẽto: ſecus ab inteſtato; nam ſi ille, qui inſtitutus eſt, nolit eſſe
3 hæres ex teſtamento, ſed velit omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato ſuccedere, nõ poteſt, ſed ſubſtitutus admittitur tex. eſt in l. 3. C. eod. Idem eſt dicendum ſi non poſſit eſſe hæres ex teſtamẽto, ſed ſolum ab inteſtato, quia ſubſtitutus adhuc admittitur. Exemplum, ſi filius Spurius à patre ſubſtitutus, mortuo patre, legitimetur, legitimatio non connalidat inſtitutionem Alexand. in l. Gallus. §. inſtituens. ff. de liber. & poſthu. poteſt tamẽ ſuccedere ab inteſtato, in præiudicium veniẽtiũ ab inteſtato, qui adhuc non adierunt hæreditatẽ, iuxta annot. in d. l. Gallus. §. & quid ſi tantum, fingamus modo filio ſpurio datum fuiſſe ſubſtitutũ vulgarem, & is ſpurius poſt legitimationem velit ſuccedere ab inteſtato, non poterit, ſed ſubſtitutus admittetur, quia ita demum hæres excludit ſubſtitutum, ſi ſuccedat ex teſtamento, ſecus ſi ſuccedat ab inteſtato, ita ex mente omniũ notat Curt. iun. in d. l. 3. C. eod. & ſic ſecundum hanc declarationem debet intelligi titulus. Si quis omiſſ.
4 cauſ. teſtam. quòd ſcilicet, inſtitutus hæres, qui alias ſucceſſurus eſſet ab inteſtato, poſſit ſuccedere tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, dum tamen non adſit ſubſtitutus, qui velit ſuccedere.

Quotuplex ſit vulgaris ſubſtitutio.

SVbſtitutio vulgaris duplex eſt: Expreſſa, & Tacita. Expreſſa dicitur, quæ fit verbis ex-
3 preſſis; veluti Titius hęres eſto; & ſi Titius hęres non erit, vel ſi Titius hęres eſſe noluerit, aut non potuerit (idem enim eſt, vt ſupra diximus) Caius hæres eſto, d. l. 1. hoc tit. & d. l. 1. ff. eodem. Tacita dicitur illa, quæ continetur ſub expreſſa pupillari, ſub exemplari, ſub reciproca, & cõpendioſa, de quibus infra tit. proximo videbimus.

SVMMARIVM.

1 *Tot gradus ſubſtitutionum fieri poſſunt, quot teſtator voluerit.*
2 *Quantum datum eſt vni in inſtitutione tantum, & in ſubſtitutione ei datum eſſe cenſetur.*
3 *Subſtitutus ſubſtituto, cenſetur quoque ſubſtitutus inſtitutio.*
4 *Effectus ſubſtitutionis varij, & multi ſunt.*
5 *An vulgaris facta imparibus ſeparatim comprehendat tacitam pupillarem.*
6 *Qualiter extinguatur vulgaris ſubſtitutio.*
7 *Si plures inſtituti ſint hæredes, & eis datus ſit ſubſtitutus, an vno adeunte expiret ſubſtitutio.*

§. Et ſi ex diſparibus, & §. ſed ſi inſtituto.

Qualiter, & quomodo vulgaris ſubſtitutio fieri ſoleat.

1 LIcitum eſt teſtantibus tot gradus ſubſtitutionum facere, quot volunt: proinde plures in locum vnius, vnum in locum plurium: itẽ ſingulos ſingulis, & plures inuicem, vulgariter ſubſtituere poſſunt, d. §. 1, hoc tit. & l. 36. ff. eod. Sed dubium eſt, cum teſtator plures hæredes inſtituit ex partibus inæqualibus, & deinde eos inuicem ſubſtituit, ad quam partem ſinguli admittantur, & placuit eos admitti pro rata, vt ſup. tantum videatur ſingulis in ſubſtitutione datũ, quan-
2 tum in inſtitutione, §. et ſi ex diſparibus, hoc titu. Aliud dubium eſt, pone teſtator Titium, & Caiũ hæredes inſtituit, poſtea Caium Titio ſubſtituit, & deinde Sempronium Caio pariter ſubſtituit, an vtroque, Titio ſ. & Caio repudiante, Sempronius ad vtramque partem admittatur; & placuit
3 admitti, ea ratione, quia ſubſtitutus ſubſtituto, videtur quoque ſubſtitutus inſtituto, §. ſed ſi inſtituto, hoc tit. & l. 27. ac 41. ff. eodem.

Qui ſint effectus vulgaris ſubſtitutionis.

VArij, & multi ſunt effectus vulgaris ſubſtitutionis. Primus eſt, quòd ſubſtitutus nunquam admittitur, donec inſtitutus adire poteſt, l. quandiu, la 1. & 2. ff. de acquir. hęred. Bat. & omnes in l. 1. ff. eod. quæ quidem, adeundi poteſtas tranſmittitur etiam ad hęredes inſtituti in caſu, l. vnicę. C. de his, qui ante apert. tab. quando ſ. inſtituti ſunt deſcendentes, tunc enim hęredes inſtituti, ſi & ipſi deſcendentes ſint, iure tranſmiſſionis hęreditatem non aditam adire, & ſubſtitutum excludere poſſunt, d. l. vnica. Ratio eſt, quia nemo pręſumitur poſteritatem alienam pręferre ſucceſſioni ſuę, & filiorum ſuorum, l. cum acutiſſimi, C. de fideicommiſſ. Secundus eſt, quòd per vulgarem ſucceditur teſtatori, & non ei cui facta eſt ſubſtitutio Doct. omnes in d. l. 1. Tertius eſt, quòd teſtamentum poteſt aſſumere vires ab hac ſecunda inſtitutione, vt dicit Bart. in d. l. 1. cum quo omnes pertranſeunt. Quartus eſt, quòd ſubſtitutio vulgaris impedit ius accreſcendi, Angel. in d. l. 1. §. fin. in fine, & omnes conſentiunt. Sextus, & vltimus eſt, quòd vulgaris per partem filio impubere, & in eius poteſtate exiſtẽti facta, porrigitur

etiam

etiam ad casum pupillaris substitutionis, si cōtingat filiū, adita iam hæreditate decedere in pupillari ætate tex. est in l. 2. §. fi. & in l. iam hoc iure. ff. eod. Et sic substitutus admittitur ex tacita pupillari contenta in expressa vulgari. Fallit si fiat substitutio duabus personis imparibus. i. diuersæ æta
4 tis, & conditionis, quia tunc nō intelligitur facta in vtrunque casum, nec vulgaris in hoc casu trahitur ad pupillarem tacitam; & ratio est, vt seruetur æqualitas inter personas, quibus facta est substitutio. Exempli gratia. Testator instituit filium, & vxorem, & illis substituit vulgariter, si hæredes nō essent, filius adiuit hæreditatem, & impubes decessit, quæritur an substitutus admittatur ex tacita pupillari, comprehensa in expressa vulgari, & deciditur in l. 4. C. eod. quod non. Quid tamen si facta sit vulgaris imparibus, sed separatim, an cōprehendat pupillarem, Cyn. in d. l. 4. post Petr. & Iaco. de Ranenna, tenet quòd non: contrarium,
5 quod imò contineat pupillarem in persona pupilli, licet non cōtineat in persona maioris, tenet Bald. f. Angel. Fulgos. & Castren. ibidem, quorum opinio verior est, & mihi magis probatur.

Quomodo extinguatur vulgaris substitutio.

CEssat vulgaris substitutio, eo ipso, quod primus hæres hæreditatem acquirit, l. 5. C. eod. & hoc optima ratione, quia si non extingueretur post aditam hæreditatem, sequeretur, quòd duo
6 possent esse hæredes directi in solidum. s. institutus, & substitutus, quod est falsum, l. si vt certo, §. si duob. ff. commodat. Nec obstat tex. in §. fi. hoc tit. nostro, vbi æqualiter institutus, & substitutus admittūtur, quia illud singulari iure statutum est in seruo alieno, hærede instituto ab eo, qui ipsum liberum esse credebat, & hoc propter errorē testatoris, qui si eum seruum credidisset, forte hęredem non instituisset. Sed magna apud Doct. quæstio est, si plures instituti sint hæredes, & eis datus sit substitutus; An vno adeunte expiret substitutio. Ego pro resolutione considero duos casus.

Primus casus est, quando substitutio facta est omnibus copulatiuè, siue coniunctim, vt puta, dicendo, si Titius, & Seius hæredes non erunt, & in hoc casu vno adeunte expirat substitutio: & ratio est, quia ad veritatem copulatiuæ, necesse est, quamlibet partem esse veram, l. si quis ita. ff. de verb. obligat. tradit Bart. Socin. Rip. & alij in l. 1. ff. eod. Idem est si dictum sit, si Titius, si Seius, & hoc, quia oratio soluta habetur pro coniuncta, Bart. & Doct. in l. re coniuncti, ff. de leg. tertio, vel si neque Titius, neque Seius, quia dictio, neque, & dictio, nec habent vim copulæ, Bart. in l. si is, qui ducenta. ff. de rebus dub. idem quoque dicendum est, si duobus institutis datus sit substitutus sub hac conditione, si vterq. hæres non erit, quia adhuc vno adeunte, expirat substitutio Socin. & Rip. in d. l. 1. & ratio est, quia dictio vterq. est dictio collectiua, & per eam requiritur concursus vtriusque secundum verbi proprietatem, Bart. in l. hoc art. ff. de hæred. instit. Idem est, si dictum sit, si quilibet hæres nō erit, vel si ambo, aut si omnes non erunt hæredes, quia adhuc vno adeunte expirat substitutio, Bart. Rip. & alij communiter in l. hæredes mei, §. cum ita. ff. ad Senatusc. Trebell.
7 Secundus casus est, quando substitutio facta est duobus, vel pluribus, separatim, & tunc vno adeunte, non expirat, quo ad omnes, sed verificatur in parte, ita vt vno repudiante, vel defuncto, ante aditionem, substitutus vocetur in eius partem, & in hoc casu intelliguntur omnia iura, quæ dicūt, substitutum præferri coniuncto, l. 1. §. si duo. ff. de bonor. possess. secundum tabul. & ius substitutionis vincere ius accrescendi, l. vnica. §. pro secundo. C. de caduc. tollen. Exemplū de substitutione separatim facta habemus, si dicatur, hoc modo. Si Titius hæres non erit substituo Caium, si Caius hæres non erit, substituo Seium. Idem dicendum est, quando substitutio facta est pluribus alternatiuè, vel distributiuè, alternatiuè, veluti, si Titius, & Seius hæredes non erunt, ratio est, quia in alternis sufficit alteram partem esse veram, cap. in alternatiuis, de reg. iur. in 6. Distributiuè, vt si dicatur: si quis ex prædictis hæres non erit, ratio est, quia distributiuum perinde operatur, ac si factæ essent plures dispositiones separatim, l. sicut in annos, ff. quib. mod. vsusfruct. amittat. l. qui filiab. §. si quis ita. ff. de legat. 1. & ita tenet Angel. Castren. Imo. & Rip. in l. hæredes mei, §. cum ita. ff. ad Senatusc. Trebell. Fallit tamen hic secundus casus, quoties persona, quæ adiuit hæreditatem, verisimiliter esset magis dilecta, quàm substitut°, puta, quia esset de liberis testatoris, nam alternatiua in hoc casu, siue distributiua, resoluitur in coniunctam Bart. Angel. Ripa, & omnes communiter in d. §. cum ita, probatur per l. si is, qui ducenta, §. item si paterfamilias, ff. de reb. dub. quo loci testator ita instituit, & substituit: si quis fili°, aut filia mihi nascetur, heres esto, si filius, aut filia hæres non erit, tunc Seius hæres esto, talis dispositio sic interponenda est, vt siue filius, siue filia nati fuerint, extraneus non admittatur.

SVMMARIVM.

1 *Verba illa si hæres non erit, habent, & alium sensum, videlicet, & si alium hæredem non fecerit.*
2 *Ingressus Monasterium, Monasterio acquirit.*

§. Fin.

DEclarat Imperator in hoc §. fin. quomodo intelligantur verba illa, si hæres non erit, & vltra supradictos duos intellectus, quos supra
1 posuimus. s. si noluerit, vel non potuerit esse hæres; addit tertium, videlicet, & si alium hæredem non fecerit, quē sensum, quādo huiusmodi verba habeant, sic distinguendum est: nam aut homo sui iuris institutus est, & in eo intelliguntur. i. si non

non mutata cōditione ad sui vtilitatem adiuerit, aut mutata, si alium hæredem non fecerit, puta,
2 quia Monasteriū ingrediatur, cui acquirit Auth. Ingressi.C.de Sacrosf.Eccl.vel quia det se in adrogationem alterius, vel seruus efficiatur, & domini, aut patris adrogatoris iussu non adeat. Aut institutus est homo alieni iuris; & tunc aut testator sciebat illum sui iuris non esse, aut ignorabat.

Primo casu intelliguntur, non mutata conditione, si alium hæredem nō fecerit: mutata si ad sui vtilitatem ipse non adiuerit, vt in l.si paterfamilias, ff.de hęred.instit.

Secundò casu, quando ignorabat, rursus distinguendum est, quia aut constat quidnam testator voluerit circa hoc, puta, an voluerit totū acquiri domino instituti, vel substituto, & illi acquiritur, aut non constat, & tunc ambobus pro ęquali portione, Alciat.lib.1.dispunct.cap.2.Oddus de substitut.pręlud.par.2.q.5.in ptin.sui, ita intelligitur tex.noster hic, & in d.l.si paterfamilias, verioreq. & ęquiorem sententiam esse affirmat. Vide omnino Herman. Vulteium hic, qui hunc locum summa eruditione exponit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit pupillaris substitutio, & quibus verbis fieri soleat.*
3 *Differentia inter vulgarem, & pupillarem substitutionem.*
4 *Pupillaris substitutio, quotuplex sit.*

DE PVPILLARIS SVBSTITVTIONE.
Titulus XVI.

§. Primo, & §. Igitur.

1 VIdimus de vulgari substitutione, nunc de pupillari altera, & secunda directę substitutionis specie, & concordat tit. ff.de vulg. & pupill.& C.de impub. & alijs substitut.

Quid sit pupillaris substitutio.

PVpillaris substitutio est ordinatio, qua pater in suo testamento liberis suis impuberib. in potestate existentibus hęredibus institutis alium hęredem substituit, eamque substitutionem intra
2 pubertatis tempora coercet, §.1.hoc tit.l.1.& ff. eod.l.7.C.de impub.& alijs substitut.

Quibus verbis pupillaris substitutio fieri soleat.

HIs, aut similibus verbis, eundem effectum importantibus, pupillaris substitutio fieri solet; videlicet, filium meum hęredem instituo, & si in pupillari ętate decesserit Caium ei substituo, d.§.1.hoc tit.& d.l.1.& 2.ff.eod. quandoque tamen etiam coniunctim pupillaris cum vulgari fieri solet, veluti: si filius meus hęres non erit, vel si erit, & in pupillari ętate decesserit, §.igitur, hoc tit. Item potest pater, si fortè dubitet de morte filij, vulgarem palam facere, & pupillarē, postea separatim ponere eamque particulariter consignare, d.§.igitur, versic.finautem.

Quæ differentia sit inter vulgarem, & pupillarem substitutionem.

DIfferunt inter se vulgaris, & pupillaris sub-
3 stitutio. Primò, quia vulgaris à quouis testatores, Pupillaris à solis parentib.fieri potest. Secundò, vulgaris aditione hęreditatis expirat, Pupillaris adueniente pubertate. Tertiò, vulgaris competit iure communi, Pupillaris iure singulari, quandoquidem pater pro filio, & sic vnus pro alio testatur, contra cōmunes iuris regulas, & ita pupillus decedit testatus, qui p ętatē testari non potest, d.§.1.in fi. Sicq. duo censentur testamenta. Vnum patris, alterum filij, ac si filius sibi hęredem instituisset. Vel vnum testamentū duarū causarum, & hęreditatum, d.§.igitur, hoc tit.

Quotuplex sit pupillaris substitutio.

PVpillaris substitutio duplex est. Expressa, & Tacita, quemadmodum, & de vulgari diximus. Expressa est illa, quę verbis expressis concipitur; veluti, si dicatur, si filius meus in pupil-
4 lari ętate decesserit, Caius hęres esto. Tacita est illa, quę cōtinetur in expressa vulgari legis interpretatione; veluti, cum pater dicit. Filius meus hęres esto, & si hęres non erit, Caius hęres esto: hęc enim est vulgaris expressa: modo si filius adiecit hęreditatem, & intra pupillarem ętatem decesserit, ex tacita pupillari, quę oritur ex pręsumpta mente testatoris, admittitur substitutus, l.2. §.fin.& 4.ff.eod. Item tacita pupillaris est etiam illa, quę comprehenditur in reciproca, & cōpendiosa, de quibus infra in suo loco videbimus.

SVMMARIVM.

1 *Requiritur in pupillari substitutione, vt ille, cui substituitur sit de numero liberorum.*
2 *Item requiritur, quòd sit in potestate.*
3 *Mater pupillariter substituere non potest.*
4 *Pater pupillariter substituere non potest, nisi, & sibi testamentum faciat.*

§. Liberis, & §. Substituitur.

Quæ requirantur ad hoc, vt pupillaris substitutio valeat.

1 PRimò requiritur, vt ille, cui substituitur sit de numero liberorum, vel descendentium, §.1. hoc tit. & l.2. ff.eod. Id quod olim in adoptiuis etiam procedebat, vt in d.l.2. hodie tamen, cum non

non omnes adoptiui transeant in potestatem adoptantis,ijs, qui non transeunt, pupillariter substitui non potest,vt glo.Bart. & omnes in d.l.2.

Secundo requiritur,quòd sit impubes,hoc est, masculus minor 14.ann.& fœmina 12.§.substituitur,hoc tit.& d.l.2.ff.eod.

Tertiò, quòd sit in potestate substituentis, d. §.1.& d.l.2. & l.7. C.de impuber.& alijs substit.
2 Ex quo sequitur, quòd mater cum filios in potestate non habeat,eis pupillariter substituere non
3 potest,sed solum post pubertatem vulgariter,aut per fideicommissum,l.33.ff.eod. Item nec pater filijs naturalibus,cũ eos in potestate non habeat, nec emancipatis, etiam attento iure nouissimo, nam licet eo iure sublato sit differentia inter suos & emancipatos, id tamen habet locum ab intestato,non ex testamento Doct.in d.l.2. sed quæro, quid si facta sit pupillaris, à matre filio suo, vel à patre,filio tamen naturali,aut emancipato; cum non valeat tãquam pupillaris,an valeat alio modo,glo.in l.verbis ciuilibus,ff.eod.voluit,eam valere in vim fideicommissariæ, quæ opinio est communis teste Ias.in d.l.2.num.6.

Quartò requiritur,quòd ex morte substituentis filius efficiatur sui iuris,& in alterius potestatem non incidat, ideo si auus nepoti suo substitueret, qui post eius mortem in potestatẽ patris
4 recasurus esset, nulla esset substitutio,d.l.2.

Quintò requiritur, vt pupillus ante mortem naturalem patris in potestate eius esse non desinat,vt omnes in d.l.2.Bart.num.14.Alexan.num. 30.Ias.num.21. Ripa num.17.& est tex. in l.cohæredi,§.cum filiæ,ff.eod.

Sextò requiritur, quòd pater sibi etiam testamentum faciat, nam soli filio testamentum facere non potest,nisi sit miles,§.liberis,hoc tit.& d. l.secunda,§.1.

Septimò, & vltimo requiritur, quòd pupillus omnino institutus, vel exhæredatus sit,non autẽ præteritus,d.l.2.& ratio est, quia cum per præteritionem testamẽtum sit nullum, pupillaris quoque substitutio esset nulla, quæ pars, & sequela testamenti est,d.§.liberis.

SVMMARIVM.

1 *Pupillariter substitui potest filijs impuberibus in potestate, tam natis, quam posthumis, ac ceteris descendentibus primi gradus.*
2 *Extraneo, vel filio puberi substitui pupillariter non potest.*
3 *Effectus pupillaris substitutionis.*
4 *Pupillaris expressa matrem excludit.*
5 *Pupillaris contenta sub compendiosa similiter matrem excludit.*
6 *Pupillaris contenta in vulgari non excludit matrem.*
7 *Quando, & in quibus casibus pupillaris contenta in vulgari matrem excludat.*
8 *Pupillaris substitutio qualiter finiatur.*

§. Illud palam, §.quæcunque,& fin.

Quibus pupillariter substitui possit.

1 Pupillariter substitui potest. Primo, filijs impuberibus in potestate existentibus, d.§.1. & hoc,vel nominatim,vt filius hæres esto ; & si intra pupillarem ætatem decesserit . Caius hæres esto : aut generaliter, vt quisquis mihi hæres erit, idẽ filio meo impuberi hæres esto, d.§.substituitur: differentiam inter vnam,et alteram substitutionem,vide apud Mysing.hic. item, vel singulis liberis,vel ei, qui eorum nouissimus impubes morietur, substitui potest, d.§.liberis, et singulis quidem testator substituit,cum neminem eorum intestatum decedere ; nouissimo verò,cũ integrum inter liberos legitimarum hæreditatũ ius custodiri vult, et sic cum vult, vt vnus succedat alteri,d.§.liberis . Secundo etiam nepotibus, et ceteris vlterioris gradus , modo sint in primo gradu potestatis testatoris Doct.omnes in d.l.2. Tertio,tam natis, quam posthumis,§.illud palã,
2 et §.quæcunque hoc tit. Quarto etiam filio exhæredato, quo casu si quid ei obuenerit ad substitutum pertinet,d.§.illud palam,versic. non solum. Extraneo vero, vel filio puberi directè substitui non potest,sed solum fideicomm. §.fin.hoc tit.

Qui sint effectus pupillaris substitutionis.

Varij sunt effectus pupillaris substitutionis.
3 Et primus est,quod pupillaris expressa cõtinet vulgarem tacitam,l.iam hoc iure, ff.eod.

Secundus effectus est , quod per pupillarem succeditur pupillo, non testatori, l. cohæredi, §. cum filiæ, ff.eodem.

Tertius est, quod pupillaris excludit matrem à testatore præteritam, quam ipse pupillus præ-
4 terire non posset, l.precibus, & ibi Ias.Curt.iun. & alij omnes, C.de impuber. & alijs substit.cap. si pater, de testamen. in 6. nec obstat si dicatur, quod non debet plus posse is,qui facit actum nomine alterius,quam is,cuius nomine fit: quia procedit,quando ille gerit vicem alterius in omnibus, & per omnia, sed in casu nostro, quamuis pater faciat testamẽtum pro filio, non tamen intelligitur facere nomine filij,sed nomine proprio pro filio,ita declarat Bart.in l.Papinianus, §.sed neque impuberis,ff.de inoffi.testam. Ampliatur,
5 vt procedat etiam in pupillari contenta sub compendiosa, quia & hæc similiter matrem excludit, d.l.precibus, & ratio est, quia contenta in compendiosa nõ est omnino pupillaris tacita, sed expressa,saltem in genere : expressum enim dicitur tripliciter, in genere, in specie, & in singulari, ita docet Bart.in l.1.ff.eod. Fallit tamen in pupillari
6 tacita comprehensa in vulgari, quia hæc non excludit matrem, ita glo.Bart. Alberic. Castren. Ias. & omnes communiter in d.l.precibus, quicquid

dicat

dicat Fulgos. in l. fi. C. de institut. & substitut. Dec. & Curt. in d. l. precibus, necnon Paulus Leonius in suo tract. de substitut. in tit. de vulg. nu. 14. nec solum hoc locum habet, in matre, vt. s. non excludatur, sed etiam in auia, tam paterna, quam materna, Bart. Ias. & Rip. in l. 2. ff. eod. Intellige nisi substitutus esset frater pupilli, quia tunc, etiã per tacitam pupillarem comprehẽsam in vulgari, excluditur mater, si sit frater vtrinq. coniunctus, vel etiam consanguineus secundum Docto. cõmuniter tam in d. l. precibus, quã etiam in d. l. 2. & ratio est, quia præsumitur, quod pater plus diligat filios, quã vxorem. i. matrẽ filij, iuxta tex. in l. pen.
7 C. de impub. & alijs substit. Dixi si sit substitutus frater vtrinq. coniunctus, vel cõsanguineus, quia in vterino hoc non procedit, cum in eo paternæ dilectionis ratio cesset: similiter non procedit in fratre testatoris, patruo ipsius pupilli; alia ratione, quia. s. hæreditas pupilli defuncti, est magis luctuosa matri, quàm patruo, ita dixit Bald. in d. l. precibus, & Doctor. omnes in d. l. 2. ff. eod.

Quando finiatur pupillaris substitutio.

8 Finitur pupillaris substitutio. Primo, adueniente pubertate, §. substituitur, hoc tit. & l. 14. ff. eod. Secundo, si filius viuente testatore de eius potestate exeat, l. 41. §. cum filiæ, ff. eod. Tertio, si institutus tempore quo cedit dies substitutionis non sit capax hereditatis, l. 11. ff. eod. Quarto, si pater deportetur, nam tunc cum testamentum patris infirmetur, pupillaris quoque substitutio euanescere debet, quæ quodammodo testamentum filij, pars, & sequela paterni testamenti esse censetur, §. liberis, hoc tit. & l. si quis. filio, §. irritum, ff. de iniusto rupto irritoq. facto testamẽto. Quinto, deficiente conditione in substitutione apposita, l. 8. & ibi glo. & 38. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Exemplaris substitutio quid, & vnde dicta.*
2 *Quotuplex sit.*
3 *Quæ requirantur ad hoc, vt valeat.*
4 *A quo fieri possit.*
5 *Cui fieri possit.*
6 *Qui sint effectus.*
7 *Qualiter finiatur.*
8 *An natiuitate filij naturalis euanescat substitutio.*
9 *Quid sit reciproca substitutio.*
10 *Quid compendiosa.*

§. Qua ratione.

Diximus de vulgari, & pupillari; nunc iusto ordine sequitur de exemplari: ad cuius cognitionem sciendum est, olim ante Iustinianum, parentib. substituere filijs puberibus, prætextu infirmitatis minime cõcessum fuisse, nisi à Principe impetrarent licẽtia, vt habetur in l. ex facto, ff. eod. Verum, quia magna cũ difficultate expediunt ea, quæ cũ principib. gerenda sunt, l. 40. ff. de lega. 1. Ideo Iustinianus parentib. permisit, vt sine impetratione ad exemplũ pupillorũ possint substituere filijs furiosis, vt hic, & in l. humanitatis, C. eod.

Quid sit exemplaris substitutio.

Exemplaris substitutio dicitur illa, quã parentes faciunt liberis suis, qui propter furorem testamentũ facere non possunt, per hæc, vel simi-
1 lia verba; si filius in furore decesserit, §. qua ratione, hoc tit. & l. ex facto, ff. eod. Dictaq. est exẽplaris, quia ad exemplũ pupillaris substitutionis propter humanitatem quandam à Iustiniano nostro parentibus concessa fuit, l. humanitatis, C. eod.

Quotuplex sit exemplaris substitutio.

Duplex, Expressa, & Tacita. Expressa est illa, quæ fit verbis expressis, veluti si dicatur, & si filius meus hæres erit, & in furore decesserit,
2 substituo Caium. Tacita est, quæ tacitè continetur sub alijs substitutionibus, de quibus Ripa, & alij in l. ex facto, ff. eodem.

Quæ requirantur ad hoc, vt exemplaris substitutio valeat.

Primò requiritur, vt ille, qui substituitur sit de descẽdentibus, nam cũ hæc substitutio humanitate introducta sit, humanus quoq; illi tractãdi sunt, quibus infœlicitas furiosi afflictionẽ parit, & quos propter sanguinis cõiunctionẽ, furiosus ipse, si posset, institueret, d. l. humanitatis. Deficiẽtibus postea descendẽtibus fratres furiosi secũdo loco substitui debent, d. l. humanitatis fratres in materia nostra intelligunt, qui sunt in secũdo gradu, iuxta leges ciuiles, & in primo secundũ leges Potificias, nõ autẽ fratres patrueles, qui ex duob. fratrib. generantur Bart. in l. Lucius 91. §. q̃situm, ff. de lega. 3. sed an debeãt esse vtrinq. cõiuncti, vel sufficiat, qd' sint ex vno latere tñ, vide Bar. in d. l. ex facto, & ibi Ripa, nũ. 88. his demũ deficientib. potest testator substituere quos vult, d. l. humanitatis, Bal. tamen in d. l. humanitatis, nu. 32. & Ias. in d. l. ex facto, num. 43. tertio loco, post fratres, matrem debere substitui aiunt, quorũ opinio tanquam æqua est tenenda, secundum Gomez. var. resolut. cap. 6. nu. 7. licet Doct. contrarium communiter teneant, vt per Bart. nu. 30. Alex. nu. 43. & alios in d. l. ex facto: maxime cum ista substitutio fundetur in æquitate, & humanitate, vt in d. l. humanitatis: qua ratione idem dicendum est, quando mater substituit filio extante patre.

A quo exemplaris substitutio fieri possit.

Exemplaris substitutio fieri potest, tam à patre, quam à matre, d. l. humanitatis, C. de impub.

pub. & alijs substitut. & sic in hoc differt à pupillari, quæ à patre tantum fieri potest, vt diximus supra. Sed si exemplaris substitutio fiat ab vtroq. parente, quæ præualere debeat, distinguendũ est: nam aut sumus in bonis maternis, & tunc substitutus à matre præfertur, aut paternis, & tunc substitutus à patre, Ripa in d.l. ex facto, nu. 94. & 96. qd tamen si mater transeat ad secundas nuptias? communis est, quòd non possit substituere, Bar. in d.l. ex facto, & ibi Ripa, nu. 66. qui dicit communẽ, & fundatur per tex. in Auth. matri, & auię, C. quando mulier tutelæ offic. fungi poss. vbi mulier per transitum ad secunda vota amittit tutelã filij. An idem dicendum sit de patre transeunte ad secundas nuptias, Angel. in d.l. ex facto tenet, cum non priuari, ea ratione, quia non priuatur
4 administratione bonorum filij, & est communis secundum Vasq. §. 17. num. 32.

Cui exemplaris substitutio fieri possit.

OMnibus descendentibus vtriusque sexus, §. qua ratione, hoc, & d.l. humanitatis, C. de impuber. & alijs substit. filio tamen naturali à patre exemplaris substitutio fieri nõ potest, licet à matre sic, ratio differentiæ est, quia exemplaris potest fieri illis tantum, quibus debetur legitima, sed filio naturali pater non tenetur relinquere le
5 gitimam, l. 2. in fin. C. de alend. liber. glo. in l. 1. C. de bonor. possess. contra tab. At mater tenetur, nisi sit illustris, Vasq. de success. progress. §. 17. nu. 20. qui testatur de communi, & habet filium naturalem necessarium hæredem, quando nõ habet filios legitimos, l. si suspecta, §. 1. ff. de inoffic. testam. Ideo nil mirum est, si mater filio naturali exemplariter substituere potest. An autem fieri possit filio exhæredato, communis est, non posse fieri Bart. in d.l. ex facto, vbi Ripa, nu. 71. dicit cõmunem, & in hoc differt à pupillari, in qua sufficit, quod filius sit institutus, vel exhæredatus, sed hic necesse est, vt omnino sit institutus.

Qui sint effectus exemplaris substitutionis.

PRimus effectus est, quòd exemplaris expressa
6 continet vulgarem tacitam Doct. communiter in d.l. ex facto per rationem, l. iam hoc iure, ff. eod. & refert ibi Ripa, num. 79.

Secundus effectus est, quòd exemplaris, ita trahitur ad omnia bona furiosi, sicut pupillaris.

Qualiter finiatur exemplaris substitutio.

EXemplaris substitutio finitur, primo cessante furore tex. est in d.l. humanitatis, in versic. ita tamen. Quid si cessauerit, & postea reuersus sit
7 furor, an substitutio recõualescat, communis est, eam reconualescere, Bart. in d.l. ex facto, vbi Ias. & Ripa. Secundo finitur, quoties nascuntur filij ipsi furioso, id quod sine dubio procedit, si filij sint legitimi, & naturales, sed dubium est, an nati-
8 uitate filij naturalis euanescat substitutio, & Bart. in d.l. ex facto existimat eam euanescere, cõtrarium tenet Bald. cuius opinio est communis, & verior, Vasq. d. §. 17. nu. 82. & facit, quia semper lex loquẽs de liberis, intelligi debet de legitimis, nõ de naturalibus, l. generaliter, §. vlt. C. de instit. sub condit. fact. cum similibus, & hęc de exẽplari dicta sufficiãt. Nunc ad alias species deueniam, de quibus licet ab Imperatore hic nulla mentio fiat, nos tamen, vt totius substitutionis materię perfecta cognitio habeatur, aliqua breuiter subijciemus, & in primis de reciproca videbimus.

Quid sit reciproca substitutio.

REciproca substitutio est, quando plures vna verborum conceptione instituuntur, & postea inuicem substituuntur, vt vos inuicem sub-
9 stituo, l. 4. ff. eod. Huius substitutionis, vnus effectus, illeq. mirabilis est, videlicet, ꝙ sub se continet huiusmodi substitutio, & vulgarem, cum quilibet intelligatur substitutus, si alter nõ sit hęres, l. iam hoc iure, ff. de vulg. & pupill. si sit facta filijs impuberibus in potestate, d.l. iam hoc iure, & l. quamuis, C. de impub. & alijs substitut. & exemplarem, si sit facta duob. filijs furiosis, Bart. Alex. & alij in l. Lucius, ff. eod. proinde à Doctorib. etiã breuiloqua dicitur, quia s. breuioratione complectitur plures substitutiones secũdum qualitatem personarum ad quas refertur.

Quid sit compendiosa substitutio.

COmpendiosa substitutio est illa, quæ sub verborũ cõpendio plures substitutiones cõple-
10 ctitur, & fit per hæc verba: Quandocunq; hæres decesserit, substituo, his. n. verbis exprimit, primo vulgaris, qa intelligit, si hęres nõ erit. Secũdo pupillaris, si fiat filio pupillo ĩ potestate. Tertio exẽplaris, si fiat filio maiori furioso. Quarto etiam fideicõmissaria si decedat post pubertatẽ, l. impuberum, & ibi Doct. C. de impub. & alijs substit. l. Centurio, vbi Bar. & alij, ff. eod. proinde etiã cõpendiosa dicitur hæc substitutio, quia s. sub compendio verborum potest comprehendere substitutiones omnes directas, & fideicommissariam.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quot modis testamenta infirmentur.*
3 *Qualiter infirmentur ipso iure.*

QVIBVS MODIS TESTAMENTA infirmentur. Tit. XVII.

1 HActenus qualiter testamenta nõ iure fiant, nũc qualiter iure facta infirmẽt, & cõcordat tit. ff. de iniust. rupt. irritoq. facto testam.

Quot

Quot modis testamenta infirmentur.

2 DVpliciter testamenta infirmantur, vel ipso iure, vel officio iudicis, de primo modo agitur in hoc tit. de altero in tit. sequenti.

Qualiter testamenta ipso iure infirmentur.

3 DVobus modis ipso iure testaméta infirmãt; vno modo cũ rumpitur, altero cũ fit irritũ.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit testamentum ruptum.*
2 *Quot modis rumpatur.*

§.1.2. Ex eo autem, & fin.

Quid sit testamentum ruptum.

1 QVod ab initio valet, sed ex post facto infirmatur, manente testatore in eodem statu, §.1. & 2. hoc tit. l.1. & 2. ff. de iniusto rupto irritoque facto testamento.

Quot modis rumpatur.

RVmpitur. Primò, agnatione sui hæredis, veluti posthumi natiuitate, l.3. ff. de iniusto rupt. Secundò, arrogatione, vel adoptione filij
2 ab ascendente post testamentum facta, d. §. 1. hoc tit. & l.8. ff. eod. de iniust. rupt. Tertiò, per testamentum posterius legitimè factum, d. §. 1. & 2. hoc tit. & l.1. ff. eodem. Dixi, legitimè factum, quia si non legitimè factum sit, nullius valoris est, etiam si in eo princeps scriptus esset hæres, §. ex eo autem, & fin. hoc tit. imo nec legitimè factum valet, si litis causa Princeps in eo scriptus sit hæres, d. §. fin. & tot. tit. ff. de alienat. iudic. mutand. causa fact.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit irritum testamentum.*
2 *Quot modis fiat irritum.*

§. Alio autem modo, & §. non tamen.

Quid sit irritum testamentum.

1 IRritum testamẽtũ est, quod ab initio valet, sed postea ex mutatione status testatoris infirmat, §. alio autẽ modo, hoc tit. & l.6. §. irritum, ff. eod.

Quot modis fiat irritum.

PRimò, per quamlibet capitis diminutionem ipsius testatoris, d. §. Alio autem modo, & d. l.6. §. irritum, nisi testator sit miles, §. sed, & si quis, supra de milit. testam. Idque verum est de iure ciuili, sed de iure prætorio, testatore pristinũ statum tẽpore mortis recuperante reconualescit, §. non tamen, hoc titu. & l. qui ex liberis, §. testamento, ff. de bonor. possess. secundum tab.
2 Secundò, fit irritum, si hæres scriptus non adierit hæreditatem, l.1. in fi. ff. eod.

Tertiò, testatore, seipsum pœnæ metu interficiente, l.6. §. eius, qui, ff. eodem, l.2. C. qui testamen. facere possunt.

Quartò, quando filius, vel alius hæres scriptus non liberat patrem, aut testatorem captum ab hostibus, tunc enim efficitur irritum testamẽtum antea factum, & hæreditas ecclesiæ applicatur ꝑ aliorum captiuorum redemptione, Auth. si captiui, C. de episc. & cleric.

Quintò, si testator post conditum testamẽtum furiosus effectus sit, & hęres institutus eum curare neglexerit, §. si quis de prædictis, Auth. vt cum de appellat. cognoscit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quid sit testamentum inofficiosum.*

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO. Titulus XVIII.

In principium tituli.

1 PRoponitur nunc secundus modus, quo officio iudicis, & per sententiam, mediante querela inofficiosi, testamentum infirmatur, & concordat tit. ff. & C. de inoffic. testam.

Quid sit inofficiosum testamentum.

2 INofficiosum testamentum est, quod contra officium, & pietatem à parentibus fit, qui sine iusta causa, excludunt liberos suos à successione hæreditatis, ad quam natura eos, & commune parentum votum vocat, vt plurimum inducti nouercalibus delinimentis, vt hic in principio tit. & in l.1.2.3. & 4. ff. eodem.

SVMMARIVM.

1 *Querela inofficiosi datur omnibus descendentibus.*
2 *Naturalibus, & spurijs non datur.*
3 *Ascendentibus quoque datur querela inofficiosi.*
4 *Collateralibus, quando detur querela inofficiosi, & quibus.*
5 *In posthumis hodie non est necessaria querela inofficiosi.*

§. Non autem, & §. Tam autem.

Quibus detur querela inofficiosi testamenti.

1 DAtur. Primò, omnibus descendentibus legitimis, & naturalibus, aut etiam legitimis tantum,

tantùm,veluti adoptatis ab ascendente,vel arrogatis,filijs,& filiabus, nepotibus,& neptib. in infinitum,§.non autem,& §.tam autem,hoc tit.na
2 turalibus verò,& spurijs non datur,nisi in testam. matris,l.si suspecta,§.de inofficioso,ff.eod.

3 Secundò,datur etiam omnibus ascendentibus vtriusque sexus in infinitum,obscurata eadem distinctione legitimorum,& naturalium:quia similiter pater naturalis non potest dicere testamētū inofficiosum filij,sed solū mater,d.l.si suspecta.

Tertiò,datur quoque collateralibus primi gradus,vt fratribus,& sororib. vtrinque coniunctis,
4 non autem vterinis, nec filijs fratrum,& hoc solum cum turpis persona à fratre instituta est,d.§. non autem,hoc tit.& l.fratres,C.eod.

Quartò,olim etiam posthumis,d.§.tam autē, hodie tamen cessat,quia si fuerint prēteriti, non
5 est necesse, testamentum mediante querela inofficiosi infirmari, sed ipso iure est nullum,vt supra diximus in §.posthumi,de exhęredat. liberorum.

SVMMARIVM.

1 *Quando cesset querela inofficiosi.*
2 *Quid sit legitima.*
3 *Quanto tempore querela inofficiosi excludatur.*

§.Sed hęc ita, §.si tutor,& fin.

Quando cesset querela inofficiosi testamenti.

INofficiosi testamenti querela cessat.

Primò, quoties aliud remedium competit, per quod filius legitimam consequi possit, d.§. tam autem, hoc tit.

Secundò,quando filius habuit integram legitimam,& olim quidem ex quocunque tit.secundū
1 tex.in §.fin.hoc tit. hodie tamen solum, quando iure institutionis habuit,§.aliud,& ibi glo. Auth. vt cum de appellat. cognoscit.

Tertiò etiam, quando habuit minus legitima, nam in hoc casu solum ad supplementum agere potest,§.sed hęc ita,hoc titu. & l.omnimodo.C.
2 eod. Est autem legitima,non vt olim quarta,sed tertia pars, si enim quatuor sint liberi, aut pauciores,sed si plures sint,tunc est semis,& sic dimidia pars,Auth.nouissima, & ibi Doct.C.eod.

Quartò cessat, quoties filius renunciat querelę,l.si quis filium in fine, C.eod.

Quintò, si per quinquennium filius post aditā hęreditatem tacuit,amplius querelam inofficiosi instituere nō potest,d.l.si quis filium, & l.scimus, §.fin.C.eod. non sic tamen ius agendi ad supplementum legitimę quinquennio excluditur, sed vsque ad 30.annos curat Ang.hic in §.1.nu.6.

Sextò,cessat querela tacita approbatione testamenti per ipsum filium facta. vt si agnouit legatum respectu suipsius,& non respectu alterius,§. si tutor,hoc tit.& l.nihil interest, ff.eod.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio,& concordantes tituli.*
2 *Quotuplices sint haredes.*
3 *Qui sint necessarij haredes.*

DE HÆREDVM QVALITATE, & differentia. Tit. XIX.

In principium Tituli.

1 CVm sępè hęredum mētio facta sit,inter eosq. multū discriminis adsit. Ideo particulariter in hoc tit.eorum differentię ab Imp.nostro recensentur.

Quotuplices sint hæredes.

2 HÆredes in triplici differētia sunt: necessarij tantum, sui,& necessarij, & extranei, §.1. hoc tit.

Qui sint necessarij hæredes.

NEcessarij hæredes sunt serui,eo quia velint, aut nolint hęredes esse coguntur,d.§.1. & l.1.C.de necessarijs seruis hęred.instit.idq. fauore dominorum introductū fuit, ne eorum, sed serui nomine,bona publica pręconis voce vendantur, quod maximè ignominiosum apud veteres fuit, vt tradit Cic.pro P.Quintio. Verum hodie huiusmodi genus hæredum apud Christianos, sublata seruitute, in vsu amplius non est.

SVMMARIVM.

1 *Qui dicantur sui,& necessarij hæredes.*
2 *Quare dicantur sui,& necessarij.*
3 *Quid sit suitas.*
4 *Quæ sint suitatis requisita.*
5 *Casus in quibus quis suus dicitur, etiam si non sit in potestate.*
6 *Ad hoc,vt quis suus dicatur nō solū requiritur,vt sit in potestate,sed etiam,vt sit in primo gradu.*
7 *Qui sint effectus suitatis.*

§. Sui autem.

Qui sui,& necessarij hæredes dicantur.

1 SVi,& necessarij hęredes sunt liberi omnes in potestate testatoris existentes,& quos nemo alius in gradu pręcedit,vt filius, filia item descendentes ex filio, non sic ex filia, quia hi patrisfamiliam sequuntur, §.sui autem,hoc titu. & l.1.§. suos.ff.de suis, & legit.hęred.

Quare dicantur sui,& necessarij.

SVi dicuntur, quia domestici hęredes sunt, & suus quasi proprius domi, ex suo corpore natus,

natus, non aliunde accitus hæres: vel quasi sui
2 ipsius hæres, cum filius, & pater vna, & eadem persona esse censeantur, l.fin.in fine, C.de impub. & alijs substitut. Necessarij, quia l.12.tabul.inuiti hæredes esse cogebantur, quod hodie tamen fecusest iure prætorio, à quo beneficium abstinendi, sicut & alij hæredes habent, d.§.sui, & l.necessarij, ff.de acquir.hæred.

Quid sit suitas.

3 SVitas igitur nihil aliud est, quam qualitas hæredum, qui primum locum in paterna potestate tenent, cōtinuationem dominij, necessitatēq. successionis ipso iure inducens, l.in suis, ff.de liber.& posth. Alcia.lib.5.Parerg.c.19.Ausonius.

Iusta quidem serie patri succedere verum,
Esse simul dominos, gratior ordo pijs.

Quæ sint suitatis requisita.

DVo præcipuè requiruntur ad hoc, vt quis suus esse dicatur.

4 Primò requiritur, quod sit in potestate illius, de cuius hæreditate agitur, d.§.sui, & l.Cornelia, ff.de testam. sunt tamen quidam casus, in quibus suitas locum habet, etiam si quis non sit in potestate patris, ita quod dicuntur sui, licet non sint in potestate, & hoc ex legis dispositione, non proprie, & verè, sed fictè, & interpretatiuè.

Primus casus est in posthumo, qui antequam nascatur non potest dici in potestate morientis fuisse, & tamen suus hæres est, & suitatis iura habet, §.ita demum inf.de hæredit. quæ ab intest. &
5 ratio est, quia in sibi fauorabilib.habetur pro iam nato, vt sup.in tit.de ingenuis lib.1.diximus.

Secundus casus est, in nepote non nato, sed cōcepto viuo auo, licet enim filio decedente inter mortem aui, & natiuitatem nepotis, nepos non possit dici fuisse in potestate aui, tamen non natus fingitur natus, & in potestate, quoad commodum suum, ideoque, & suus dicitur, improprie tamen Bald.in l.3. C.vnde liberi.

Tertius casus est, in Episcopo, vel Monacho ingresso Monasterium, nā isti eximuntur à patria potest.& tñ non amittunt suitatem, sed finguntur esse in potestate quo ad sui commodum, & retinent iura suitas, l.Deo nobis, C.de Episc.& Cleri. vbi Cyn.quem Doct. communiter sequuntur teste Gomez.var.resol.to.1.cap.9.nu.11.

Secundò requiritur, ad hoc, vt quis suus esse dicatur, vt non solum sit in potestate, sed etiam,
6 vt sit in primo gradu, per se, vel repræsentatiuè, tempore mortis, ita vt nemo cū præcedat in gradu, d.§.sui, hoc tit. Ideo si extet filius, & nepos ex eo, licet nepos simul cū patre, sit in potestate aui, tamen nepos non est suus, nec habet iura suitatis, sed solus filius est suus, tanquā proximior in gradu, eo tamen deficiente, & è medio sublato, vel morte, vel emācipatione, tunc, quia nepos in potestate est proximior, subintrat locum patris sui, & iura suitatis consequitur, d.§.sui, hoc tit.

Qui sint effectus suitatis.

VArij & multi sunt suitatis effectus, vt videre est apud Mich.Crass.in §.suitas, q.7.8.& 9. Tres tantum præcipui sunt. Primus est, φ suitas operatur continuationem Dominij in ipsum filiū d.§.sui, hoc tit. Ideo post mortē patris, ante aditionē, vel immixtionē, nō datur hęreditas iacens, quę repręsentet defunctum prout datur in extraneis, si filij sui adsint superstites, ita dicit glo.in l. cum hęreditas, C.depofit.quam dicit singularem Corneus in l.3.C.de iure delib.& valde notabilē Ias.in l.in suis, ff.de liber. & posthu. intellige hoc verum in ijs, quę filio fauorabilia sunt, secus quo ad incommoda, nam tunc non pręsumitur hęres ante immixtionem, attento iure pretorio, à quo abstinendi beneficium habet, ita tenet Rom.in l. necessarijs, ff.de acquir.hęred. & communem testatur Ias.in l.ei, qui. ff.de acquir.hęred. ideo ad hoc, vt talis filius possit conueniri à creditoribus hęreditarijs, necesse est, vt creditores probent, eū non solum esse filium, sed etiam hereditati patris se immiscuisse, tanquā fundamentū suę intentionis, glo.Bar.Alex.& alij communiter in d.l.necessarijs, Imo.in l.si cum dotem, §.transgrediamur, ff.solu.matrim.sed dubium est. Au si ut Dominiū bonorum continuatur in suos, ita etiam cōtinuetur possessio rerum paternarum, Accurs.hic in ea sententia fuisse videtur, quòd possessio quoq; cōtinuetur, idem existimauit in l.cum miles, C. ex quib.caus.maiores, licet in ea non persistat; dum postea subdit, illam legem intelligi debere appręhensa possessione, ideo magis etiam communiter obtinuit, possessionem ipso iure non transire, quā sententiam amplectitur, Bart.& cęteri omnes cū eo in d.l.cum miles, quandoquidē non plus operatur suitas in suo, quam adito in extraneo, ideo, sicut in extraneum adeuntē, non transfertur possessio sine corporali appręhensione, ita nec in suum transferri debet. Secundus effectus est, quòd suus hęreditatem nō aditam transmittit ad quoscunque hęredes etiam extraneos, l.ventre pręterito, versic.sed si vacuo, ff.de acquir.hęred. l.3.C.de iur.deliber.l.apud hostes, C.de suis, & legit. & ratio est, quia cum hęres suus, ipso iure, sine vlla aditione hęreditatem consequatur, mirum non est, si eam tanquam propriam iure suo transmittat, imo transmittit etiam querelam inofficiosi testamenti ad suos hæredes, l. si quis filium, C.de inoffic.testam. ad extraneos vero non transmittit, nisi fuerit pręparata, l.scimus in fine, C.eod.tit. Secundus est, quòd confirmat fideicommissum vniuersale, etiam extraneo relictum dicet non se immiscuerit hęreditati, l.27.§.si pater, ff.ad Senatusconf.Trebell.

SVMMARIVM.

1 *Extranei hæredes dicuntur omnes extra lineam descendentium.*
2 *A Matre instituti extranei hæredes sunt.*
3 *Serui hæredes instituti, & ante mortem Domini manumissi extraneorum loco sunt.*

§. Cæteri.

Qui dicantur extranei hæredes.

1 EXtranei hæredes dicuntur primo loco, omnes qui sunt extra lineam descendentium, §. cæteri hoc tit.

Secundò, quandoque etiam descendentes si testatoris potestati tempore mortis subiecti non sint, vt quia emancipati, d.§. cæteri.

2 Tertiò à Matre hæredes instituti extranei hæredes sunt, quia fœminæ liberos in potestate non habent, d.§. cæteri.

3 Quartò serui à Domino hæredes instituti, & postea ante eius mortem manumissi, extraneorum loco sunt, d.§. cæteri in fine.

SVMMARIVM.

1 *In omnibus hæredibus illud necessarium, vt habeant testamenti factionem passiuam.*
2 *Hæres extraneus tribus tēporibus capax esse debet.*
3 *In hærede necessario requiritur, vt duobus temporibus capax sit.*
4 *In suo, & necessario tempus mortis sufficit.*

§. In extraneis, & §. Testamenti autem factionem.

Quo tempore quis hæreditatis capax esse debeat.

1 ILlud omnibus hæredibus generale est, siue sui, siue necessarij, siue extranei sint, vt habere debeant testamenti factionem passiuam, hoc est, quod hæredes institui possint: actiuam enim vt habeāt necesse non est, quandoquidem, muti, surdi, & similes, quamuis testamentum facere nō possint, vt suprà quibus non est permiss. facer. testam. diximus, hæredes nihilominus institui possunt, §. in extraneis, & §. testamenti hoc tit. quo postea tēpore hæreditatis capaces esse debeant, variatum est, nam extraneus hæres tribus temporibus, hæ-
2 reditatis capax esse debet .s. conditi testamenti, mortis testatoris, cum testamenta morte confirmentur, & aditæ hæreditatis, id quod maxime attendendum est, cum hæreditas per aditionem acquiratur, d.§. in extraneis, & l. si alienum, §. in extraneis, ff. de Hæredib. instit. & hoc siue ipse nominatim institutus sit, siue seruus eius, & d.§. in extraneis, & l. non minus, ff. de hæred. instit. Necessarius duobus temporibus capax esse debet .s. conditi testamenti, & mortis testatoris glo. in d.§. in extraneis in verbo Tria, & ratio est, quia in necessario hærede, non est dare tempus medium, inter tempus mortis, & aditæ hæreditatis, cum lex incontinenti eum hæredem faciat: suus vero, & necessarius similiter, dictis duobus temporis capax esse debet, secundum Azonem, vel vno tēpore tantum .s. tempore mortis tum glo. in d. ver-
4 bo Tria, aditæ enim hæreditatis tempus nunquā inspicitur: quia statim sunt hæredes patre mortuo, l. in suis, ff. de suis, & legit.

SVMMARIVM.

1 *Necessarij hæredes ob id dicuntur, quia omnino hæreditatem adire debent.*
2 *Sui hodie ab hæreditate se abstinere possunt.*
3 *Inuentarij confectio quid hæredibus prosit.*
4 *Hæreditas quando adita esse censeatur.*

§. Extraneis, & fin.

An hæredes à testatore instituti, hæreditatem omnino adire necesse habeant.

1 DE necessarijs hæredibus dubium non est: nam & propter hoc necessarij dicuntur, velintque, aut nolint, hæreditatem omnino adire debent, de suis, & necessarijs olim quoque idem erat. Hodie tamen Prætoris beneficio abstinere
2 possunt, sicut & extranei, §. extraneis hoc tit. Verum ne inconsultè accipiant, aut temere derelinquant, datum est anni spatium ad deliberandum de quo in tit. ff. & C. de iur. deliber. & hoc, quia adita hæreditate, omnia commoda, & incommoda eos sequuntur, ampliusque abstinere nō possunt, nisi fiat minores 25. annis, quibus solis Prętor per beneficium restitutionis in integrum succurrit, d.§. extraneis. Hodie etiam ex noua Iustiniani constitutione, huiusmodi beneficium amplius necessariū non est, si inuentariū rerū hęredi
3 tariū cōficiant, eo.n. cōfecto libere quācunque hæreditatē adire possunt, quia creditorib. vltra vires hæreditarias nō tenētur, l. vlt. C. de iur. delib. & hoc est qđ vulgo dr̄ accipere hæreditatem cū beneficio legis, & inuentarij. Quæ autem seruāda sint in inuentarij confectione, vide apud Doct.

Quando hæreditas adita esse censeatur.

4 HÆreditas adita esse censetur. Primo quoties quis pro hęrede se gerit, rebusq. hęreditarijs tanquam hæres vtitur, §. fi. hoc tit. Secundo etiā eo ipso, quòd quis se hæredē esse velle declarat, licet adhuc pro hærede non se gesserit, d.§. fin.

DE LEGATIS. Titulus XX.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit legatum.*

3 *Quot*

3 *Quot legatorum genera, olim essent.*
4 *Hodie quot sint legatorum genera.*

In principium tituli cum duob.§§.seqq.

Mirum videri non debet, si hoc in loco in quo agitur de acquisitione rerum per vniuersitatem, proponatur titulus iste de legat. quæ particularia sunt, nam hoc ideo fit, quod legatũ accessorium quoddam in testamento fit. Ideo cũ de testamentis, & de Hæredibus, qui in testamẽ-
1 to instituuntur hactenus tractatum fit, non fine causa de legatis proponitur, vt inquit Imperator hic in principio tituli, cum quo concordant tituli, in ff. de legat. 1. 2. & 3. C. de legat.

Quid sit legatum.

2 Legatum est donatio quædam à defuncto relicta ab ipso hærede præstanda, §. legatum hoc tit. & l. legatum, ff. de legat. 2.

Olim quot essent legatorum genera.

Olim quatuor erant legatorum genera de quibus Iustinianus hic in §. legatum. Caius lib. 2. tit. 5. Vlpiau. tit. 24. de leg. & Paul. lib. 3. sent. cap. 6. Alia enim erant damnationis, alia vindicationis, alia finendi modo, & alia præceptionis: quæ fingula varijs verborum formulis inter se distinguebantur, certisque, & solemnibus verbis cõcipiebantur. Primo igitur, per vindicationẽ fieri solebat, quando testaror dicebat. Vindico tibi talem rem, vel habeas talem rem, & hoc modo legari tantum poterant res, quæ testatoris propriè essent, quia vindicari, aut propria auctoritate capi non possunt, nisi res propriæ, l. in rem, ff. de rei vindicat. quare non nisi etiam in proprijs eam præstare facultatem testator poterat ex ratione, l. 55. ff. de reg. iur. l. 4. de offic. Proconsul. & l. traditio, de acquir. rerum Dominio.

Secundo per damnationem fieri solebat, veluti, hæres meus damnas esto, dato, facito, hęredem meum dare iubeo. Hoc ius legandi optimũ esse dicit Vlpia. d. tit. 24. Latius enim patet cęteris, quia res etiam hæredis, vel aliena hoc modo legari potest, constituitur enim debitor hæres, & quasi per sententiam damnatur, vt aliquid præ-
3 stet, cum sententia testatoris, vim legis, nedum rei iudicatæ habeat. Et si igitur res non sit in bonis testatoris, dare nihilominus, vt debitor hęres cogitur, qui alienam etiam rem debere potest, & quem difficultas præstationis non liberat, l. 2. ff. de verb. oblig. Tertius finendi modus talis erat, hæres meus damnas esto, finere Lucium Titium sumere illam rem, sibique habere. Hoc modo tantum res testatoris, & hæredis, ac plerunq. incorporales, quę vindicari tradiq. nequeunt, rectè relinquebantur, nõ etiam alienæ, quod eam finẽdi potestatem in rebus alienis hæres nullam haberet, Paulus d. l. 3. senten. cap. 6. Quartus modus erat, per Præceptionem, vt Lucius Titius illã rem præcipito, hoc est, præ cæteris tibi habeto, & hu-
4 iusmodi legatum præceptionis, nõ nisi vni ex hęredibus fieri poterat, vt sibi præcipuum aliquid haberet, Aleiatus lib. 3. Parerg. cap. 1.

Hodie quot sint legatorum genera.

Omnia legatorum genera de quib. superius à nobis mentio facta est, per nouam Iustiniani constitutionem, quæ extat in l. 1. §. 1. C. cõmunia, de legat. vna cum ipsa verborum solemnitate sublata fuerunt, adeo quod hodie, vnica, & eadem est omnium legatorum natura, in quibus etiam magis mens, & voluntas inspicitur, quam verba, d. §. legatum, & §. nostra autem constitutio, hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Olim differentia erat inter legata, & fideicõmissa.*
2 *Legata, & fideicommissa per omnia hodie exæquata sunt.*
3 *Executio legatorum, & fideicommissorum qualiter procedat.*

§. Sed non vsque.

Quæ differentia sit inter legata, & fideicommissa.

1 Olim differentia erat inter legata, & fideicommissa, tam in modo, & forma, quam etiam in effectu; at hodie durat quidem differentia in modo, & forma, quia legatum relinquitur immediatè dirigẽdo verba ad ipsum legatarium, vt lego Titio centum: fideicommissum verò relinquitur, verbis obliquis dirigendo verba ad hęredem, & ipsum grauando dare, soluere, vel restituere Titio centum; in effectu tamẽ nulla est dif-
2 ferentia, sed in omnibus, & per omnia legata fideicommissis exęquata sunt: viresque fideicommissorum legatis, & è contra attribuerę sunt, §. sed non vsq; hoc tit. l. 1. ff. de legat. 1. l. 1. & 2. C. communia, de legat. proceditq. ista exæquatio.

Primò, quo ad personas relinquentes legata, qui enim fideicommittere potest, is, & legare potest, & è contra, l. 2. & ibi Doct. ff. de legat. 1.

Secundò, quo ad personas, quibus relinqui-
3 tur, nam ijs omnibus quibus fideicommitti, his, & legari potest.

Tertiò, quo ad res, quæ enim res legari possunt, hæ, & fideicommitti.

Quartò, in modo relinquendi, vt per quæcunque verba idonea legari, per ea, & fideicommitti possit, l. 2. C. communia, de legat. imo mutu legari sicut fideicommitti potest, item in testamẽto, & ab intestato, & à legatario legari potest, sicut fideicommitti, Crass. §. legatum, q. 1. nu. 2.

Quintò, quo ad actiones, omnes enim actiones, quæ dantur pro legato, dantur, & pro fideicom-

commisso, & è contra. Intellige legata fideicommissis exæquata esse, scilicet, particularia particularibus, & vniuersalia vniuersalibus, glo. & Doctor. in l. 1. ff. de legat. 1.

SVMMARIVM.

1 *Rem propriam quisque legare potest.*
2 *Res hæredis a testatore quoque legari potest.*
3 *Res cum alio communis, etiam legari potest.*
4 *An res aliena scienter, vel ignoranter legari possit.*
5 *Res obligata, pignorata, aut hypothecata qualiter legari possit.*
6 *Liberatio debiti à creditore legari potest.*
7 *Debitũ à debitore creditori qualiter legari possit.*
8 *Legatum à creditore debitori relictum, an animo compensandi cum debito factum videatur, communis distinctio reprobatur.*
9 *Legatum de eo quod quis pro alio tanquam fideiussor debet, relictum, quid operetur.*
10 *Dos legari potest.*
11 *Optionis & electionis differentia.*
12 *Legari posse tã res corporales, quã incorporales.*
13 *An in legato bonorum mobilium & immobilium veniant iura & actiones.*
14 *An pecunia contineatur sub legato bonorum mobilium, quãdo ad emptionem rerum immobilium destinata est.*
15 *Quæ res legari non possint.*

§. Non solum, cum multis §§. seqq.

Quæ res legari possint.

PRimò, rem propriã testatoris legari posse, dubium non est, cum quilibet in re sua sit
1 moderator, & arbiter. §. non solum, hoc tit. & l. in re mandata, C. mandat. Secundò, res hæredis in testamẽto instituti, à testatore alteri rectè legari potest, d. §. non solum, & l. vnum ex familia, §. si rem suam, ff. de legat. 2. nec refert, an testator, sci-
2 uerit, vel ignorauerit, nam siue crediderit, hçredis esse, siue alienam, & non hæredis esse crediderit, valet legatum secũdum glo. hic, & in d. l. vnum ex familia: item si testator in re legata hæredis aliquod ius, vel partem habeat, valet legatum quo ad totam rem, Bart. in l. cum filius, §. Dominus p illum tex. ff. de legat. 2. Rom. sing. 237. & Couar. in cap. filius, num. 3. de testam. Tertiò, res, in qua ius aliquod, vel partem aliquam habemus legari potest, quo casu tantum partem illam, vel ius illud legasse censemur, l. serui electione, §. seruus,
3 ff. de legat. 1. vbi glo. Alberic. Bald. Angel. Paul. de Castr. Imo. Alex. Ias. Lancell. Dec. & alij, Gomez. variar. resolut. tom. 1. cap. 13. num. 15. qui ex hoc ad multa infert. Quartò etiam res aliena legari potest, valetq. legatum si testator alienam esse sciebat; propterea tenetur hæres eam redimere, & legatario præstare, d. §. non solum, & l. cũ rem
4 alienam, C. communia, de legat. & si ille, cuius res est, vendere nolit, aut cariori pretio, quàm valet, hæres eius æstimationem præstare debebit secundum glo. hic, q̃ si contentio sit inter hæredem, & legatarium, de iusto rei legatæ valore, æstimatio arbitrio iudicis committitur, l. alieno, §. sin autem certo, ff. de fideicomm. liber. Dixi, valere legatũ, si testator rem alienam esse sciebat, quia si ignorauerit alienam esse, nullum est legatum, d. §. non solum, & d. l. cum rem alienam, vbi glo. Alexan. & alij præterquam si cõiunctæ personæ legetur, nam tũc, etiam si ignorauerit valet legatum, quia præsumptio est, hoc casu, testatorem si sciuisset esse alienam, nihilominus coniunctæ personæ legaturum fuisse, ita tenent Doct. communiter in d. l. cum alienam, vt testatur Gomez. d. to. 2. c. 12. nu. 13. Idem est dicendum, si ad pias causas legetur, quia si coniunctæ personæ relictum valet, multo magis si animæ testatoris relinquatur, ad q̃ procliuior esse præsumi debet, Bal. in repet. l. 1. C. de Sacrosf. Eccl. Vasq. de success. progress. lib. 3. §. 27. nu. 41. & Crass. §. legatũ, q. 14. nu. 5. quicquid dicat glo. Hostien. & alij in cap. filius, de testam. Cui autem incumbat onus probandi testatorem sciuisse, dicẽdum est legatarium, hoc probare debere, quia in dubio præsumitur eum credidisse, esse suam propriam, d. §. non solum, & Crass. d. q. 14. num. 6. Quintò, legari potest etiam res alteri obligata, & pignorata, aut hypothecata, & eodẽ modo, prout de re aliena diximus, hæres necesse habet eam luere, si defunctus sciebat eam obligatam, pignoratam, aut hypothecatam esse: sed si ignorabat, vt quia forte facto, vel cõtractu procuratorum fuit obligata, tunc valet quidem legatum, sed legatarius, non hæres luere tenetur, prçterquam si ex cõiunctione, vel qualitate personæ præsumatur, quòd etiam si sciret, legasset, tex. est in §. sed & si rem obligatam, hoc tit. in l. si res o-
5 bligata, ff. de legat. 1. in l. licet, ff. de dote præleg. & in l. prædia, C. de fideicommiss. & in hoc cõueniunt omnes: sed dubium est, si res pro tãto pretio quod valorem æquet ita, vt non sit spes reluitionis obligata sit, quis eam luere debeat? glo. in d. §. sed etsi rem obligatam, & in d. l. prędia, tenet hæredẽ luere teneri indistinctè, siue testator sciuerit, siue ignorauerit, sequitur Ias. in d. l. si res obligata, nu. 13. & Alex. nu. 2. Gomez. var. resolut. to. 2. cap. 12. nu. 39. Contraria tamẽ opinio mihi magis placet, s. quod hæres tãtummodo luęre teneatur, si sciuit, non si ignorauit, prout de re aliena diximus, tum propter æquiparationem indistinctẽ factã ab Imperatore hic, inter rem obligatam, & alienam: tum quia in vtraque eadem militat ratio: nam in re aliena inductum est ne hæres compellatur pecuniam expendere, quasi facilior sit testator in præcipiendo res suas tradi, quàm in iubendo alienas redimi, non legaturus forte si alienas nosceret, id quod, & in re pro æquiualente pretio obligata dicendum est: nam si obligatam sciuisset, forte non legasset, ne hæres pecuniam suam erogare cogeretur: hanc opinionem

nem tenet Angel.in d.l.si res,Vasq.de legat.lib.3. §.27.num. 14.& æquiorem dicit Soarez in addit. ad Gomez.d.cap.12.num.39.

Sextò, liberatio debiti à creditore legari potest, & pro tempore,veluti,vt non petatur vsque ad tale tempus,& in totum,vt nihil penitus petatur,§.si quis debitori, hoc tit. & toto tit.ff.de li-
6 berat.legat. prodestq. huiusmodi legatum, non solum ipsi debitori, & eius hæredibus, sed etiam fideiussori: non tamen è contra,legatum liberationis fideiussori relictum, prodest principali debitori,l.2.ff.de liberat.legat.

Septimò,legari potest etiam à debitore creditori res debita,valetq. legatum,si vtilitas,aut cōmodum aliquod ei offeratur,§.ex contrario,hoc tit. veluti,si debitum erat in diem,aut sub condi-
7 tione, valebit legatum purum, l.si creditori. ff.de legat.1.& ibi communiter Doct. notant. Item si non erat debitum efficaciter vtroq. iure ciuili,& naturali: sed altero tantum, valebit legatum, facit l.Meuius, & l.debitor.ff.de legat.2.l.legaui.§.si.& l.debitor.ff.de liberat.legat.sed quæro, an in dubio legatum simpliciter factum à debitore ipsi creditori,de aliqua pecunia,vel quātitate,videatur factum animo cōpensandi cum debito? Doct. communiter duos casus distinguere solent. Primus est in debitore voluntario,& conuentionali, qui debet ex contractu,vel alio facto,& tunc nō admittitur compensatio,si debitor creditori aliquam quantitatem,vel etiam eandem summam, numero,& quātitate,quæ est in debito,leget,sed vtrunque potest creditor consequi tex. est in l.1. §.sciendum,C.de rei vxor.action.vbi notat glo. Bart. Alberic.Bald.Paul.Salycet.& omnes: idem quoque est,si rem aliquam mobilem, vel immobilem creditori obligatā,aut hypothecatā,leget: nam illam,& insuper debitum consequi creditor poterit,l.creditorem,ff.de legat.2.vbi Bar.Alber. Bald.Paul.Imol.Cuman.& alij communiter,quos refert,& sequitur Gomez.d.c.12.nu.27. & Crass. §.legatum, q.16.nu.4.& 5.

Secundus casus est,in debito legali,vel necessario,& tunc in dubio legatum factum ipsi creditori videtur factum animo compensandi, nisi de contraria voluntate constet, quandoquidem, vt Modestinus ait, in necessitatibus nemo liberalis existit,l.rem legatam,ff.de adimend.legat. Ideo si pater aliquid filiæ leget, videtur compēsare cum dote,quam ex legis necessitate ei dare tenetur, l.si cum dotem,§.si pater,ff.solu.matrim. sic si pater leget filio,aut filiæ, videtur relinquere pro legitima,& cum ea compensare,l.quoniā nouella, C.de inoffi.testam.idem est,si maritus leget vxori, aut è contra vxor marito.s.compensandū esse in parte,quę ipsis ex dispositione legis,vel statuti defertur,Auth.Preterea,C.vnde vir,& vxor,& ibi Dec.Curt.Ias.Salyc.& alij communiter,Gomez. d.cap.12.nu.27. & Crass.d.q.16.nu.7. qui plures adducit. Hæc casuum differentia,& diuisio,apud me semper fuit dubia, à recepta tamen Doctorū sententia,solus in hac mea iuuenili ætate,in qua nullum adhuc mihi nomen adeptus sum,recedere,summopere verebar,sed Corasium æterni nominis virum,& Iurisconsultum præclarissimum, inueni,qui eiusdem opinionis fuit,lib.3. Miscell. cap.1. Quamobrem tanti viri auctoritate fretus,
8 dicere non dubito,in vtroque casu,vtrunq. præstandum esse,& cum legato minime compensandum,siue legale,siue conuentionale debitum sit, nisi ex coniecturis aliud cōstet. Moueor per tex. in l.in quartam, ff.ad l.Falcid. vbi legata non imputantur in quartam falcidiam,quam tamē certum est ex legis prouisione,contraq. testantis voluntatem detrahi,vt in l.Titia.ff.eodem,& in cap. Raynal.in fi.extra de testam. Non obstat tex.in l. si cum dotem,§.si pater,quia respōdeo quod debet intelligi,quando pater ea intentione legat, vt computetur,& sic nomine dotis,secus si non dotis nomine,nam tunc vtrunque filia consequi potest, sicut à patre pro filia dote promissa,& filiæ relicto legato traditum est in l.si pater. ff.de collat.dot.ita declarat Cuiac.lib.3.obseruat.cap.16. qui etiam emendat tex. in d.l.si cum dotem, in illis verbis: lucroque eius cedit si tantum ab eo consequuta sit,quantum ei,& cap.legendū quippe esse existimat: lucroq. eius cedit si amplius ab eo cōsequuta sit,quàm ei. Nec enim quicquā filia lucratur, si tantundem consequuta sit.

Ad tex.etiam in l.quoniam nouella,C.de inoffic.testam. Respondeo,quòd imputatur ad excludendam querelam inofficiosi, l. Papinianus, §.si quis mortis, ff.de inoffic.testam. quæ etiā hodie cessat propter nouum beneficium agendi ad supplementum, l.omnimodo, C. de inoffic. testam. Demum ad Auth. Præterea respondet Coras. q illius Auth. decisio in inopia fundatur, quæ assequutione legati cessat, aut saltem leuior fit.

Octauò à fideiussore quoque legari potest,id quod pro aliquo debitore debet,valetque, & tenet huiusmodi legatum, tàm respectu ipsius debitoris, quàm etiam creditoris. Respectu debitoris, quia actione ex testamēto agere potest aduersus testatoris hæredem, vt creditori legatum soluat,& eum liberet,teneturq. hæres soluere,& quod soluit ab ipso principali debitore repetere non potest,tex. est in l.si fideiussor de legat.1.vbi
9 Alber.Bald. Angel.Ioan.de Imo.Aret.Alex.Ias.& Lancellot.Dec.& alij communiter: & hoc,siue expresserit testator, quòd à debitore repeti non possit,siue non,quicquid dicat ibi glo.& Rayner. quorum opinio in hoc communiter reprobatur, vt per Alex.ibi,& Gomez.d.cap.12.nu.28. Respectu etiam creditoris valet, quia cùm hodie fideiussor conueniri nō possit sine excussione principalis debitoris,vt in Auth.præsente,C.de fideiussor. stante huiusmodi legato recta via conueniri poterit argumento, l.si creditori, ff.de leg.1. notat Gomez. d.loco.

Nonò, dos à marito legari potest, & valet legatum, propter commodum exactionis; quia

actione de dote peti non potest, nisi post tempus
legale, de quo in l.vnica, C.de rei vxor.action.sed
10 facto legato, subducitur huiusmodi tempus, &
statum petitur, & fit dotis solutio sine aliqua di-
latione, & sine aliquo priuilegio dotis, §. sed si
vxori hoc titu.l.1.§. & verum est commodum, ff.
de dot.prælegat. & ibi Bart. & cõmuniter Doct.
& si fortè maritus nullam dotem habuit; valebit
legatum, tanquam merè gratuitũ, dummodo cer
ta quantitas, vel certum corpus relictum sit, vel
ex relatione ad instrumentum dotale, in quo ma-
ritus confessus sit se recepisse dotem, quam non
recepit, appareat, d.§.sed si vxori, & d.l.1.secus si
simpliciter legauerit, nec ex relatione instrumen-
ti aliquid constet, d.§.sed si vxori, & ibi Fab.An-
gel. & alij.

Decimò, res adhuc in rerum natura non exi-
stentes, si modo futuræ sint, vt fructus, qui ex fun
do nascentur, partus animalium, & similia rectè
legari possunt, §.ea quoque 7. hoc tit. l.quod in
rerum 24.in princ. ff.de legat.1.

Vndecimò, res in vniuersitate existentes lega-
ri possunt, §. si hæres hoc tit.

Duodecimò, res generaliter, vt seruus, §.si ge-
neraliter hoc titulo, & hoc casu electio ad legata-
rium spectat, nisi aliud testator expresserit, d.§ si
generaliter.

Decimotertiò, optio quoque legari potest, §.
optiones hoc titulo, & tot.tit.ff.de option.legat.
optio licet sępè cum electione cõfundatur, in rei
tamen veritate differunt, quandoquidem electio
magis in reb. vnius generis spectatur, optio verò
11 in rebus diuersorum generum, vt Imperator hic:
olim huiusmodi legatum optionis tacitam con-
ditionem habebat, si legatarius viuus optasset,
adeo quod si ipse non optasset, ad hæredes non
transmitteret: hodie tamen ex Iustiniani consti-
tutione transmittir, d.§.optionis, & si plures sint
legatarij, quibus optio relicta sit, & dissentiant in
corpore eligendo, siue vnius legatarij plures hæ-
redis, & inter se circa optandum dissentiant for-
tunam, quam Plinius Deam inani voce salutat,
huius optionis, iudicẽ esse, & cum Cęsare aleam
iacere, sorteque hoc esse dirimendum, vt ad quẽ
sors veniat, illius sententia in optione præcellat,
statuit Imperator hic, experimurq. huiusmodi sor
tis genus, aut festucis inæqualibus oppositis, re-
busve modo quodam notatis ex quibus breuissi-
mam, notatamve adeptus, sortis aspectũ habet,
aut schedulis alijsve rebus quas vrnę commenda-
mus, rursum sub certa signatura extractatis: in
quem modum Hector, atque Vlysses apud Ho-
merum, vbi Paris cum Menelao singulari certa-
mine essent congressuri, sortem in galeam cui
primus ictus contingeret, demittunt, verba poe-
tæ in 3. Iliados sunt.

Decimoquarto legari possunt, tàm res corpo-
rales, quàm incorporales, tàm mobiles, quàm
immobiles, §.tam autem hoc tit. ideo quòd de-
12 functo debetur legari potest, & hoc casu tenetur
hęres actionem legatario cedere, d.§.tam autem,
& l.cętera, ff.de legat.1. nisi testator vnius pecu-
niã exegerit; quia tunc ademisse censetur, & ideo
legatum extinguitur, d.§.tam autem: valet etiam
legatum, si hæres damnetur domum alterius re-
ficere, vel eum à debito liberare, §.sed si tale hoc
tit. sic vsus, vsusfructus, & similia legari possunt
tot.titu.ff.de vsufruct.legat.seruitus tot.titu. ff.de
seruit.legat.alimenta tot.tit.ff.de alimen.legat.cũ
similibus. Sed quæro, an in legato bonorum mo-
bilium, & immobilium, veniant iura, & actiones?
variant Doct. quidam existimant distinguendum
esse, sic; vt actiones competentes ad res immobi-
les inter immobilia, actiones verò competentes
ad mobiles, inter mobilia censeantur Freder. de
13 sent.consil.12.Alex.16.lib.1. contraria sententia,
quòd immo indistinctè iura, & actiones, non cõ-
pręhendatur, frequentiori calculo recepta est, vt
testatur Iason.consil.5.lib.3.Bart.in l.potest.ff.de
Author.tuto.Pinel.in rubr. de bonis mater. num.
24.& 26. & ita in Senatu iudicatum fuisse refert
Aufrer.decis.Tholos.315. non enim veniunt ap-
pellatione mobilium, vel immobilium respectu
sui, sed sunt species separatæ, vt est cõmunis opi-
nio secundum Tiraqu. de vtroq. retract.§.1.glo.
7.nu.9.Guido Papæ, q.291.Dec.in l.1.in secund.
lect.nu.8.ff.si cert.petatur.Panormit.in cap.nulli,
nu.9.de rebus Eccles.& Crauet.consil.213.ad fi.
& hoc etiam si dictum sit omnia bona mobilia,
& immobilia, Pinel.d.Rubr.num.31. Emanuel à
Costa, in c.si pater, verbo, bonis suis, nu.7. extra
de testam. neque enim dictio omnia adiuncta bo
nis mobilibus, & immobilibus efficere potest, vt
veniant iura, & actiones, etiam in testamentis, in
quib. testantium voluntates plenius interpretan-
tur, ita tenet Bart.in l.centurio, nu.27.ff.de vulg.
iterum quæro, pecunia simpliciter per se est res
mobilis secundum Tiraq.d.glo.7.nu.104. modo
quis pecuniam destinanit ad emptionem prędio-
rum, vel bonorum immobilium, an ea pecunia
censeatur venire sub legato mobilium? Dubia est
quæstio in vtramque partem magna animi con-
tentione à Doctoribus disputata, quidam enim
existimant inter immobilia computari, quorum
vigintiquatuor allegat Boer. q.209. Alij negant,
& inter mobilia ponunt, Ias.in l.cętera, §.sed si se-
parauerit, ff.de legat.1. vbi Cyn. Bald. Alex.Flo-
rian.Angel.& alij, & hanc opinionem magis re-
ceptam esse testatur Michael Crass.§.legatum, q.
19.nu.8.Zazius in d.l.cętera, §.sed si separauerit,
sic distinguendum putat. Aut pecunia est reda-
cta ex bonis immobilibus, & destinata ad alia im
mobilia, & tunc procedat prima opinio. Aut non
est redacta ex bonis immobilibus, sed solum de-
stinata pro emẽdis bonis immobilibus, & rursus
distingue. Aut ista pecunia non solum est desti-
nata, sed etiam seposita, & in arcam reclusa, &
14 tunc iterum priorem opinionem veriorem existi
mat per tex.in l.à Dino.§.fin.ff.de Re indic. vbi
dicitur, quòd pecunia pupillari in arcam reclusa
pro

pro emptione immobilium, tanquam immobilis intelligitur. Idem dicitur in l.3.§.quid ergo,ff.de contrar.iudic.tutel. & facit Ratio, quia cum paterfamilias pecuniam in cistam recludit, vt ibi sit tanquam species, ista destinatio facit ex quantitate corpus,l.si certos,ff.de verb.oblig.& l.sed si certos, ff.de legat.1. Ideo nimirum si destinatio in hoc casu pecuniæ qualitatem mutet. Aut verò fuit simpliciter pecunia destinata in emptionem bonorum immobilium, & tunc veram communem,& secundam opinionem putat,cum sit simplex destinatio remota à facto.

Quæ res legari non possint.

PRimò res,quæ non sunt in cómercio,vt Cāpus Martius,theatra,balnea,fora, & similia, §.nō solum hoc tit.l.39.§.pen.& vlt.ff.de legat.1.
15 Secundò res,quæ nec sunt,nec esse possunt,at hippocentaurus,§.ea quoque hoc tit.3.Res legatarij.§.sed si rē hoc tit.l.13.C.de legat. & l.41.§. tractari,ff.de legat.1. nisi fortè sub conditione ei legetur,& ante cōditionem impletam ab eo alienata fuerit,l.97.ff.de condit. & demonstr.

SVMMARIVM.

1 *Omne commodum, & incommodum rei legatæ ad legatarium pertinet.*
2 *Pluribus rebus legatis,vna perempta,quæritur,an etiam in alijs legatum censeatur extinctum.*
3 *Quando peculium censeatur seruo legatum.*

§.Si res legata cum tribus §§.seqq.

Rei legatæ periculum ad quem spectet.

OMne rei legatæ periculum, commodum,& incommodum ad legatarium, non ad hæredem pertinet, adeo vt per interitum rei hæres
1 liberetur,nec ad æstimationem tenetur, §. si res legata hoc tit.& l.cum res,§.fin.ff.de legat.1. nisi culpa hæredis, vel post moram res perierit, d.§. si res,& d.l.cum res,§.fin. si seruus igitur alienus legetur, & is sine facto hæredis manumittatur, quia manumissus pro mortuo habetur,hęres æstimationem præstare non tenetur secundum glo. hic,secus si seruus hæredis legatus fit, tunc enim si manumissus sit,licet manumissio teneat, hæres nihilominus æstimationem præstare debet, d.§. si res legata hoc tit. Dubium esse poterat quādo plures res simul legantur, & vna ex eis perit,an etiam legatum alterius rei intelligatur extinctū, pro cuius rei cognitione distinguendum est: nam quædam res sunt quarum vna non accedit alteri, nec ei accessoria est, & tunc quando tales res simul legantur, vna perempta, altera nihilominus
2 debetur. Ideo si Ancilla fuerit legata cum nato, mortua ea nihilominus debetur natus, §. si quis ancillas hoc tit.partus enim non est in fructu,neque accessorium propter dignitatē humanę creaturæ,cum homo sit dignissima creatura,l.iustissimè,ff.de ędilit.edict.alię res sunt quarum vna accedit alteri, & ei accessoria est, & tunc extincta vna,legatum etiam in altera extinctum esse censetur, d.§.si quis ancillas: modo sicut rei legatæ periculum,& incommodum ad legatarium spectat; ita etiam è contra commodum ad eundem spectare debet. Ideo grege legato etiā oues,quę post testamentum factū gregi adijciuntur legato cedunt, §.si grex hoc titu. & l.21.ff.de legat.1.sic legatis ædibus columnæ, & marmora,quæ post testamentum adiecta sunt,legato cædunt, d.§.si Grex in fine: similiter,si legatum fuerit peculiū, quicquid peculio accedit,& decedit viuo testatore ad legatarium pertinet, §.si peculium hoc tit. Sed quid si post mortem testatoris ante tamen aditam hæreditatem seruus aliquid acquisierit? Iulianus ait in l. 8.§.vtrum,ff.de pecul.lega.si ipsi seruo manumisso peculium legatum fuerit,id totum lucro eius cedere; sed si extraneo non aliter, quàm si ex rebus peculiaribus auctū fuerit, d.§.si peculium. Illud sciendum est,quòd peculium seruo in testamento manumisso minime debet, nisi specialiter ei legatum fuerit, §. peculium hoc tit. quāuis manumisso,inter viuos,debeatur,nisi fuerit specialiter ademptum,d.§.peculium. Deniq. peculium videtur legatum, cum rationibus redditis,seruus liber esse iussus est,& ex eo reliqua inferre.Nec enim potest seruus rationes reddere nisi peculium habeat,& ideo cum testator iubet seruum esse liberum,si rationes reddiderit,peculium ei videtur legare,cum,vt dictum est,sine peculio rationes reddere nequeat, & multo minus reliqua inferre,idest,reddere,quæ ex peculio reliqua sunt, rationibus redditis.

SVMMARIVM.

1 *Legari potest oībus ijs,qui hæredes institui possūt.*
2 *Legatum incertis personis relictum, quando valeat, vel non.*
3 *Ad pias causas legatum ratione persona incertum valet.*
4 *Legatum ecclesiæ relictum,si plures sint ecclesiæ in domicilio testatoris, cui debeatur.*
5 *Verba §.Tutor,versic.posthumus autem, quomodo intelligantur.*
6 *An seruo hæredis legari possit,& quomodo.*

§.Legari autem,cum aliquot §§.seqq.

Quibus legari possit, vel non.

SIcut illi omnes,qui testamēti factionem actiuam habent,legare possunt secundum tex.in l.2.ff.de legat.1. Ita etiam omnibus illis,qui hæredes institui possunt; legari potest secundum Imper.hic in §.legari autem. Qui autem sint isti,
1 qui testamenta facere,& qui hęredes institui possint,

sint, aut non; diximus supra in tit. quibus non
est permiss. facere testam. & de hæred. instituend.
ideo hic non repeto.

Olim quoque incertis personis, neque legata,
neque fideicommissa relinqui poterant, adeo quod
nec libertas incertæ personæ dari: item nec po-
sthumo alieno, qui incertus quodam modo vide-
batur, legari poterat, §. legari autem, §. libertas,
& §. posthumo, hoc tit. verum bene est, quod si hæ-
res legatum incertis personis relictum, persoluis-
set, amplius repetere non poterat, d. §. libertas.
Hoc hodie ex noua Iustiniani constitutione, de
qua mentionem habet Imperator hic, emendatū
est, quæ tamen desideratur, & vitio temporis in-
terijt, eamq. præcessisse titulum, C. ad Senatusc.
Trebell. à Cuiacio annotatum est, proinde cum
non extet nihil etiam certi statui posse credendū
est: hoc tamen etiam hodie constat, iure quo vti-
mur incertitudinem circa legatarium vitiare le-
gatum, Bart. in l. si ita, ff. de rebus dub. hæres. n.
1 non cogitur soluere, nisi appareat certa persona,
2 de qua senserit testator, intellige nisi legatum sit
personæ incertæ de certis, vel de incertis, si ex fu-
turo euentu persona veniet certificanda: nā tūc
valet legatum: communem dicit Crass. §. legatū,
q. 64. nu. 2. & 3. quò verò ad pias causas etiā ante
Iustinianum, legata incertis personis relicta vale-
bant, & hodie valent, l. id quod, l. nulli, & l. si quis
3 ad declinandam, C. de episc. & cleri. Ideo si lega-
tum factum sit pauperibus, vel ecclesiæ sine alia
demonstratione valet, ita tenet glo. in l. quidam,
ff. de rebus dub. Vasq. de success. progress. lib. 3. §.
27. nu. 42. sed dubiū est, si sint plures ecclesiæ cui
debeatur? Fab. & Angel. in §. ius quidem supra de
iur. nat. volunt dari maiori ecclesiæ. Contrarium
tenet Bart. in l. quæ conditio. §. fin. ff. de condit. &
demonstrat. s. quod parochiali ecclesiæ testatoris de-
beatur, cuius opinio communis est secūdum Ias.
in l. qui insulam, ff. de verb. oblig. Idem est, si ec-
clesiæ S. Mariæ relictum sit, & plures sint ecclesię
eiusdem nominis, nam dabitur ecclesiæ in paro-
chia testatoris existenti, Bar. in d. l. quæ conditio,
4 & si duæ sint in parochia testatoris, inspiciendum
erit à qua obsequia acceperit, & ei præstabitur:
sin minus ei, quam testator ingredi solitus fuit, &
si vtranq. visitare consueuit, pauperiori, vel vtriq.
si æquè paupertate premantur, ita communiter
teneri dicit Crass. d. q. 64. num. 4. & 5. De tutore
dicēdum est, quòd nec etiam hodie incertus dari
possit, licet à futuro euentu veniat certificandus,
d. §. tutor. & ratio est, quia tutela est maioris prę-
iudicij quàm legatum, si enim testator diceret, re-
linquo tutorem filijs meis, eum qui primus è cu-
ria venerit, posset venire aliquis nō idoneus, & sic
in prę iudicium pupillorum. Ideo nimirum si non
valet. Posthumo verò alieno ex eadem Iustiniani
constitutione, quę temporum vitio interijt, rectè
etiam legatur, vt notant Doct. hic, nec obstat tex.
in d. §. tutor, versic. Posthumus autem alienus, vbi
dicitur; quòd posthumus alienus, hæres institui,
& antea poterat, & nunc potest: nam id de iure
prætorio est accipiēdum, vt ait Cuiacius ex §. 1.
infra de bonor. possess. l. posthumus, ff. de inoffic.
5 testam. & l. 1. §. si filius, ff. de ventr. in possess. mit-
tend. sed hæc expositio non satis conuenit: cum
hæredem instituere non iuris prætorij, sed ciuilis
sit: nec ipse locus cōgruit superiori, vbi professus
est Imper. sua cōstitutione huic rei se medicinam
attulisse. Verum in ijs veteris iuris subtilitatibus,
nos nimium curiosos esse in ijs studiorum initijs,
non oportet. Alciat. lib. 9. Parerg. cap. 1. licet ipse
nihil de hac re decernere audeat: tamen consi-
derat, quòd posset legi: posthumus autem non
alienus hæres institui, & antea poterat, & nunc
potest, nisi in vtero eius sit, quæ iure nostro vxor
esse non potest: quę quidem lectio; si vera esset,
cessaret omnis difficultas. Quæritur si seruo hæ-
redis legetur, an valeat legatum, & deciditur in
§. an seruo hæredis, hoc tit. quòd si purè legetur
non valet, & ratio est, quia idem esset hæres, & le-
6 gatarius, quod esse non potest, & sibiipsi obliga-
retur hæres, l. legatum, la 2. ff. de legat. 1. quinimo
non valet legatum etiam si viuo testatore seruus
manumittatur, ea ratione, quia legatum purum,
quod non valet post conditum testamentum, nō
cōualescit per hoc, quod testator diutius vixerit,
d. §. an seruo, sub conditione verò rectè legatur
seruo, quia poterit esse, quòd tempore legati in
potestate hæredis non sit, d. §. an seruo. Ex diuer-
so, hęrede instituto seruo, quin domino rectè etiā
sine cōditione legetur, non dubitatur, §. ex diuer-
so, hoc tit. & ratio est, quia potest esse, quod seruus
antequam adeat hęreditatem, manumittatur, aut
alienetur, quo casu seruus sibi, vel nouo domino
acquiret hæreditatē, & prior dominus legatarius
tantū erit. Verum bene est, quod seruo adeunte iussu
dn̄i hæreditatem, legatū infirmatur, quia res iam
in eum statum deducitur, vt idem sit hęres, & le-
gatatius, quod ius non patitur, d. §. ex diuerso, in fi.

SVMMARIVM.

1 *Legata varijs modis relinquuntur.*
2 *Alternatiuè quomodo legetur.*
3 *Coniunctim tripliciter legari potest.*
4 *Qui re coniuncti dicantur.*
5 *Verbis coniuncti quomodo dicantur.*
6 *Re, & verbis coniuncti.*
7 *Ius accrescēdi inter cōiunctos qualiter locū habeat.*
8 *Error in nomine proprio an vitiet legatum.*
9 *Quid in nomine appellatiuo, & adiectiuo.*
10 *Quomodo purè legatum fieri dicatur.*
11 *Quomodo in diem.*
12 *Sub conditione, quando relinqui dicatur.*
13 *Impossibilis conditio non vitiat legatum, sed ea reiecta valet.*
14 *An testator possit legatario apponere conditionem non nubendi.*
15 *Sub modo legata, qualiter relinquantur.*
16 *An modus non impletus per defunctum ab hærede impleri possit.*

17 Sub

17 *Sub demonstratione qualiter legata relinquãtur.*
18 *Quando falsa demonstratio vitiet legatum.*
19 *Falsa causa adiecta legato non vitiat.*

§.Si eadem res duobus, & §.Si quidem in nomine cum duobus seqq.

Quibus modis legata relinquantur.

VArijs, & multis modis legata relinqui pos-
sunt, aliquando.n.coniunctum, aliquando
disiunctim, & aliquando alternatiuè concipiũtur.
1 Alternatiue, veluti, Titio, aut Seio, cui hæres vo-
let, decem do, lego, & hoc casu hæres soluẽdo vni
liberatur, l.si Titio, aut Seio, ff.de legat.2. quòd si
2 hæredi electio data non sit, vnicuique æqualiter
debetur, quia resoluitur huiusmodi alternatiua
in copulam, Crass.§.legatum, q.66.nu.3. Cõiun-
ctim verò legatur, quãdo pluribus vna, & eadem
res æquis portionibus relinquitur, §.si eadẽ res,
3 hoc tit. Idque tripliciter fieri potest; Re, verbis,
& re, & verbis simul, Doct. in l.re coniuncti, ff.de
legat.3. Re tantum coniuncti dicuntur hi, quibus
eadẽ res separatim legatur, veluti lego Titio fun-
dum tusculanũ. Item eundum fundum Sempro-
nio do lego, & sic Titius, & Sempronius, nõ sunt
4 quidem verbis coniuncti, quia separantur in ora-
tione, & separatim positi sunt, sed re sunt coniun-
cti, quia eadem res vnicuique eorũ legatur. Ver-
5 bis coniuncti dicuntur hi, quib. vno sermone, seu
vna, & eadem clausula testator eãdem rem factis
portionib. relinquit, vt Titio, & Seio fundũ æquis
6 portionibus lego. Re autem, & verbis coniuncti
dicuntur hi, quibus eadem oratione res aliqua in
solidum, & partibus non assignatis legatur, vt
Titio, & Seio fundum tusculanum, do, lego.

Disiunctim verò dupliciter legari potest, vno
modo cum legatarij omnino re, & verbis disiun-
cti sunt, vt puta si testator dixerit, lego Titio di-
midiam partem fundi tusculani, & Seio alteram
partem do, lego: altero modo disiuncti dicun-
tur, verbis, sed non re, vt cum eadem res in soli-
dum, in diuersis orationib. legatur. Modò si eadẽ
res pluribus legetur siue coniunctim, siue disiun-
7 ctim, hoc posteriori modo, scinditur inter eos le-
gatum, & in concursu partes faciunt, d.§ si eadẽ
res, & si aliquis eorum ante acceptum legatũ de-
ficiat, deficientis portio alijs accrescit, d.§. si ea-
dem res: & si concurrant coniuncti verbis, &
re simul, cum coniunctis re tantum, vel verbis
præferuntur coniuncti re, & verbis, deinde admit-
tuntur simul, qui re tantum, & verbis tantum cõ-
iuncti sunt secundum glo.in d.§.si eadem res.

Secundò nominatim quoque legata relinqui
possunt, & hoc fit qñ exprimitur nomẽ propriũ,
appellatiuũ, aut adiectiuum, quod non potest nisi
vni conuenire. Sed quero, quid si legato nomina-
tim relicto in nomine erratum fuerit, nunquid vi
tiabitur legatum? Respond. ꝙ si error est in no-
mine proprio rei legatæ, non vitiat legatũ, si alias
de corpore constet, vt per confinia, vel quia non
habeat testator nisi vnum fundum Bart. & Ripa,
8 qui comunem dicit in l.si quis fundi, ff.de lega. 1.
Idem dicendũ est, si erretur in nomine proprio,
cognomine, aut pro nomine legatarij, quod.s.nõ
vitietur legatum, tex.est in §.si quidem, hoc tit.
sicut nec hæredis institutio. l.si in nomine, C.de
testamen.propria enim nomina imposita sunt ad
cognoscendum ea quibus imponuntur, ideo si
constet, de qua persona testator disposuit, non
debet vitiari legatum, d.§.si quidem.

Secundò, si erretur in nomine appellatiuo, vt
si legetur equus, cum sit bos, vitiatur legatũ, d.l.
si quis fundi: similiter si cum vestẽ vellet legare,
dixit se legare supellectilem, aut si cum vellet ar
gentum legare, dixit se legare vestem: vitiatur le-
gatum, d.l.si quis, intellige, nisi nomen appellati-
uum habeat coformitatem, aut affinitatem cum
9 eo in quo erratum est: quia tunc non vitiatur gl.
in d.l.si quis, Bart.in l.quæsitum, §.si mihi, ff.de
legat.1.& Rip.in d.l.si quis, nu.23.

Tertiò, si in nomine adiectiuo erratum sit, er-
ror non vitiat legatum. Ideo si testator legaret
equum suum album, & non haberet nisi equum
morellum, valeret legatum glo.Ang.Imo.Castr.
Rip.& alij in d.l.si quis.

Tertio, legata relinquuntur quandoque pure,
quando.s.testator simpliciter legat rem sine tem
10 pore, die, conditione, qualitate, vel causa, per q̃
eius suspendatur petitio, & hoc casu cedit legatũ
statim a die mortis testatoris, l.1. ff.de condit.&
demonstr.& ibi Castrẽs.Imo.Fulg.Cuman.& alij.

Quartò, aliquando relinquuntur in diem, quã-
do scilicet testator legat quantitatem, vel rem in
11 diem certam; & huiusmodi legatum etiam cedit
à die mortis testatoris, sed obstat exceptio, vt nõ
nisi die veniente peti possit, mortuo tamen lega-
tario interim ante diem transmittitur ad hęredes
tanquam si esset purum, l.si dies, ff.quando dies
legat.cedat, l.vnica, §.cum igitur, C.de caduc.tol
len.versic.fin. ibi: sancimus omnes habere licen-
tiam à morte testatorum adire hæreditatẽ, simi-
lique modo diem legatorum, vel fideicommisso-
rum purè, vel in diem certam relictorum à mor-
te testatorum cedere, & ibi not.glo. Bart.Alber.
Bald.Angel.Castren.Salyc.& alij, Gomez.var.re-
solut.tom.1.cap.12.num.57. Dixi in diem cer-
tam: quia si relictum sit legatum in diem incer-
tam, habetur pro conditione, & omnia in tali le-
gato locum habent, quæ in legato sub conditio-
ne de quo infra videbimus tex. est in l.1. & in l.
dies incertus, ff.de condit. & demonstr.

Quintò, sub conditione quandoque relinqui
solent, quando scilicet, testator legat, si tale quid
contigerit, vt in l.1. & per tot.tit. ff.de condit. &
12 demonstr. in l.1. & per totum. ff.de condit.insti-
tut.in l.1.& per totum, C.de institut.& substitut.
sub condit.fact.& in l.1.C.de condit. insert.& hu-
iusmodi legatum suspenditur donec conditio exi
stat, quę à futuro euentu pendet, ad eo quod non

debetur, nec ad hæredes transmittitur antequam impleta, & purificata sit conditio, l. vnica, §. si sub conditione, & ibi Bart. & Doct. C. de caduc. tollē. Illud tamen animaduertendum est, quod si conditio impossibilis legato adiecta sit, siue natura ea impossibilis sit, vt si cœlū digito attigeris, siue de iure, vt quæ est contra bonos mores, reiecta conditione perinde legatum valet, ac si pure relictum esset, & pro non adiecta habetur tex. est in l. 3. ff. de condit. & demonstr. & in l. 1. ff. de cō-
13 dit. instit. quamuis secus sit in contractibus, l. impossibilis, ff. de verb. obligat. & l. non solum, ff. de actio. & obligat. sed iuxta prædicta quæro, an testator possit legatario apponere conditionē non nubendi? Respondeo distinguendo. Aut in totum prohibetur matrimonium, & tunc talis conditio tanquam de iure impossibilis, & contra bonos mores reijcitur. Aut verò tantum prohibetur matrimonium, respectu certarum personarū temporis, vel loci, vt quod non nubat cum tali persona, vel in tali loco, & talis conditio valet tex. est, & ibi glo. Bart. Paul. de Cast. & communiter Doct. in l. sed, & si, §. si. ff. de condit. & demonstrat. Alex. & Ias. in l. Turpia, §. 1. ff. de lega. 1. Dec. in l. nuptias, ff. de tegu. iur. intellige hoc verum in
14 virgine, quæ nondum nupsit Emanuel à Costa in repet. l. cum tale, §. si arbitratu vlt. ampliat. nu. 16. ff. de condit. & demonstrat. vel etiam in ea, quæ per verba de præsenti nupsit, nondum tamē carnaliter cognita fuit Bal. Ang. Paul. Fulgos. Corn. Ias. & alij in Auth. cui relictum, C. de indict. vidui. tollen. Soarez. in suo Thesaur. recept. sent. verbo. Nuptiæ, & verbo matrimonium, quinimo idē est in muliere corrupta, nunquā tamen nupta: quia etiam in ea tollitur, & reijcitur huiusmodi conditio, ita tenet Ang. Paul Fulgos. & Ias. in d. Auth. cui relictum, & hāc dicit esse magis communem opinionem Gomez. variar. resolut. tom. 1. cap. 12. num. 78. secus tamen est in muliere, quæ semel nupsit, & cognita fuit: in ea enim non reijcitur huiusmodi cōditio, sed valet, & adimpleri debet tex. est in d. Auth. cui relictum, & ibi communiter Doct. notat. Sed quid si puellæ legatum relictum sit sub conditione, si cum consensu, alterius matrimonium contraxerit, an talis conditio teneat, & adimpleri debeat? Dic, quòd adimpleri debeat in hoc, vt illius cōsilium requirere teneatur, ita vt si eo irrequisito nupserit, conditio defecisse videatur, & mulier ad relictum admitti non possit, ita tenet Cyn. Paul. de Castro, & Alex. in l. cum tale, §. si arbitratu, ff. de condit. & demonstr. vbi etiam Emanuel à Costa limita. 2. nu. 1. & Ratio est, quia non per hoc impeditur libertas matrimonij, quandoquidem non tenetur mulier cōsilium sequi, sed duntaxat requirere, nec est contrarium naturæ matrimonij, sed magis consuetū, in contrahendis matrimonijs requirere cōsilium consanguineorum, & amicorum.

Sextò etiam sub modo legata relinquuntur, quando scilicet testator iniungit, vt legatarius ali-
15 quid det, vel faciat, & differt hoc legatum modale à legato conditionali, quia conditio pēdēs impedit ortum obligationis, & actionis. Modus verò donec pendet non impedit quod oriatur actio, & obligatio: licet executionem, & effectum impediat. Ideo tale legatum cum effectu peti nō potest nisi impleto modo, vel præstita cautione de modo implendo, l. quibus, §. Termilius, ff. de condit. & demōstr. & ibi glo. & hoc locum habet etiam si testator conditionem adijciat in modo, vt si dixerit: lego Titio centum sub conditione, vt hoc, vel illud faciat, quia tunc similiter erit modus, & non conditio, quoniam attenditur potius mens, & voluntas testatoris, quàm verba, ita Bar. in d. §. Termilius, nu. 5. cuius opinio cōmunis est. Sed quæro si legatarius moriatur, an possit hæres implere, vel modus nō impletus per defunctum impediat legatum transmitti? distinguendum est, nam aut modus talis est, qui ab hærede impleri potest, & tunc admittitur hæres, & implendo modum consequitur legatum glo. & Bart. in l. testa-
16 tore, ff. de condit. & demonstr. aut vero modus iniunctus est personalis, & tūc si decedat legatarius, modus omnino deficit, & legatum non debetur Bart. in d. §. Termilius, nu. 13. Couar. cap. 3. nu. 2. de testam. & est communis secundū Corn. cons. 229. nu. 4. lib. 4. hinc sequitur, quod si alicui puellæ legatum relictum sit sub modo nubendi, & ipsa moriatur antequā nubat, legatū remanebit apud hæredes testatoris, imo si oblata cautione mulier legatū acceperit, hæredes eius ad restitutionē cōpelli poterit, Corn. d. cons. 229. Emanuel à Costa lib. 2. interpr. c. 32. nu. 7. & Couar. d. c. 3. de testam. licet contrarium teneat Bald. Nouel. in suo tract. de dote pat. 6. Priuileg. 76. nu. 2.

Septimò sub demōstratione legatum quoque concipitur, quando scilicet testator ponit rei legatæ signum, locum, vel quantitatem per quam
17 cognoscatur, & tunc siue vera, siue falsa sit demōstratio valet legatum, vt si testator dicat lego Titio talem fundū, vel rem, quam à Seio emi, vel quæ mihi donata fuit: licet enim talis res nō sit empta, nec donata, sed alio quouis modo acquisita, valet, & tenet legatum. Similiter etiā si dicat lego Titio talem fundum, vel rem, quia gessit negotia mea, vel tale q̄d fecit, nam licet nec gessit, nec fecit, debetur nihilominus legatum tex. est in §. huic proximo hoc tit. & in l. demōstratio falsa, & ibi glo. ff. de condit. et demonstr. et hoc dubiū non habet in re, vel specie legata. Sed dubium est in pecunia, vel quantitate legata, an falsa demonstratio vitiet legatum? Pro cuius rei cognitione duo casus sunt à nobis considerandi.

Primus casus est, quando quantitas legatur, vt certum corpus, vt lego centum, quæ in tali arca, vel loco habeo, et in hoc casu nō valet legatum, nisi quatenus demonstratio vera est: et ratio est, quia non aliter constat de corpore, et quod non est, deberi non potest, tex. est, qui sic debet intelligi in l. si seruus, §. qui quinque, ff. de lega. 1. et in l. 1.

l.1.§.fin.verf.fed & fi dotem,ff.de dote præleg.& vtrobiq. communiter Doct. Bart. in d.l.demonstratio falsa, col.2.opposit.1.num.4.

Secundus casus est, quãdo simpliciter legatur certa quantitas, & tunc distinguendum est, nam aut demonstratio adscripta est in persona ipsius
18 testatoris, aut in persona legatarij. Si in persona testatoris, vt quia dicat testator, lego Titio, quæ ei debeo, in hoc casu licet falsa sit demonstratio, tamen valet legatũ, quia de substantia legati constat, & licet nihil debeat Titius, tamen testator videtur mandasse hæredi, vt soluat Bart.& Ias.in l. si sic, §.si mihi, ff.de legat.1. & hoc quando testator sciebat se non debere: secus si vere credidit se debere, quia tunc habet hæres exceptionem doli mali, si hoc probauerit, cum ad eum probatio spectet Bart.Alex.& Ias.in d.l.si sic. Si vero falsa demonstratio adijcitur in persona legatarij, vt quia dixit testator, lego Titio decem quæ mihi debet, in hoc casu legatum minime valet. Ratio est, quia perimitur legati substantia, quæ non consistit in decem, sed in liberatione, quam videtur Titio legasse: ex quo igitur non est debitum, non potest etiam esse liberatio, & consequenter extinguitur legatum, Bart.& Ias.in d.l.si sic. Illud circa prædicta addendum est, quod si testator leget alicui ædificium faciendum ad exemplum alterius ædificij nominati, & illud non reperiatur, non valet legatum, quia vbi deficit exemplar, debet deficere exemplatum, debet tamen fieri officio iudicis, arbitrio boni viri, vt impleatur voluntas defuncti tex.est in l. in testamento, la 1.ff. de condit.& demonstr. & ibi communiter Doct. Gomez.var.resolut.tom.1.c.12.nu.75.in fi.

Octauò, & vltimo legata quandoq. etiam sub aliqua causa fieri solent, & hoc est, quando testator dicit, lego Titio centũ, vel rem, quia hoc cõtingit, vel factum est, & in hoc casu valet, & tenet legatum, licet causa non sit vera, quia expressio causæ nõ requiritur cum fiat ex vera liberalitate: ideo si exprimatur quamuis falsa sit nõ vitiat le-
19 gatum tex.est in §.longe magis hoc tit.& in l.demonstratio falsa, §.quod autẽ, ff.de condit.& demonstr.& ibi glo. Bart.& cõmuniter Doct.& hoc siue testator sciat causam esse falsam, siue ignoret secundum Paulum Castren. & alios ibi, dummodo non probetur per hæredes, quòd testator aliter non esset relicturus, nisi causa sit vera, quia tunc ope exceptionis vitiatur legatum, l.cum tale, §.falsam, ff.de condit. & demonstr.

SVMMARIVM.

1 *Olim legata ante hæredis institutionem fieri non poterant, hodie in quacunque, parte testamenti relinqui possunt.*
2 *Post mortem hæredis, vel legatarij olim etiã inutiliter legabatur, hodie non.*
3 *Pœnæ nomine legata similiter relinqui non poterant, hodie sic.*
4 *Quæ actio ex legatis competat.*
5 *Qualiter legata extinguantur.*

§.Ante hæredis vsque in finem Tituli.

OLim ante hæredis institutionem legata fieri non poterant, cum testamenta ex institutione hæredum vim accipiant, adeo quod nec libertas hoc modo legari poterat, hodie verò in quacunque parte testamenti, tam ante, quã post hæredis institutionem, & etiam inter medias
1 institutiones rectè legata relinquuntur, quia non Ordo scripturæ, sed testatoris voluntas attendi debet, §.Ante hæredis hoc tit.l.ambiguitates 24. C.de testam. & l.in conditionibus primum locũ, ff.de condit.& demonstrat.

Item olim post mortem hæredis, aut legata-
2 rij, similiter inutiliter legabatur, at hodie legata etiam post mortem hæredis, aut legatarij relinqui possunt. Et primo casu quando relinquuntur post mortem hæredis, censetur grauatus hæredis hæres ad prestandum, posteriori vero casu, hæredi legatarij legatum relictum esse videtur, §. post mortem hoc tit.

Olim etiam legata pœnæ nomine relinqui nõ poterant, hodie tamen hæredes grauari possunt, vt aliquid faciant, vel non, pœnaq. adiecta valet,
3 dummodo adiecta nõ sit dispositioni de natura, de facto, vel de iure impossibili, §.fin.hoc tit.& l.filius, ff. de condit. instit.

Quæ actio ex legatis competat.

EX omni legato dari possunt tres actiones, scilicet, personalis ex testamento, Rei vindicatio, & actio hypothecaria, §. sed olim supra
4 hoc tit.& l.1.C.commun.de legat.si modo res legata id patiatur, neque enim vindicari potest res aliena legata, aut quantitas, puta decem legata, concurruntque huiusmodi actiones origine, sed non exercitio, quia vna electa, alia tollitur Bart. in l.1.ff. de legat.1.

Qualiter legata extinguantur.

EXtinguuntur legata multis modis, & primo extinguitur legatum, si rei legatæ dominium ex alia causa lucratiua ad legatarium viuo testatore peruenerit, §. si res aliena supra eod.
5 non per aliam personam acquisitum. Secundo si res legata sine facto, dolo, aut culpa hæredis perierit, vel in commercio esse desierit, §. si res legata supra eodem, l.26. §.1.36. §. vlt. 47. §.vlt. 112. §.1.ff.de legat.1. Tertio si legatarius ante diem legati cedentem, idest, regulariter viuo testatore decesserit, l.vnica, §. in nouissimo, C. de caduc.tollen. Quarto si conditio legati defecerit, l.2. & per totum titulum, ff.de condit.& demonstrat. Quinto, & vltimo ademptione, de qua in titulo sequenti.

N. 2 DE

DE ADEMPTIONE, ET TRANSLATIONE legatorum. Titulus XXI.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Qualiter expressè legata adimantur.*
3 *Taciti quõ, & quando adempta legata censeantur.*

CVm ambulatoria sit hominis voluntas vsq; ad extremum vitæ spiritum: & ideo quandoque etiam legata, vel ademptione, vel translatione reuocari soleant, merito post titulum de
1 legat. subijcitur titulus iste de ademptione, & translatione legatorum, cum quo concordat titulus, ff. de adimendis legat.

Qualiter adimantur legata.

DVobus modis legata adimi solent. s. expressè, & tacitè: expressè aut in testamento, aut in codicillis, vt hic in §. 1. & hoc, vel verbis cõtrarijs, vt quod Titio legaui, non lego, vel quibuscunque alijs reuocationem legati significantibus, vt pœnitet me legati quod Titio dedi, d. §.
2 1. vel facto aliquo, vt si testator consulto eam testamenti partem deleat, in qua legatum reliquerat, l. 1. §. sed consulto, ff. de his quæ in testam. delent, vel etiam per translationem, vt si dicat testator, quod Titio legaui, Seio lego, d. §. 1. hoc tit. & l. 5. ff. eod. Tacitè verò reuocantur, veluti, si testator rem legatam alij donauerit, l. 18. ff. eod. Si eã nulla necessitate coactus vendiderit, §. si rem suã supra de legat. l. 2. §. si rem suam, ff. de legat. 3. secus si pignorauerit, vel hypothecauerit, nam tũc non censetur ademptum legatum, sed hæres eam luere, & legatario soluere debet, d. §. si rem suam
3 supra de legat. vbi vide. Sic si legauit rem, vel valorẽ eius, licet alienetur res, æstimatio debetur, nec per hoc legatum reuocatum esse censetur, tex. est in l. Lucius, la 1. & ibi communiter Doct. not. ff. de legat. 2. Item tacitè reuocatur legatum; si inimicitiæ capitales, secus si leues post conditũ testamentum inter testatorem, & legatariũ ortæ sint, nec recõciliatio secuta sit, l. 3. & 4. ff. eod. nec refert, an facto, & culpa legatarij, vel testatoris supervenerint, quicquid dixerit Bart. in l. cum tabulis, §. 1. ff. de his quib. vt indignis, cuius opinio cõmuniter reprobatur, vt per Ias. in l. si filiã, nu. 2. C. de inoffic. testam. Vasq. de success. progress. §. 17. nu. 9. & Soarez in addit. ad Gomez. c. 12. nu. 16.

Quandoque etiam pro non scripto legata habentur, veluti, si ita scriptum sit, vt intelligi non possit, l. 2. ff. de his, quæ pro non script. habent. & interdum à legatario tanquam indigno auferuntur, & confiscantur, vt si improbe testamentum accusauit, quasi inofficiosum, vel falsum, l. 8. §. meminisse, ff. de inoffic. testamen. & tot. tit. ff. & C. de his quibus, vt indign.

DE LEGE FALCIDIA. Titulus XXII.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Olim l. 12. tab. immoderata erat legandi potestas.*
3 *Falcidius Tribunus Plebis modum legandi testatoribus praefixit.*
4 *Legis Falcidiæ ratio in singulis hæredibus locum habet.*

In principium tituli, & §. 1.

1 CVm legata non solum adimi, sed etiam dimi nui quandoque contingat: ideo de ea post ademptionem legatorũ iusto ordine subijcitur, & concordat titu. ff. & C. ad l. Falcid. Olim ex l. 12. tab. tam ampla testantibus facultas concessa erat, vt totum patrimonium per legata distribue-
2 re possent, Erant verba, l. 12. tab. ista.

Vti quisque legaßet, suæ rei, ita ius esto.

HAc de causa multi intestati decedebant, quandoquidem hi, qui hæredes instituti erant, videntes, se nihil, aut parum ex testamẽto consequi posse, repudiabant, & hæreditatẽ adire minime volebant. Lata igitur fuit, l. Turia, & Vaconia, quæ in hoc aliquid prouidebant. Sed tandem Caius Falcid. Trib. Plebis legẽ rogauit, in qua modum testatorib. præfixit, ne totam hæreditatẽ legatis exhaurirent, statuens, vt hæredi instituto
3 saltem quartam hæreditatis partem relinquere deberent, quod si nõ facerẽt, vel nõ tm̃ relinquerent, facultatẽ hæredib. concessit, vt eandẽ quartam partẽ, & sic tres vncias à legatarijs pro iusta singulorũ portione, consequi valeãt, §. 1. hoc tit. l. 1. & 2. ff. eod. & hoc, siue vnus, siue plures, hæredes instituti sint, nam sufficit, quod quarta pars apud eos maneat, d. §. 1. hinc Ang. dicit, quod si mille instituti hæredes essent sufficit eos vnam quartam inter se diuidendam habere, intellige si oẽs coniunctim instituti essent, secus si non æquis portionibus, quia si vnus hæres solus grauatus esset de sua portione lagata præstare, & alij non, & solutis legatis, nihil, aut parũ, apud ipsum remaneret, tunc licet alij habeant integrã quartã hæreditatis, poterit nihilominus iste sic vltra modum grauatus, detrahere quartam de legatis solutis de sua por-
4 tione, quia in singulis hæredibus l. Falcidiæ ratio habenda est, vt quilibet quartã suæ portionis saluam habeat, d. §. 1. in fine, & l. in singulis, ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Quantitas patrimonij testatoris, spectatur à tempore mortis.*
2 *Quicquid hæreditati crescit, vel decrescit, id totum hæredis lucro, vel damno erit.*

§. Quan-

§.Quantitas,& §.Ex diuerso.

Quo tempore in ponenda ratione falcidiæ habenda sit ratio bonorum defuncti.

QVantitas patrimonij,cuius quartam hęredibus saluam esse lex falcidia iubet,eo tempore spectatur, quo testator mortuus
1 est,nec ad rem facit, quòd postea patrimonium auctum,vel diminutum fit,§.quantitas, & §.ex diuerso,hoc tit.l.30.& 73. ff.eodem, omne enim commodum,& incommodum hęreditatis ad hęredem pertinet,non ad legatarium,d.l.30.ff.eod. si igitur testator,qui patrimonium cẽtum aureorum in bonis habet,centum legauit,atque ita totum patrimoniũ legatis insumpsit; hæres in hoc casu ex legatis falcidiã detrahere potest, hoc est 25. aureos,nec quicquam legatarijs proderit, si ante aditam hæreditatẽ,per seruos hæreditarios, aut ex partu ancillarum, vel fœtu pecorum, tantum hæreditati accesserit, vt hæres quartam partem habere possit, quamuis legatarijs integra legata soluerit,quia nihilominus hęres quartã partem,& sic prædictos 25. aureos ex dictis legatis detrahere poterit, d.§.quantitas. E contrà si testator habens in bonis centum aureos,septuaginta quinque legauit,quamuis postea post mortem testatoris ante aditam hæreditatem, bona defuncti,incẽdio fortè,ruina,naufragio,aut morte seruorum,in tantùm decreuerint,vt in vniuersis bonis non amplius, quam septuagintaquinq; aurei reliqui sint,vel etiam minus, legatarijs solida legata nihilominus soluenda etunt,d.§.ex diuerso. Nec hęredi hęc res damnosa erit,cùm ei liberum sit hæreditatem adire,vel non: quæ res efficit,vt sit,necesse legatarijs,ne destituto testamento nihil consequantur,cũ hęrede de aliqua legati portione pacisci, ita quod si non ex l.falcidia,saltem ex pacto hæres ex legatis aliquid consequi poterit,d.§.ex diuerso in fine,& d.l.73.ff.eod.

SVMMARIVM.

1 *Prius deducitur æs alienum,quàm ratio legis falcidiæ habeatur.*
2 *Deducitur etiam,quod defunctus hæredi debuit.*
3 *Impensa funeris.*
4 *Pretia seruorum in testamento manumissorum.*
5 *Detractio falcidiæ qualiter facienda sit.*
6 *In quibus casibus lex falcidia locum non habeat.*

§.Cum autem, & fin.

Quæ sint deducenda antequam ratio legis falcidiæ habeatur.

1 ANtequam legis falcidię ratio habeatur,deducendum est ante omnia æs alienum si aliqđ in hęreditate adest,§.cum autem hoc tit.id enim solum in bonis nostris esse dicitur,quod deducto ære alieno superest,l.subsignatum 39.§.1.ff.de verb.signific.atque id etiam deducitur, quod defunctus hęredi debuit,l.6.C.eodem, nisi testator hanc deductionem prohibuerit,l.12.ff.eod.
2 Secundò impensa funeris,& monumenti,d.§. cùm autem, secundum qualitatem personæ,& patrimonij quãtitatem facta,l.12.§.penul.& 14. §.hęc actio,ff.de relig.& sumpt.funer.
3 Tertiò,pretia seruorum in testamento manumissorum,d.§.cum autem. His omnibus postea
4 ex hęreditate defuncti deductis, in reliquo quod superest, ita legis falcidiæ ratio habetur, vt ex eo quarta pars apud hęredem maneat,tres verò reliquę partes inter legatarios distribuantur, non quidem ęqualiter,sed pro rata portione eius,qđ cuiusq.legatariorum legatum fuerit,d.§.cum autem. Fingamus,itaq. quadringentos aureos esse legatos, & quantitatem patrimonij deducto ęre alieno,funeris impẽsa,& pretio seruorum manumissorũ,similiter quadringentos esse: hęres quartam partem,& sic centum aureos detrahit, reliquos trecentos legatarij consequuntur tex.est in §.fin.hoc tit.& in l.in quantitate,§.fin.ff.eodem. Rursus ponamus eum, qui quadringẽtos aureos in bonis habet, legasse trecentos,& quinquaginta: hęres in hoc casu primùm detraher octauam, hoc est quinquaginta aureos,qui ex quadringen-
5 tis supersunt,& octauam partem faciunt,d.§.fin. & d.l.in quantitate,§.fin.deinde à singulis legatarijs pro rata, & portione eius quod cuiq. eorum legatum fuerit,alia quinquaginta detrahet, & sic in totum,centum,quę est quarta pars bonorum ipsius defuncti. Item ponamus,testatorem,cùm haberet solũ quadringentos aureos,legasse quingentos: hic ante oĩa quinta debet detrahi pars, hoc est centum,quos testator in bonis nõ habet, licet legauerit,deinde quarta pars ex quadringentis, quę in hęreditate verè supersunt, & sic centum,quę est quarta pars quadringentorum, ante enim detrahendũ est, quod extra bonorũ quantitatem est,deinde quod ex bonis apud hęredem remanere oportet,d.§.fin.

In quibus casibus lex falcidia cesset.

CEssat lex falcidia, primo si testator eius detractionem prohibuit,Auth.sed cum testator,C.eod.& ratio est,quia licet olim hęrede repudiante testamenta infirmarentur,hodie tamen si hęres repudiet propter falcidię prohibitionẽ, testamentum non vitiatur,sed hęreditas defertur reliquis in testamento scriptis,siue legatarij sint, siue fideicommissarij, & illorum aditione testamentum confirmatur,ita tenet Bar.in l.nemo potest,ff.de lega.1. & quòd ista ratio sit vera, & cõmunis,testatur Corn.in d.Auth.sed cum testator, & Ferdin.Vasq. de success.creat.§.8.nu.1. & 2.
6 Secundò, cessat si hęres integra legata nõ per errorem facti soluerit,l.error 9.C.eod.

Tertiò, in testamento militis falcidia non detrahitur, l.7.C.eodem.

Quartò, si hæres testatori, vel legatario promiserit se integra legata soluturum, amplius detrahere non potest, l.vlt.C.eod.

Quintò si æs alienum exhauriat facultates defuncti, l.successores 16. C.eod.

Sextò, si hæres inuentarium non fecerit, l.vlt. §.fin autẽ, C.de iur.delib.Auth. si vero de hæred. & falcid.& est communis opinio secundum Alexan.in l.1.§.quod vulgo, ff.ad l.Falcid.& per Andr.Gail.lib.2.pract.obseruat. obseruat.138.nu.1. idque propter præsumptam fraudem, & malitiã, quasi omisso inuentario tantum subtraxerit, quãtum valet falcidia.

Septimò in dote prælegata, l.cũ dotẽ 57.ff.eod.

Octauò, in legatis relictis ad pias causas Auth. similiter, C.ad l.Falcid.& ibi communiter Doct. idem dicendum est de legato dotis, vel pro virginibus maritandis, vt.s.non subiaceat falcidiæ Angel.in l.cum is, §. similiter, ff.de cõdi.indeb.dummodo relictum sit pauperi, secus, si diuiti Boer. decis.94.nu.2.& Crass.§.Falcid.q.7.sed quæro, si Ecclesia hæres instituta sit, numquid falcidiam de legato alteri Ecclesiæ relicto detrahere possit? Abb. in cap. in præsentia extra de probat. existimat detractioni locum esse, communem dicit Vincent.Herculan.in l. Marcellus, ff.ad Senatusc. Trebell. contrarium tenet Roman. in d.Auth. similiter, C.ad l.Falcid. communem dicit Barbat. consil.15.vol.3.& veriorem, Alexan.& Ias.in d.l. Marcellus, & ratio est, qa lex generaliter loquens comprehendit omnes personas priuilegiatas, si non sint specialiter priuilegiatæ, Crass. d.§.Falcidia, quæst.3.in fine.

Nonò, & vltimo cessat, in ea re, quæ ita relicta est ne alienetur, sed maneat apud hæredes legatarij, Auth.sed, & in ea re, C.eod.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit fideicommißum.*
3 *Vnde dictum sit fideicommißum, & eius origo.*
4 *Quare fideicommissa introducta sint.*
5 *Quotuplex sit fideicommissum.*

DE FIDEICOMMISSARIIS Hæreditatibus, & ad Senatusc. Trebell. Titulus XXIII.

In principium Tituli.

CVm hactenus dictum sit de primo modo acquirendæ hæreditatis ex testamento, directa via, scilicet, nec non de legatis, quæ veteri iure accessiones testamentorum erant, & nunc etiam in testamento relicta, testamenti pars appellantur; rectè, & iusto ordine alterum membrum acquirendæ hæreditatis obliqua via, & per fideicõ-
1 missum subijcitur, & sic tit.de fideicommiss. hæredit. cum quo concordat tit. C. de fideicomm. & ff. ad Senatusconsul. Trebell.

Quid sit fideicommissum.

2 FIdeicommissum est substitutio per quam imponitur onus hæredi, vt hæreditatem alteri restituat, §. in primis, & §.sed quia hoc tit.

Vnde dictum sit fideicommissum.

FIdeicommissum à fide hæredis dictum est, vt hic in principio tituli, quia in eo fides hæredis eligebatur, cum à testatore de restituenda hæreditate grauaretur, siue gratiose, siue rigorose, siue etiam sub pœna, vnde & hæres fideicom-
3 misso grauatus fiduciarius vocabatur, l.si postulante in fine, ff.ad Senatusconf.Trebell.

Origo fideicommissorum.

OLim fideicommissa erant infirma, quia nemo inuitus cogebatur præstare, aut restituere id, de quo rogatus erat, sed solum ex fide, & pudore, ac mera liberalitate hæredis, præstabantur. Deinde multi fidem fallere, & vltimam testatoris voluntatem fraudare non verebantur, nam facile contemnebant officium illud ad quod nullo modo se compelli posse intelligebant. Primus fuit Augustus Imper. qui fideicommissa ad iuris necessitatem traduxit, iussit.n.cõsulibus, auctoritatem suã interponere, quod quia iustũ visũ fuit, & populare erat, paulatim in assiduam iurisdictionem conuersum fuit, tantusq. eorum fauor factus, vt etiam prætor proprius crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, quem fideicommissarium appellarunt, vt hic in principio, & in l.2. §. diuus, deinde Augustus, ff.de orig.iur.

Quare introducta sint fideicommissa.

4 IVre ciuili fideicõmissa introducta sunt, vt defunctorũ voluntates facilius exitum habeãt, nam cum directò post tẽpus pubertatis, & aditæ hæreditatis, ab instituto hæreditatem auferre, & alteri dare non possent, inuentum fuit, vt id per viam fideicommissi facere valeant, Curt.in Rubr. C. de impub. & alijs substitut.

Quotuplex sit fideicommissum.

5 FIdeicommissum duplex est. Vniuersale, & particulare, §.fin.hoc tit. vniuersale dicitur, quando vniuersum patrimonium per interpositam personam alicui relinquitur, & de hoc habemus hic in titulo nostro. Particulare, quando relinquitur ex hæreditate res aliqua particnlaris, vt seruus, fundus, & similia, & de hoc videbimus in titulo sequenti.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Fideicommissa, aut ab intestato, aut ex testamento, relinquuntur.*
2 *Ab intestato qualiter relinquantur.*
3 *Ex testamento qualiter relinquantur.*
4 *Fideicommissa, & purè, & in diem, & sub conditione relinquuntur.*
5 *Fideicommissum purum cedit à die mortis, & ad hæredes transmittitur.*
6 *Fideicommissa in diem, quando cedere dicantur, et quomodo ad hæredes transmittantur.*
7 *Fideicommissum conditionale, quando cedere dicatur.*
8 *An conditionale fideicommissum pendente conditione transmittatur.*
9 *In quibus casibus subintelligatur tacita conditio si sine liberis, & in quibus non, late examinatur, & num. 10. 11. & 12.*

§. In primis, & §. Præterea.

Fideicommissa qualiter relinquantur.

1 Fideicommissa relinqui solent, aut ab intestato, aut ex testamento. Ab intestato valent fideicommissa relicta in codicillis testamento nō confirmatis, §. præterea, hoc tit. siue etiam relinquantur in epistola, l. 22. C. de fideicommiss. quæ epistola parum differt à codicillis, cum codicillus nihil aliud sit, quam breuis epistola, & si quæ differentia reperitur illa est in modo, seu forma scribendi, siue conficiendi: nam si aliquis relinquit simpliciter, codicillatur: si mittit voluntatem suā ad alium in formam epistolæ similiter codicillatur, per epistolam tamen leg. epistolam, ff. ad Senatusconf. Trebell. At in effectu nulla est differentia; nam & in epistola testes adhiberi debēt, d. l. 22. C. de fideicomm. appellaturq. hæc epistola fideicommissaria, in l. cum hæredes, C. qui testamenta facere possunt. Ideo etiam quinq; testib. debet esse subscripta, alias nullius est momenti, glo. in l. 1. C. de codicill. in verbo literas. Cęterum literæ, quibus animi affectus exprimitur, vel hæreditas promittitur non obtinent vim codicillorum, l. literæ, ff. de codicillis. Item ab intestato relinquuntur fideicommissa, quādo moriens nullo
2 condito testamento rogat hæredem, qui ab intestato per legem ad successionem vocatur, vt hæreditatem alteri restituat, potestq. talis hæres ab intestato cogi per fideicommissarium, vt adeat, & ei hæreditatem restituat, sibi retenta quarta Trebellianica, de qua inferius videbimus, d. §. prętereа. Ex testamento relinquuntur fideicōmissa, si hæres institutus in testamento, grauetur restituere hæreditatem, §. in primis, hoc tit. Idem est, si grauetur codicillis testamento confirmatis, nā
3 codicilli ad testamentum quocunque tempore factum ita pertinent, vt robur ab eo accipiant, siue sequantur testamentum, siue etiam præcedant, nisi fuerint reuocati, §. non tantum infra de codicill. intellige de testamēto, quod de iure subsistit, non ex eo testamento, quod sit nullum ratione solemnitatis omissæ, quia tunc fideicōmissum peti non potest, nisi succedentes ab intestato rogati probentur, vt dicit tex. in l. 29. C. de fideicommiss. nam tunc testamentum conuertitur in codicillos, prout vertitur etiam si adsit clausula codicillaris, quo casu censentur quoq; rogati venientes ab intestato hæreditatem per fideicommissum restituere ei, qui in ipsa vltima volūtate ad codicillos redacta, institutus est, l. Scęuola, ff. ad Senatusc. Trebell. My sing. consi. 96. nu. 5. & 7.
4 Secundò, fideicommissa etiam relinqui solent, aut purè, aut in diem, aut sub conditione, d. §. in primis: hæc enim, vt obligationum causæ sunt, l. obligationum in princ. ff. de action. & obligat. sic etiam sunt causæ fideicōmissorum, & quia ex hac diuisione maximè ius trāsmissionis emergit, ideo videndum est, quomodo fideicommissum cedat in his omnibus speciebus. Cedere est incipere deberi, l. cedere diem, ff. de verb. signific. Modo in fideicommissis puris, quamuis regula sit, quòd omnia, quæ in testamentis, sine die, vel conditione ascribuntur, ex die aditæ hæreditatis præstentur, l. omnia 32. in princ. ff. de legat. 2. attamen fideicommissum purum cedit à die mortis, licet olim cederet ab apertis tātum tabulis, l. vnica in
5 princ. C. de caduc. tollen. indeq. est, quòd trāsmittitur ad hęredes etiam ante restitutionem sibi factam l. 3. C. de fideicommiss. fitq. ista transmissio tacitè. i. ipso iure, l. si ita legatum 68. §. 1. ff. de legat. 1. & hoc intelligitur etiam si fideicōmissarius moriatur antequam hæres grauatus adeat hæreditatem, l. quidam ita 25. in princ. ff. ad Senatusc. Trebel. qui tex. licet loquatur in fideicōmisso vniuersali, dum facit mētionem de hæreditate, tamē procedit etiam in fideicommisso particulari, de quo nulla potest esse dubitatio, cum comparetur legato, quod à morte testatoris, etiam ante aditam hæreditatem, transit recta via in legatarium, & ideo eo mortuo, transit etiam ad suos hęredes, l. vlt. C. quando dies legat. cedat. Bart. in l. cum filiofamilias, ff. de legat. 1. Nec obstat, si dicatur, q̄ hæreditas non adita non transmittitur, l. vnica, §. in nouissimo, C. de cadu. tollen. l. quoniam sororem, C. de iur. delib. quia aduersa est ratio, quandoquidem, hæres ante aditam hæreditatem, nullum ius in ea habet, l. pretia rerum, ff. ad l. Falcid. ideo nimirum est, si transmittere non potest, sed fideicommissarius etiam ante restitutionem habet ius quoddam perfectum in bonis, quia habet actionem, ex testamento contra hæredem differentem adire, nam eum compellere potest, vt adeat, & postquam adiuit, potest eundem conuenire, vt aditam sibi restituat, §. restituta, & §. sed si recusabat hoc tit. propterea rectè hanc actionē sibi competentem transmittere potest, secundū tex. in l. vnica, C. vt actio ab hæred. & contra hæred.

red. qui tex. loquitur de transmissione actionis, & in l.non solum,ff.de restit.in integr.qui loqtur de trāsmissione iuris cōpetētis ex officio iudicis.

Secundo,in fideicommissis relictis in diē,quia non vnius generis sunt,distinguendum est. Nam aut sub die certa relinquūtur,aut sub die incerta. Si dies certus sit,cedit statim à morte defuncti eadem ratione,qua pura cedere solent, d.l.vnica,§.1.C.de caduc.tollen.l.26.ff.de vsu,& vsufruct. legat. obligatio enim præsens est, licet solutio dilata sit,vt de stipulat.in diem ait Iurisconsul. in l. 46. ff.de verb.obligat. ideo quod dicitur in l.41. ff.de verb.obligat. per diei adiectionem præsenti die non deberi, intelligitur non deberi cum effectu,idest,quo ad exactionem,& solutionem. Sed

6 si dies restituendi fideicōmissum sit incertus,non cedit, ante diem euenientem, vnde fit quod si fideicommissarius ante decedat,quam veniat dies, ad eius hæredem non transmittit,quia non venit dies eo viuo,l.1.§.dies autem,ff.de condit. & demonstrat.ratio differentiæ inter fideicommissum diei certi,& incerti,hæc est,quia ex illo, certum est,diem euenturum,l.68.§.1.ff.de lega.1.ex hoc autem non item, potest enim non venire dies incertus,sicut & conditio, ideo dies incertus conditio appellatur,l.talis scriptura 30. ff.de legat.1. & conditionem facere dicitur, l.dies incertus 74. ff.de condit.& demonstr. & hæc de fideicommissis puris, & in diem.

Nunc tertio loco de fideicōmissis sub cōditione,quæ fiunt,quando in futurum euentum suspenduntur, videndum est, & hoc frequenter sub illa conditione post mortem , in qua dies est certus, nempe mortis,sed incertus, quando, & ideo est fideicommissum conditionale glo. in l.omnibus, ff.de reg.iur. Bart.in l.hæres meus, ff.de condit. & demonstr.vbi Castren. communem dicit, & Gomez.var.resolut.tom.2.cap.11.nu.31.ex quo sequitur,quod non oritur obligatio,vel actio antequam tempus moriendi veniat. Alia est conditio frequens , quæ in fideicommissis fieri solet, nempe , si sine filijs decesserit de qua loquitur, l.in personam 21.C.de fideicomm.& huiusmodi

7 fideicommissum conditionale à die conditionis cedit,l.vnica, §. fin autem sub conditione, C.de caduc. tollend. à quo tempore etiam defertur,l. si ita scriptum 46.§.1. ff.de legat.2. Neque tamē simpliciter hoc intelligi debet , nam si conditio euenerit ante mortem testatoris,vertetur in purum fideicommissum,l.si iam facta 11. ff.de condit. & demonstr. esse autem quasdam cōditiones eius naturę,vt viuo testatore impleri possint,perspicuum est ex l.2.ff.de condit.& demonstr. Quinimo eius generis quædam sunt,quæ nō nisi viuo eo impleri possunt,l.conditionum 90.ff.eod.titu. de condit.& demonstr. Igitur adueniente conditione,transmittitur etiam ad hæredem,qui nō sit in rerum natura tunc temporis cum dies cessit, hoc deciditur in d.l.in personam 21. Sed an interim,dum pendet conditio,fideicommissum trāsmitti possit, videndum est,exempli gratia,testator instituit hęredem Titium,eiusq. fideicōmisit, vt post mortem suem, seu si sine liberis decederet, restituat hæreditatem Sempronio , moritur Sempronius fideicommissarius ante Titium hęredem institutum. Quæritur hoc casu, an fideicommissarius ipse, ius fideicommissi,& spem istam succedendi transmittat ad hęredes suos. Duo casus sunt considerandi.

Primus casus est, quādo substitutus est extraneus filio testatoris,& tunc dubium nō est transmissioni locum non esse, sed fideicōmissum extingui,l.vnica,§.fin autem, C.de caduc.tollen. & ratio est, quia tale fideicommissum est conditionale,videlicet, quatenus fideicommissarius in viuis sit post mortem hæredis grauati,l.2.ff.quando dies legat.cedat, & ita tenent omnes,vt testatur Gomez.var.resol.tom.1.cap.5.num.9.& Andr.Gail.pract.obseruat.lib.2.cap.132. in princ.

Secundus casus est,quando fideicommissarius est de descendentibus,& in hoc est discensio inter Doct. sed magis communis opinio est,quod etiam isto casu fideicommissum extinguatur, & non transmittatur ad liberos descēdentes etiam ex potentia sanguinis , ideo si pater duos filios instituat, & quandocunque sine filijs decesserint inuicem substituat ; & vnus ex illis decesserit cū filijs,alter postea sine filijs,filij alteri' fratris prędefuncti,non vocātur iure fideicommissi, sed ab intestato, ita tenet gloss. in l.vnica, C.de his, qui ante apert.tabul.communem dicit Ripa in l.hæredes mei,§.cum ita,ff.ad Trebell.num.59.& 60. Gomez.d.cap.5.nu.9. & hanc tanquam communem iudicando secutus est Boet. decis.354. nu. 13. intellige nisi constaret de mēte testatoris qd voluerit transferri,quæ voluntas etiam ex coniecturis colligi potest,vt tradit Paris. dicens communem in consil.5.nu.14.& consil.50.nu.16. vol.3. dummodo coniecturæ nō extrinsecus,sed ex ipsis verbis testamenti colligantur, Bald.in d.l.vnica,& est cōmunis opinio. Quæ autem sint istæ cōiecturæ,ex quibus colligi possit quod testator voluerit conditionale fideicommissum trāsmitti, plures enumerantur per Mantic.nunc S.R. Eccl. Cardin.meritissimum in suo tract.de coniect.vlt. volunt.lib.11.titu.20.& per Crass.in §.fideicommissum,quęst.vlt. nonnullas ex quibus reassumit, & nouissime Alex.Trentac.in suo tract.de substi. par.4.cap.14.nu.7.quarum ea præcipua est,cum facta substitutione inter descendentes, illis fine filijs decedentibus substitutus est extraneus , ea ratione,quia testator magis præsumitur dilexisse nepotes suos,quàm extraneos . An autē in trāsuersalibus,& extraneis,vt in primo casu sit locus transmissioni ex coniecturis, vidēdus est Cephalus consil.132.nu.6. lib.1.qui dicit communem opinionem esse quòd non ; quamuis hoc neget Ioseph.Ludouic.Decisi. Perusin.102.par.2.nu.8. dicēs coniecturas magis operari in descendentib. Ad vnum animaduertendum est,quod hæc conditio,

ditio, si sine liberis, etiam si expressa non sit, quãdoque nihilominus subintelligitur. Quando.s.grauati sunt descendentes à restatore restituere hereditatem post mortem suam, nam intelliguntur grauati, si decesserint sine filijs, vel descendentib. tex. est in l.cum acutissimi 30. C.de fideicomm.
9 quem Doct. ibi valde commendant: & ratio sumitur ex cõiectura pietatis, quæ resolutionem fideicommissi inducit sub conditione, si liberi superfint, non enim est verisimile, quod pater alios substituisset, si de nepotibus postea susceptis cogitasset, & sic fauore liberorum, & posteritatis, quod verbis non est expressum à lege præsumitur, prout & in alijs casibus, vt in l.si vnquam, C. de reuocan.donat. Sic si recipiam emphiteusim pro me, & me mortuo, pro fratre meo, si postea habeam filios, præsumptio naturalis affectionis efficit, vt frater non habeat emphiteusim, sed mei filij, ita pulchrè dixit Sicardus in d.l.cum acutissimi, C.de fideicomm. nec solum hoc locum habet, quando ascẽdens paternus fideicommissum iniungit, sed etiam quando à matre, vel alio ascẽdente materno iniungitur argumento, l.furiosæ, ff.de curat.furios. Sed quæro quid si descendens grauet ascendentem, vt post mortem suam alicui hæreditatem restituat, an subintelligatur hæc tacita conditio? Videretur dicẽdum idem ius esse, eo quia ferrè æqualis est successio liberorum, & parentum, l.nam & si parentib.ff.de inoffic.testamen. in contrarium tamen est communis opinio teste Socino in l.cum auus, ff.de condit.& demõ-
10 strat.num.15.& 16. & ratio est, quia successio liberorum in bonis parentum est propria, & naturalis, cum descendat in eos ex voto parentum. At successio parentum in bonis liberorum ascẽdit contra commune votum dictis iuribus. Ideo mirum non est si in hoc non subintelligatur hæc tacita conditio. Idem & multo magis dicendum est in fratribus, aut alijs post mortem suam grauatis restituere, quia si in ascẽdente grauato post mortem, non subauditur talis conditio, à fortiori nec in fratre, cuius successio remotior est, argumento tex.in Authen.cessante, C.de legit.hæred. ita tenet Socin.in d.l.cum auus, Dec.in l.generaliter, §.cum autem, & ibi Ias.in 7.limit. C.de instit.& substitut. & est communis teste Mantica de coniect.vlt.volun.lib.10.tit.8.nu.25. Sed quid si filius, & extraneus sint instituti, & grauati restituere, an cõiectura pietatis locum habeat. Dicendum est, coniecturam admitti in persona filij,
11 non in persona extranei, nec obstat Regula l.iam hoc iure, ff.de vulg. & pupill. quod vna.s.dispositio respiciens plura determinabilia, debeat pariformiter determinare, quia hic non est vna sola dispositio, sed diuersæ sunt, l.78.§.Caio, ff.ad Senatusc.Trebell. & l.fin.§.filium, ff.de legat.2.vbi rogatus restituere duobus, eo mortuo, competit fideicõmissi petitio pro parte, mirum igitur non est, si determinatio vtriusque dispositionis nõ sit conformis, vide Decia.consil.60.vol.3.nu.6.cum sequentibus, qui consuluit quando sunt instituti ascendentes, & descendentes. Sed quid si duo filij sint grauati restituere hæreditatem alicui tertio, an coniectura pietatis debeat intelligi in persona vtriusque simul, ita quod vno mortuo cum liberis fideicommissum euanescat, & fideicõmissarius excludatur etiam à parte, & portione alterius, dato quòd ipse mortuus sit sine liberis. Vera opinio est, quòd sic, quia licet interuentu personæ extraneæ, plures sint dispositiones, tamen in persona filiorum, vnica est dispositio, & quamuis verba ambigua sint, & possint intelligi in duplici sensu.s.distributiue, & copulatiue, tamen filiorum caritas efficit, vt pater intelligatur substituere in
12 defectum vtriusque copulatiue, l.si is qui ducenta, §.vlt.ff.de rebus dub.l.quamuis, C. de impub. & alijs substitut. quibus in locis, ex caritate eorũ, quos testator hæredes simul instituit, deducitur, quòd substitutio vulgaris concepta hoc modo (si non fuerint hæredes) intelligitur si neuter fuerit hæres, secus est, si instituantur extranei, nam tũc substitutus admittitur etiam si vnus tantum deficiat d.l.si is qui ducenta, §. vlt. Sed quæro, quid si pater instituat duos filios, & alterum grauet simpliciter post mortem restituere hæreditatem, alterum vero grauet sub expressa cõditione (si sine liberis decesserit) nunquid dicta conditio subintelligatur in fideicommisso simpliciter iniuncto, consuluit, Cuman.quòd non, vt refert Socin.inter consilia Curtij senioris cons.2. nu.1. contrariam opinionem defendit Barb. in d.l.cum acutissimi, C.de fideicomm. vbi etiam ad contraria respondet. Maior est dubitatio, si testator grauet filium post mortem suam restituere alicui hereditatem, qui filius tempore testamẽti habeat filios, & descendentes quos testator scit, & agnoscit habere, an etiam isto casu subintelligatur tacita conditio. Ias.in l.generaliter, §.cum autem, C.de institur. & substitut. tangit hanc quæstionem, & tandem de ea dubius cogitandum relinquit, dicens egere cæsarea decisione. Partẽ negatiuam, quod.s.non subintelligatur, & substitutus præferatur, tenet Barbat.& Castren.in d.l.cum acutissimi, Socin.in d.l.cum auus, Roman.consil.270. Philip.Dec.in d.l.generaliter, §.cum antem, Tiraqu. in repet.l.si vnquam, C.de reuocan.donat. num.63. & hanc veriorem, & se in iudicando, & consulendo secuturum dicit Gomez.var.resolut. to.1. cap.5.nu.36.in fine, contrariam sententiam tenet Cuman. in d.l.cum auus Io. Baptista de S.Seuerino, Corn. & Lancellot.Dec.in d.l.generaliter, §.cum antẽ, qui refert ita consuluisse Marian.Socin.Thomam Docium, & alios famosos Doctor.& hanc magis communem benigniorem, & humaniorem dicit Socin.iun.conf.113.nu.29.vol.1.Ruin.conf.177. & nouissimè Michael Craff. in §.fideicõmissum, quæst.21. in fi. nisi aliæ coniecturæ adsint cõtrariæ, quibus hæc conditio tollatur, vt quia nepoti testator post mortem, reliquit, & alteri hereditatem restituere iussit, quo casu de voluntate testatoris

toris satis apparet, & ita Florentiæ iudicatum,& se obtinuisse testet Socin.sen. in l.2.ff.de vulg. & pupill. substit. Quæro adhuc quid si grauatus rogatus sit restituere Ecclesiæ,vel piæ causæ? variatum est à Doctoribus, magis tamen placuit, etiã in hoc casu tacitam huiusmodi conditionem subintelligendam esse,quod probat Bald.in d.l.cum acutissimi, vbi Ias.communem dicit, Dec.consil. 391. Socin.iun.125.nu.28.lib.1. Ruin.152.lib.2. Paris.86.nu.74.vol.2.Pinel.in l.3.nu.26.C.de bonis mater.Gomez.d.cap.5.nu.28.Vasq.de success. progress.§.26.nu.6.Mantic.de coniect.vlt.volun. lib.10.titu.7.nu.3.& Crass.d.§.fideicommissum, q.21.nu.5. Et hæc de fideicõmissis sub cõditione tam expressa,quam tacita relictis, dicta sufficiãt.

SVMMARIVM.

1 *Semel hæres nõ potest amplius desinere esse hæres.*
2 *Restituta hæreditate omnes actiones directo dantur in hæredem restituere grauatum.*
3 *Hodie omnes actiones quæ iure ciuili hæredi,& in hæredem competunt,transferuntur ex Senatusc. Trebell.in fideicommissarium.*
4 *Pro rata parte fit actionum communicatio inter hæredem,& fideicommissarium.*

§.Restituta autem hæreditate.

Quia qui iure ciuili semel hæres extitit,non potest amplius desinere esse hæres secun-
1 dum tex.in l.ait prætor,§.sed quod,ff.de minor. & l.ei qui soluendo,ff.de hæredibus instit. Ideo hæres,qui hæreditatem restituere rogatus est,hæres nihilominus manet,ita quod omnes actiones iure ciuili ei,& in eum competũt,§.restituta hoc tit. Ille vero qui recipit hæreditatem aliquando hæredis, aliquando legatarij loco habetur, hæredis,quando fit restitutio ex Senatusconf.Treb. legatarij,quando ex Pegasiano, d.§. Restituta: hodie semper loco hæredis,cum virtus Pegasiani sit attributa Trebelliano,vt infra videbimus. Verum omnes actiones quæ ipso iure in hæredem competunt,transferuntur ex Senatusc.Trebell. in fideicommissarium,tãquam eum qui est loco hæredis, danturq. in eum non quidem directo,sed
2 vtiliter, hoc est, per quandam interpretationem, & sic hæres,hæreditate restituta, ipso iure, creditoribus hæreditarijs tenetur, quia hæres manet. Cęterum ex Senatusc. Trebell. omnes actiones, quæ iure ciuili hæredi, & in hæredẽ competunt,
3 ei & in eum dantur, cui ex fideicommisso hæreditas restituta est,d.§.restituta hoc tit.& l.1.ff.ad Senatusc.Trebell.pro rata.f.& portione quã ipse fideicommissarius accipit. Vnde si hæres omnem hæreditatẽ restituit,oẽs ẽt actiones ex S.C.Treb. trãsferũtur ab hęrede in fideicõmissariũ,si partẽ, pro rata parte quoq; fit actionũ cõicatio,ita vt in
4 hęredẽ,qui restituit hęreditatẽ,directa,in eũ vero cui restituta est,vtilis actio datur,§.sed qa inf.eo.

SVMMARIVM.

1 *De Senatusconsulto Pegasiano, & quare fuerit introductum.*
2 *Pegasiano Senatusconf. quartam ex fideicommissis retinere licebat.*

§.Sed quia hæredes.

Supra dictum est de Senatusc.Trebell. quo restituta hæreditate omnes actiones actiuè,& passiuè in fideicommissarium transferuntur,tanquam eum qui loco hæredis est. Verum quia hęredes in testamento scripti, aut totam hæreditatem, aut pene totam, hoc est, supra dodrantem
1 plerunq. rogabantur restituere,& ob id adire hęreditatem,ob nullum,vel minimum lucrum recusabant,atque ita fideicommissa extinguebantur, nec Senatusconf.Trebell.aliquid in hoc disponebat. Ideo Vespasiani temporibus, Pegaso, & Pusione consulibus,Senatuscõl.Pegasianum factum fuit, quo ad exemplum legis Falcidiæ, hæres in testamento scriptus, & rogatus hæreditatem restituere perinde quartam partem retinere pote-
2 rat,atque ex l.Falcidia ex legatis retinere conceditur,§.sed quia hoc titu. ad quod Senatusconf. etiam respexisse Imperatorem nostrum, cum fideicommissarium,dicit,aliquando legatarij loco fuisse habitum superius,§.adnotauimus.

SVMMARIVM.

1 *Ex Senatusc. Pegasiano hæres quartam retinens, solus etiam hæreditaria onera sustinet.*
2 *Legatarius partiarius quis dicatur.*
3 *Stipulationes de communicandis commodis, & incommodis.*

§. Post quod Senatusconf.

1 Facto Senatusc.Pegasiano, quo hæres quartã partẽ hæreditatis retinere poterat,solus etiã onera hęreditaria sustinebat,& fideicommissarius legatarij partiarij loco erat,§.post quod Senatus consul.hoc tit. legatarius partiarius est, cui pars
2 hæreditatis legata est. Ideo sicut is cui pars hęreditaria legata est, eam absq. onere, & incõmodo suscipit,l.si quis seruum,§.vlt.ff.de legat.2. ita & fideicommissarius recipiebat suam partem fideicommisso sibi relictam absque aliquo onere. Vnde necesse erat,vt quæ stipulationes inter hæredem, & partiarium legatarium interponi solebant, eædem interponerentur inter eum, qui ex fideicommisso recipit hæreditatem,& hæredem, idest,vt lucrum,& damnũ hæreditarium pro rata parte inter eos commune esset,d.§.post quod Senatusconf.& sic post Senatusconf.Pegasianum solus hæres onera hæreditaria sustinebat,nisi stipulationes interuenissent de communicandis commodis,

3 modis, & incommodis, quæ stipulationes dicebantur partis,& pro parte. Et si quis diceret,ad quid? cum Senatusc.Trebell. cautum sit,vt omnes actiones,quæ hæredis scripto competunt,in fideicõmissarium vtiliter transferantur? Respondeo ob quartæ partis retentionem ex Senatusc. Pegasiano,hoc rursus immutatum fuisse, ideo eiusdem Pegasiani Senatusc.auxilio opus fuit.

SVMMARIVM.

1 *Trebelliano Senatusconf. quando locus esset.*
2 *Quando locus esset Pegasiano.*
3 *Stipulationes emptæ, & venditæ.*
4 *Fideicommissarius adire coactus ab omni onere liber erat.*

§. Ergo si quidem.

Relato Senatusc. Trebelliano, & Pegasiano, nunc quando Trebelliano, item quando
1 Pegasiano locus sit,recenset,& aliqua insuper ad Pegasianum pertinentia refert. Si igitur non minus quam dodrantem hæreditatis scriptus hæres rogatus sit restituere,ita vt nullius quartæ deductione opus sit; tunc ex Senatuscõs. Trebelliano restituebatur hæreditas,& actiones pro rata inter hæredem,& fideicommissarium diuidebatur, §.ergo si quidem, hoc titu. At si plus quàm dodrantem,vel etiam totam hæreditatẽ restituere
2 rogatus esset: tũc locus erat Pegasiano,& hęres, qui semel adierat, vniuersa onera hæreditaria sustinebat,siue quartam retinuerit, siue retinere noluerit,d.§.ergo,si quidem. Verum bene est,quòd quarta retẽta,ei succurrebatur per stipulationes partis, & pro parte, de quibus superiori, §.diximus,vel tota restituta,per stipulationes emptæ,
3 & venditæ hæreditatis,de quibus hic, &, si fortè recusasset scriptus hæres adire hęreditatem ob id quod diceret sibi suspectam,eodem Senatusconf. Pegasiano cautum erat, vt desiderante id fideicommissario, hæres iussu Prętoris cogi posset adire,& restituere,quo facto actiones omnes,absque stipulationibus,ei, & in eum transferebantur,cui hęreditas restituta erat, perinde, ac si ex Senatusconf.Trebelliano restituta fuisset, d.§.er-
4 go si quidem in fine, & sic hęres nullo cõmodo, aut incommodo afficiebatur, vtroque Senatusc. Trebell.& Pegasiano concurrente,si quidem Pegasianum scriptum hęredem periculo fideicommissarij adire cogit, Trebellianum verò actiones in fideicommissarium transfert.

Quinque ergo fuerunt capita Senatusc.Pegas.

Primum,quòd hęres quartam retinere posset, & de hoc diximus in §.sed quia hęredes.

Secundum,quòd solus onera hęreditaria sustinebat,et de hoc in §.post quod Senatusconf.

Tertium, quòd retenta quarta, stipulationes de oneribus,et commodis hęreditarijs interponi poterant inter hęredem, et fideicommissarium, de quo in §. ergo si quidem.

Quartum, quòd si rogatus nolebat retinere quartam,sed totam,et integram hęreditatem restituere, tunc emptę, et venditę stipulationes interponi debeant.

Quintum, et vltimum, quòd si hęres scriptus recusasset adire,et fideicommissarius postularet, vt adiret,iussu Pręroris cogi poterat ad adeundũ, nullaque stipulatione interueniente securus efficiebatur, omnesque actiones in fideicommissarium transferebantur.

SVMMARIVM.

1 *Transfusio Pegasiani Senatusconf. in Trebell.*
2 *Hæres fideicommisso grauatus semper quartam sibi retinet.*
3 *Actiones inter hæredem, & fideicommissarium pro rata diuiduntur.*
4 *Differentia inter Falcidiam,& Trebellianicam.*

§.Sed quia stipulationes,et §.si verò.

Quia stipulationes, quę ex Senatuscon.Pegasiano descendebant captiosę erant,et multis difficultatib.suppositę; ideo exploso Senatusconf. Pegasiano, ad Trebellianum omnis fideicommissorum auctoritas per Iustinianũ no-
1 strum, approbata simplicitate, redacta fuit, quo fit,vt hodie fideicommissaria hęreditas restituatur ex Senatusconf.Trebell. quartamq. sibi hęres retineat,quam non Pegasianam,sed Trebellianã, tametsi ex Senatusconf.Pegasiano primum fuerit inducta, appellemus, §. sed quia stipulationes, hoc titulo, et hoc siue habeat quartam hęres ex voluntate restatoris, aut plus, quo casu restituebatur hęreditas ex Senatusconf.Trebelliano,siue minus quarta, vel etiam nihil penitus, quo casu restituebatur ex Pegasiano, d.§.sed quia. Et sic hodie potest hęres, vel quartam, vel quod deest
2 quartę,ex Iustiniani auctoritate retinere,hoc est, ex Senatusconf.Trebelliano, cui Iustinianus hanc auctoritatem dedit,d.§.sed quia,hoc tit.Et si fortè per errorem facti,hęres quartam, vel qđ deest quartę nõ retinuerit,probato errore,solutum repetere potest,quasi ex Senatusconf.Trebelliano, d.§.sed quia,et l.si hęres in fi. ff.ad Senatusc.Trebelliano. Ideo autem inquit Imper.quasi ex Senatusc.Trebell.quia Senatusc.Trebell.de retinenda quarta nihil erat cautum, sed Iustinianus effecit, quòd hęres ex Trebelliano quartam retineret: omnesq. actiones, omissis stipulationibus à Pegasiano Senatusc.introductis,pro rata,et portione,tam in hęredem,quam in fideicommissarium
3 cõpetunt,d.§.sed quia,et sic Trebellianica quota hęreditatis non bonorum dicitur,cum oẽs actiones tam actiuè, quam passiuè diuidantur inter ipsum grauatum, et fideicommissarium pro suis partibus, ita communiter seruari dicit Corneus in l. et fine.C.ad Senatusconf.Trebell. et indubitatum iuris principiũ pręcipit Emanuel a Costa in cap.

in cap. si pater, extra de testam. verbo, Trebellia-
nicæ, nu. 1. & in hoc differt Trebellianica à Falci-
4 dia; nam falcidia retenta, nullas hæres excipit a-
ctiones, cum in ponenda ratione legis falcidiæ,
antè deducatur æs alienum, vt in titu. de l. falcid.
supra expositum est, quòd si hæres rogatus to-
tam hęreditatem spontè restituerit, omissis stipu
lationibus emptæ, & venditæ hæreditatis, ex Se-
natusconf. Trebelliano, omnes hæreditariæ actio-
nes, fideicommissario, & aduersus eum compe-
tunt, §. si verò, hoc tit. & si fortè hæreditatē adire
nolit, eo quod sibi suspecta videatur, nō amplius
ex Pegasiano, sed ex Trebelliano, postulāte fidei-
commissario adire cogitur, d. §. si verò.

SVMMARIVM.

1 *Quæ de transfusione Senatusc. Pegasiani in Trebel-
lianum dicta sunt, eadem locum habent, siue tota
hæreditas, siue pars restituatur.*
2 *Sicut vniuersalis fideicommissarius potest cogere
hæredē, vt adeat, ita et is cui pars restitui debet.*
3 *Particularis fideicommissarius cui pars restitui de-
bet, coacto hærede ad adeundum totam hæredi-
tatem suscipere cogitur, & omnia onera subit.*

§. Nihil autem.

QVæ de transfusione Senatusconf. Pegasiani
in Trebellianū, circa fideicōmissorū resti-
1 tutionem, dicta sunt, eadem locum habent siue
totam hæreditatem quis restituere cogatur, siue
eius partem. Ideo, sicut fideicommissarius vni-
uersalis potest cogere hęredē, siue sit hęres assis,
siue partis, vt adeat, & restituat, ita & is cui pars
2 assis, vel partis restitui debet, potest cogere hæ-
redem, vt adeat, & eam partem sibi restituat, §.
nihil autem, hoc tit. Verum bene est, quòd fidei-
commissarius particularis, cui. s. pars restitui de-
3 bet totam hæreditatem recipere cogitur, ex quo
hæres eam habere non vult, nec enim aliter cogi
potest hæres suspectam hæreditatem adire, nisi
fideicommissarius totam accipiat, omnibus om-
nino actionibus in eum transfusis, & sic eadem
obseruantur in restitutione partis, quæ in tota
hęreditate, d. §. nihil autem, & l. cogi, §. si quis hę-
res, ff. ad Senatusconf. Trebellian.

SVMMARIVM.

1 *Quando inter hæredem, & fideicommissarium nul-
la fiat actionum communicatio.*
2 *Qui re aliqua retenta, iussus est hæreditatem re-
stituere, legatarij loco habetur.*
3 *Pluralitas rerum singularium non mutat titulum
singularem.*
4 *An hæres hæredis Trebellianicam deducere possit.*
5 *An filius duas quartas detrahat.*
6 *Quid in ascendentibus.*

§. Si quis vna.

SVperioribus §§. adnotauimus, quarta ex Se-
natusconf. Trebelliano retēta, actiones inter
hæredem, & fideicommissarium pro rata portio-
ne diuidi; nunc Imperator vnicum recenset ca-
sum, in quo nulla fit actionum communicatio:
quando. s. testator hæredem instituit ex re certa,
puta ex fundo Tusculano, domo seiana, vel ex
quacunque alia re, eumque rogat, vt illa re dedu-
cta, siue præcepta, reliquam hæreditatem resti-
tuat, tunc enim licet ex Trebelliano fiat restitu-
1 tio, non tamen fit actionum communicatio inter
hæredem, & fideicommissarium, & ratio est in
hoc casu, quia hæres rem retinet, quasi loco lega-
ti, non quasi loco hæreditatis, §. si quis vna, hoc
titu. & l. si legatus 30. §. multum interest, ff. ad Se-
natuscōs. Trebell. & hoc locum habet siue res illa
quartam cōtineat, siue plus, d. §. si quis vna, quod
si minus quarta contineat, poterit quidem hęres
supplementum petere, sed tamen tenebitur cre-
ditoribus pro eo quod suppletur, cum illud ha-
bere videatur ad restitutionē quotę glo. & Doct.
hic, & in l. 1. §. fin. ff. ad Senatusconf. Trebell. & sic
legatarij loco habetur, qui re aliqua retenta ius-
2 sus est hæreditatem restituere: sicut & is, qui ex
certa re institutus est, dato cohærede vniuersali
legatarij vicem sustinere dicitur, l. quoties, C. de
hæredibus instituen. & ibi Salycet. not. Emanuel
à Costa in cap. si pater, in verbo, Trebellianicæ,
num. 19. extra de testam. Idem quoque in fidei-
commissario, cui certum corpus, vel quantitas
per fideicommissum relinquitur, obtinere, vt pro
legatario habeatur responsum est in l. si hæres ab
eo 68. ff. ad Senatusconf. Trebell. Quinimo, hoc,
quod actiones apud solum fideicommissarium
maneant, re certa ab hærede ex voluntate testa-
toris præcepta, & deducta, locum habet etiam si
in illa re, quam quis deducere debet, maxima
hæreditatis pars contineatur, nam tunc etiam in
solidum transferuntur actiones in fideicommis-
sarium, d. §. si quis vna, nec iniquum videri debet,
cum in potestate fideicommissarij sit, an velit si-
bi hæreditatem restitui, vel non, vt docet Imper.
hic. Vnde si restitutionē petat, & damno ex hoc
afficiatur, æquo etiam animo ferre debet cum il-
lud sua culpa sentiat cap. damnum de regul. iur.
in 6. Item nō solum locum habet in vna specie,
seu re, sed etiam si duab. pluribusve rebus dedu-
ctis, restituere hæreditatem rogatus sit: quia licet
plures res videantur constituere quid vniuersale:
tamen hoc verum non est, quandoquidem plu-
ralitas rerum singularium, non mutat titulum sin-
3 gularem, l. 1. §. vlt. ff. de rei vindicat. Ideo talis qui
plures res retinet loco legatarij est: sicque sem-
per ratio tex. militat, vt Bellon. Mysing. & alij hic
notant. Sed & si certa summa, & quantitate de-
ducta præceptave, quæ quartam, vel etiam maxi-
mā hæreditatis partē continet, rogatus sit aliquis
hæredi-

hæreditatem restituere, idem iuris est, omnesque actiones eodem modo in fideicommissarium transferuntur, quo re vna, pluribus sve deductis, & præceptis transferri diximus d.§.si quis vna in fine, hinc apparet ratio l.1.§.si is qui.ff.ad Trebel. cur videlicet hæres, cui certa pecunia legatur sit iuris singularis successor, quod idem probat l.si legatus 30.§.vlt.ff.ad Trebell. & §.1. infra titu.1. Omniaque hæc locum habent tam in eo, qui ex asse institutus est, quam etiam in eo, qui ex parte d.§.si quis vna in fine, illud omittendum non est, quod, si hæres institutus, & grauatus Trebellianicam non detraxerit, poterit hoc facere hæres e-
4 ius tex.est in l.quanquam C. ad Senat.consul.Trebell. communem dicit Dilect. de Arte testandi tit.5.cautel.31. Sed si hæres grauatus restituere sit de liberis testatoris, cui debetur legitima, an duas quartas detrahere possit, scilicet legitimam debitam de iure naturæ, & Trebellianicam, ve-
5 rior, ac magis recepta opinio est, quòd si purè filius grauatus sit non possit detrahere nisi vnam quartam, si vero sub conditione, vel in diem duas detrahat gloss.in l.Papinianus. §.meminisse. ff.de inoffic.testamen.communem dicit Alexand. in l. in ratione.§.quod vulgo. ff.ad l.Falcid. Socin.in l. 1.C.de pact. & Ias.in Auth.nouissima, num.39. C.de inoffic.testamen. Ratio autem, quare duas quartas deducere nequeat, casu quo purè institutus est, ea est, quia in restitutione purè facienda, & de præsenti concurrunt duæ deductiones eodem tempore quas iuris regula fieri non permittit.l.in ratione.§.quod vulgo. ff.ad l.Falcid.& l.iubemus.C.ad Senat.consul.Trebel. sed quando restituere rogatus est sub conditione, vel ad certum diem, illæ deductiones non concurrunt, vno eodemque tempore, sed diuersis fiunt temporibus, quod iure non prohibetur, hanc rationem tradit Accurs.in l.Papinianus.§.meminisse.in verbo Falcidiæ.ff.de inoffic.testamen. & Abb.in capit.Raynutius num.25.extra de testamen. Præterea quando purè rogatus est restituere, vnam tantum quartam detrahit, quia Trebellianica imputatur ei in legitimam, cum quicquid iure institutionis capit ei sic imputetur, vt in l.in quartam.ff. ad l.Falcid.in l.quoniam nouella. ff.de inoffic.testamen. & in l.illud. C.de collat. & sic sufficit ad excludendum querelam quod sit institutus, & aliquid iure institutionis habeat, secus est, si sub cōditione, vel in diem grauatus sit restituere, quia tunc statim à morte testatoris consequitur legitimam suam in residuo pendet fideicommissum, ergo adueniente conditione, vel die Trebellianicam, vt quilibet alius extraneus fideicommisso grauatus detrahet, Gail.Pract.obseruat.lib.2.obseruat.130.num.3. Obseruãdum tamen est, quòd quarta Trebellianica, quæ vltra legitimam detrahitur, non est quarta hæreditatis, sed illius partis, quæ detracta legitima superest, & sic quando filij sunt quatuor, vel pauciores prius deducenda est legitima, quæ hodie est triens, deinde ex reliquis bonis Trebellianica, ita vt ex duodecim vncijs ratione legitimæ portionis deducantur quatuor, ratione Trebellianicæ deducantur ex octo duæ, & sic legitima cum Trebellianica sex vncias constituet glos.in cap.Raynaldus extra de testamen. ab omnibus in hoc communiter recepta, vt ibi Couar.§.3. in principio tradit, & Gail.d.obseru. 130.num.7.& si filij sint plures, quam quatuor, quo casu legitima est semis, tunc legitima cum Trebellianica septem vncias cum dimedio faciet Crass.§.Trebellianica, quæst.4.num.2. in fine, sed quid dicendum in ascendentibus? variant Doct. magis tamen recepta opinio est, quòd & ipsi
6 duas quartas detrahant, scilicet legitimam iure naturæ debitam, & Trebellianicam, vt parentes liberorum morte mœrentes per portionem bonorum releuentur Angelus, & Cuman.dubitante Baldo in l.si à milite. §.vlt. ff.de testament. milit. Couarr.in cap.rua.§.1.num.6.extra de testam. & Crass.d.quæst.4.num.4.

SVMMARIVM.

1 *Plures sunt intellectus huius §.*
2 *Verus intellectus alijs omissis ab auctore traditur.*
3 *Declaratur l.si veritas.C.de fideicommiss.*

§.Fin.

ACcedo ad §.vltimum desumptum ex l.fin. C.de fideicommiss. qui plures intellectus
1 habet, vt per Ias.in d.l.fin. ego alijs omissis arbitror verum intellectum esse, quod defunctus sine scriptura, & sine testibus petijt ab hærede scripto, vt fideicommissum aliquod restitueret, ideo fideicommissarius petit ab hærede tale fideicommissum, & cum non haberet, neque scripturam, neque testes, per quos voluntatem defuncti probare posset, deferre volebat iuramentum hæredi, hæres autem dicebat se non teneri ad iurandum, quia iuramentum futurum erat inutile, ex quo etiam si testator hoc commisisset, voluntas erat minus solemnis, cum nō adfuerint quinque testes, & fideicommissum relictum in minus solemni voluntate non debeatur l.si veritas 23. C. de fideicommiss. tamen hoc non obstante deci-
2 ditur contrarium hæredem, scilicet, iurare debere, aut fideicommissum præstare, ne voluntas testatoris fidei hæredis cōmissa pereat, nec obstat, quod quinque testes requirantur, quia respondet Imperat. in d.l. fin. in versic. Lex etenim, quòd lex desiderat numerum testium in fideicommissis ad probationem non pro forma, ideo posse etiam sine testibus valere, quando hæres est sibi ipsi testis, quis enim locus testibus relinquetur, vel quomodo ad extraneam fidem decurretur? inquit opt. Princeps propria, & indubitata fide relicta? ergo lex in contrarium adducta procedit, quando hæres non fuit præsens, tunc enim fideicommissa non debentur ex minus solemni volun-

voluntate, sed quando hæres fuit præsens non est opus testimonijs, iste est verus intellectus, §. nostri, & d. l. fin. C. de fideicommiss.

S V M M A R I V M.

1 *Continuatio.*
2 *Non solum vniuersa hæreditas, sed etiam singulæ res per fideicommissum relinqui possunt.*
3 *Quamuis olim à legatario legari non posset, hodie tamen potest.*
4 *An legatarius, vel fideicommissarius iussus alteri restituere, quadrantem restituere possit.*

DE SINGVLIS REBVS per fideicommissum relictis. Titulus XXIV.

In principium Tituli.

Cvm superiori titulo actum sit de vniuersalibus fideicommissis, quæ vel totius hæreditatis, vel quotæ alicuius restitutionem conti-
1 nent, nunc sequitur de particulari, in quo non quota hæreditatis, sed res specialis, aut quantitas alteri restituenda venit.

Quæ res fideicommitti possint.

Per fideicommissum non solum vniuersa hæreditas relinqui potest, sed etiam singulæ
2 res, vt fundus, argentum, homo, vestis, pecunia numerata, & similia, vt hic in principio tituli. Potestque testator, vel hæredem rogare, vt hanc rẽ, vel illam restituat, vel etiam legatarium, vt rem sibi legatam restituat nomine legati, quamuis
3 olim à legatario legari non posset, cum hodie per omnia legatis fideicommissa exæquata sint, potest, vt hic in dicto principio tit. & in l. 2. C. communia de legat. omnis enim qui à testatore commodum sentit, ab eodem etiam grauari potest, notatur in l. 1. §. hæc disposuimus. C. communia de legat. Illud notãdum est, quòd legatarius, vel particularis fideicommissarius alteri restituere grauatus, quartam deducere non potest, quia vt deductioni locus sit, oportet eum qui vult detrahere, grauatum esse tanquam hæredem, & directum tex. est in l. si patrem. §. si deicommissariã.
4 & in l. mulier. §. fin. vbi gloss. & Doct. notant. ff. ad Senat. consul. Trebell. quinimo, nec vniuersalis fideicommissarius ius deducendæ quartæ habet secundum d. l. si patrem, & hoc regulariter verum est per supra dicta, sed quid si hæres primo trebellianicam non detraxit, sed fideicommissario liberaliter restituit? Respondeo, quòd tunc fideicommissarius detrahit nõ ex persona sua, sed hæredis, quando, scilicet, constat hæredem fideicommissario donare voluisse, id quod in dubio præsumitur si hæres simpliciter restituit, secus si de contraria voluntate cõstet, nam tunc detrahere ex propria persona sua non potest Ias. in l. 1. §. denique, nu. 2. ff. ad Senat. consul. Trebell. Socin. iun. & Rip. in l. cum filiofamil. ff. de legat. 1.

S V M M A R I V M.

1 *Potest testator non solum res proprias per fideicommissum relinquere sed etiam ipsius hæredis, legatarij, & fideicommissarij.*
2 *Nemo plus onerari debet, quam sit honoratus.*

§. Potest autem.

Potest quoque testator non solum res proprias per fideicommissum alteri relinquere,
1 sed etiam ipsius hæredis, legatarij, fideicommissarij, aut etiam cuiuslibet alterius. §. potest autem hoc tit. tenetur que tunc is, qui rogatus est, aut ipsam redimere, & præstare, aut eius æstimationem soluere, prout, & de legatis diximus in §. non solum supra de legat. Hoc solum obseruandum est, ne plus quisquam rogetur restituere, quàm ipse ex testamento, vel alio quouis defuncti iudicio
2 habet, nam quod amplius est inutiliter relinquitur d. §. potest autem, & l. 1. §. si is qui. ff. ad Senat. consul. Trebell. & sic vtile per inutile non vitiatur, cap. vtile de reg. iur. in 6.

S V M M A R I V M.

1 *Libertas quoque per fideicõmissum relinqui potest.*
2 *Etiam de seruo alieno manumittendo hæres grauari potest.*
3 *Quod differtur nõ aufertur, sed interim non datur.*
4 *Directè manumissus defuncti libertus est per fideicommissum hæredis.*

§. Libertas, & §. Qui autem.

Libertas quoque per fideicommissum relinqui potest, potestque hæres, vel etiam legatarius, aut fideicommissarius rogari, vt seruum
1 manumittat. §. libertas hoc tit. & tot. tit. ff. de fideicommissar. libertat. nec interest vtrum de suo proprio seruo testator roget, an de eo qui ipsius hæredis, aut legatarij, vel etiam extranei sit d. §.
2 libertas, & §. si de extraneo manumittendo hæres, legatarius, vel fideicommissarius rogatus sit, debet ipsum redimere, & manumittere d. §. libertas, & si fortè dominus eum vendere nolit (neque enim, vt vendat cogi potest, nisi aliquid ex defuncti iudicio acceperit) non per hoc statim extinguitur libertas, sed in suspenso manet, differturq; in illud vsque tempus, quo seruus redimi possit d. §. libertas, idque fauore libertatis, potest enim fieri, vt dominus aliquando mutet voluntatem, & vendere velit. l. deberi. C. de fideicommissar. libertat. neque interim præstari potest æstimatio, cùm talis præstatio seruo nihil prodesse possit, hinc colligit Accurs. quod differtur non auferri,

nec

3 nec etiam interim dari, intellige nisi mora, aut cul pa obijci possit, vt in contrarijs in glosa allegatis. Seruus autem, qui manumittitur ex causa fideicommissi non efficitur testatoris libertus, quāuis eius seruus fuerit, sed hæredis manumittentis. §. qui autem hoc tit. quæ res non caret commodo, vt Mysing. hic tradit. At qui directò ex testamēto libertatem accipit, efficitur quidem testatoris libertus, Orcinusque appellatur, quasi Orci, seu Charontis sit libertus, explosa enim est Alciati sententia, qui lib. 1. prætermiss. hunc libertum, nō Orcinum, sed Orthinum potius appellandum pu tat, eo quod directò fiat liber, quem refellit Cuiac. in not. ad Vlpian. tit. 2. & lib. 3. obseruat. cap. 23. & nouissime Vulteius hic in §. qui autem.

SVMMARIVM.

1 *Verba fideicommissorum, quæ in vsu esse solent.*
2 *Per appositionem multorum verborum non inducitur pluralitas fideicommissorum.*

§. Fin.

Quæ verba in fideicommissis in vsu frequenter esse soleant.

1 VErba hęc in fideicommissis in vsu maximè esse solent, veluti, peto, volo, mando, fidei tuæ committo, vt restituas §. fin. hoc tit. & l. 2. C. communia de lega. deprecor, cupio, iniungo, desidero l. etiam hoc modo 118. & l. & eo modo 121. ff. de lega. 1. iubeo. l. aurelius. §. vlt. ff. de liberta. legat. & similia, sicque non refert, an sint præceptiua, vel rogatiua, sufficitque sine vnum horū
2 verborū apponat, siue multa, nec p appositionē eorū inducitur pluralitas fideicōmissorū d. §. fin.

SVMMARIVM.

Continuatio, & concordantes tituli.
Codicillus quid sit, & vnde dictus.
Codicillorum origo.
Quare introducti sint codicilli.
Qui codicillos facere possint.

DE CODICILLIS.
Titulus XXV.

In principium tituli, & §. 1.

QVia fideicommissa non tantum testamento relinquunt, sed etiā codicillis, ideo post tit. de fideicōmissis de codicillis iusto ordine sequit, & cōcordat tit. ff. de iur. codicill. & C. de codicill.

Quid sit codicillus, & vnde dictus.

COdicillus est vltima voluntas minus solemnis, & absque institutione hæredis de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, coram quinque testibus declarata. §. codicillis infra eodem, & l. sed si idem. C. de codicill. dictique sunt codicilli, quia tam quo ad paruitatem solemnitatis, quam quo ad breue compendium dispositionis in paruo quodam codice fieri solebant, codex enim pro testamentaria scriptura accipitur, vt in §. sed & vnum, supra de testamen. & apud Iuuenalem 1 61.

Nam codice sauo Hæredes vetat esse suos.

Et sic, quia cum minori solemnitate, & consequenter in breuiori Codice, quam testamenta describebantur Codicilli appellati fuerunt.

Origo Codicillorum.

ANte Augusti tempora nullus fuit codicillorum vsus. Primus Lucius Lentulus codi-
3 cillos introduxit, is enim cum antea, Romæ testamentum fecisset, in eoque Augustum hæredem instituisset, in Africa decedens, codicillos scripsit testamento confirmatos (dicuntur codicilli testamento confirmati, quando in testamento testator cauit, vt si quos postea fecerit codicillos, ij rati & firmi sint) in ipsisque codicillis ab Augusto Lucius Lētulus per fideicommissum petijt, vt aliquid faceret. Augustus prudentes conuocauit, inter quos Trebatium quoque, cuius tunc maxima erat auctoritas, & quæsiuit, an codicilli possent recipi. Trebatius suasit vt reciperentur, dixitque hoc vtilissimum, & necessarissimum esse ciuibus propter magnas, & longas peregrinationes, vt si quis testamentum facere non posset, incommodis peregrinationis detentus, saltem, codicillos posset. Post quod tempus cum & Labeo, Iureconsu. ea ætate præcipuus codicillos fecisset, nemini amplius dubium fuit, quin codicilli iure optimo admitterentur. §. 1. hoc titu. & hoc optima quidem ratione statutum esse videtur, nam cum testator quando condit testamentum, non possit omnia ita perspicue animaduer-
4 tere, quæ ad perfectam eius dispositionem pertinent, sæpeque temporum varietas, & morum vicissitudo efficiat, vt quę eo tempore conueniebant, postmodum expedire minime videantur, nec tamen in totum euertere, aut mutare voluntatem suam velit, sed eam apertius declarare, vel aliquid ex legatis detrahere, vel augere, vel suam exonerare conscientiam, ideo statuit ius, vt breui quodā cōpendio in codicillis hoc efficere posset.

Qui codicillos facere possint.

POssunt codicillos facere omnes illi, qui & testamentum facere possunt, & si quis de
5 iure testari prohibeatur, vt quia furiosus, impubes, vel ex alia causa, nec codicillos facere potest l. 2. §. furiosus, & l. diui. §. codicillos. ff. eodem.

SVMMARIVM.

1 *Codicilli, & in scriptis, et sine scriptis fieri solent.*
2 *Cum testamento, & sine testamento.*
3 *Cum testamento tripliciter fiunt.*
4 *Confirmantur codicilli, & tacitè, & expresse.*
5 *Effectus clausula codicillaris.*
6 *Codicilli ab intestato qualiter fiant.*

§.Non tantum, & §.Sed, & diui.

Qualiter codicilli fieri soleant.

Codicilli ad exemplum testamẽtorum dupliciter fieri solent, in scriptis adhibitis quin-
1 que testibus, qui se subscribũt, & sine scriptis per nuncupationem declarata voluntate de'uncti coram quinque testibus, siue ea postea in scripturã redigatur, siue non, gloss. & Mysing. hic in prin-
2 cipio tituli. Item fieri possunt, & cum testamento, & sine testamento ab intestato, scilicet, §.non tantum hoc titulo.

Qualiter cum testamento fieri soleant.

Codicilli cum testamento fiunt, quando quis facit testamentum, & etiam codicillos. Idque tribus modis fieri potest, aut ante testamentum, aut post testamentum, aut in ipso testa-
3 mento, gloss. hic post tex. in l. conficiuntur ff. eodem. Ante testamentum fiunt codicilli, quando testator prius fecit codicillos, & postea testamẽtum. Post testamentum, quando prius testamentum, & postea codicillos, & licet olim ante testamentum facti non valerent, nisi per testatorem in testamento sequenti expressè essent confirmati, vt hic in §.non tantum, & in l.5. ff. eodem, hodie tamen valent, etiam si expressè confirmati non sint, & hoc siue facti sint ante testamentum, siue post testamentum, taciteque confirmati censentur, nisi expressè reuocentur, §.sed, & diui, hoc tit. & l.si quis, §.fin. ff. eodem, & sic
4 codicilli cum testamento facti dupliciter confirmari dicuntur, tacitè, & expressè. Tacitè cum in praecedenti, aut sequenti testamento non repetitur mutata voluntas. Expressè, vt si testator dicat codicillos quos antea feci confirmari volo, si ante fecit l. fine initio. C. eodem, vel codicillos quos faciam valere volo, si post fecit, notant Doct. in d.l. conficiuntur. ff. eodem. In ipso verò testamento codicilli fiunt, quando testator facit testamentum, & in subsidium codicillos, vt tunc demum valeant, cum testamentum valere non potest, & hoc quando in testamento adiecta est clausula codicillaris, vt si non valet iure testamenti, valeat iure codicillorum. Quae clausula operatur plures effectus. Vnus praecipuus est, quòd si testamentum non valet, institutio facta in testamento vertitur in fideicommissum vniuersale, & succedunt venientes ab intestato, virtuteq. illius clausulae tenentur restituere haereditatem haeredi scripto, re-
5 tenta trebellianica. l. ex ea scriptura. §. fin. & l. ex testamento cũ ibi notatis. C. de fideicommiss. notat Bart. in l.1. ff. eod. Ponamus igitur, quod quidam extraneus fuerit institutus in testamẽto minus solemni, vbi fortè non sunt adhibiti septem testes, aut non sunt rogati, & addita sit clausula codicillaris, certè hęres scriptus ex tali testamento tanquam imperfecto haereditatem capere minime potest secundum tex. in l. ex imperfecto. C. de testamen. virtute tamen clausulae codicillaris censetur vltima voluntas, non vt testamentũ, sed vt codicillus, & quia in codicillis scriptus hęres directò haereditatem capere non potest, sed solùm per interpositam personam, & interposita persona, in hoc casu esse non possunt, nisi venientes ab intestato, quibus lex haereditatem ab intestato defert. Ideo per illam clausulam censentur rogati venientes ab intestato ad adeundam haereditatem, & eam haeredi in testamento scripto restituendam, tanquam per fideicommissum, intellige dummodo quinque testes interuenerint, & alia quae ad codicillos requiruntur de quib. inf. videbimus. Ita tenent omnes in l.1. ff. eod. vt fatetur Corneus consil. 18. vol. 2.

Qualiter ab intestato fiant.

Sine testamento, seu ab intestato codicilli fiũt, quoties quis nullo condito testamento, & intestatus decedens voluntatem suam corã quin-
6 que testibus declarat dicto §. non tantum. Et sic dicuntur ab intestato, quia decedente testatore nullo condito testamento fiunt. Item quia cum nullum factum sit testamentum, & haeres codicillis dari non possit, succedantque consequenter illi, qui ab intestato veniunt, meritò ab intestato fieri dicuntur.

SVMMARIVM.

1 *Haereditas in codicillis directò dari potest, nec adimi potest.*
2 *Nec conditio haeredi scripto adijci.*
3 *Si relicta sit haereditas in codicillis directò, an saltem valeat iure fideicommissi.*
4 *Quae requirantur ad hoc, vt codicilli valeant.*
5 *Quae differentia sit inter testamenta, & codicillos.*

§.Codicillis, & §.Fin.

Quae sit natura codicillorum.

Natura codicillorum ea est, quòd in eis haereditas directò dari per institutionem, aut
1 directam substitutionem minime potest, sed solum per fideicommissum §. codicillis hoc titu. & l.7. C. eodem. Item, nec adimi per exhaeredationem liberorum, aut expressam ademptionem institu-

institutionis extraneo factæ, d.§.codicillis, & l. non codicillum, C.de testamen. & ratio est secundum Imper. hic, ne ius testamentorum, & codicillorum confundatur, quod fieri non debere, vel ipsa nominum diuersitas commonere videtur, l. si idem, C.eodem. Item, quia si liceret codicillis hæreditatem dare, vel adimere, sequeretur testamentum confirmari, & renocari per codicillos posse, & sic per accessorium confirmari, aut infirmari principale, quod absurdum foret, l.3.§.vlt.
2 & 16.ff.eodem, quin nec conditio hęredi institutō codicillis adijci potest, d.§.codicillis, & ratio est, quia qui conditionem adijcit, effectu hæreditatem adimit, in casum deficientis conditionis, l.penult.ff.de condit.institut. Ideo reiecta conditione hæres perinde hæreditatem consequitur, ac si nulla conditio apposita esset, l.diuus, ff.eodem. Eadem ratione, nec adimi codicillis conditio potest, ne videatur hæreditas, hoc modo purè dari, quod lege prohibitum est Angel. & Mysing.hic. Sed pone testator hæreditatem in codicillis relinquit, aut directè substituit, certum est, quod non
3 valet iure directò, vt diximus quæro, an saltem valeat iure fideicommissi. Dic quòd sic, dummodo euidenter constet testatorem noluisse testamentum facere, sed codicillos, text.est in l.Scęuola, vbi Bart.not.ff.ad Senatusconf.Trebell.Alexan.in l.fin.C.eod.censenturq. in hoc casu rogati venientes ab intestato, vt restituant hæreditatem instituto in codicillis cū diminutione quartę partis, quam ex Senatusconsul.Trebell. sibi retinere possunt, Porc.hic, num.7. Secus tamen est, si cōstet, quòd testator voluerit testari (prout in dubio pręsumitur quoties verbo institutionis vtitur secundum tex.in l.non codicillum, C.de testam.) & non adhibuit solemnitates necessarias, sed coram quinque testibus dixit, se Titium hæredem instituere, tunc enim non valet talis dispositio propter defectum voluntatis, nec etiam iure codicillorum, l.1.ff.eod. & ita tenent omnes Doct. vt dicit Vasqu.lib.3. de successionum progressu, §.30.num.38.nisi adiecta sit clausula codicillaris, nam tunc valet quidem iure codicillorum.

Quæ requirantur ad hoc, vt codicilli valeant.

Requiruntur, primò, quinque testes inter quos, & fœmina esse potest licet in testamentis secus sit, l.fin.& ibi glo.& Doctor.C.eod.
4 Secundò, requiritur, quòd tales testes vno, & eodem tēpore sint adhibiti, sicuti quęcunque alia vltima voluntate, d.l.fin. non tamen est necesse, vt sint ad hoc specialiter rogati, d.l.fin. Tertiò, si in scriptis fiant codicilli pro forma ipsorum requiritur subscriptio testium, non tamē sigilla necessaria sunt glo.Alex.& alij, in d.l.fin. Ex ijs igitur, & alijs, quæ in tit.de testam. supra à nobis dicta fuerunt, facilè intelligi potest, quę differentia sit inter testamenta, & codicillos.

Quæ differentia sit inter testamenta, & codicillos.

Primò, in codicillis sufficit, si testandę veritatis gratia quinque testes adhibeātur, etiam non rogati, inter quos, & mulier. In testamentis septem, specialiter rogati, nec mulier. Secundò, in codicillis factis in scriptis subscriptio quinque
5 testium sufficit. In testamentis, subscriptio septē testium, & etiam sigillorum appensio. Tertiò, in codicillis directò hæreditas dari, nec adimi potest, in testamentis, sic. Quartò, potest quis cum multis codicillis decedere, §.fin. hoc tit.l.diui.ff. eod.l.cum apponas. C.eod. non sic, cum multis testamentis, quia prius posteriore tollitur, §.posteriore, supra quibus mod testam.infirmen.& l. cum proponaris. C.eod. Diuersitatis ratio ea est, quia testamentum plenam dispositionem bonorum, absolutamq. totius patrimonij ordinationē continere debet, quod nō est in codicillis, in quibus de parte bonorum, rebusq. singularibus tractatur non habita ratione directi hæredis. Ideo & plures etiam esse possunt, cum sint velut diuersa, & particularia, separataque legata, intellige, dummodo non constet testatorem prioribus derogare voluisse, l.5.& 6.ff.eod.l.1.& 3. C.eod. Laus Deo.

Finis libri secundi Institutionum.

THADAEI PISONIS SOACII, GVERINI FILII. I.V.D. COMMENTARIA.

In Librum tertium Institutionum Domini Iustiniani.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio,& concordantes Tituli.*
2 *Quid sit successio ab intestato.*
3 *Successioni ab intestato quando locus sit.*
4 *Intestatus quando quis decedere dicatur.*
5 *Quo iure deferatur hæreditas ab intestato.*
6 *Quomodo deferatur hæreditas ab intestato.*

DE HÆREDITATIBVS, quæ ab intestato deferuntur. Titulus Primus.

In principium Tituli.

1 SVccessioni ex Testamento rectè subijcitur successio ab intestato, cum huic successioni locus esse non possit nisi illa deficiente, l.39.ff.de acquir.hęredit.& l.89.ff.de regulis iuris, & concordat titulus, ff. de suis, & legit. hæred. & Auth.de hęred. ab intest. venient.

Quid sit successio ab intestato.

SVccessio ab intestato est vniuersalis acquisitio bonorum hæreditariorum, quæ ex legis
2 dispositione, nullo existente testamento, certo quodam ordine proximiorib. consanguineis defertur, §.1.hoc tit.l.1.§.1.ff.de suis,& legit.hered. & l.intestatus,ff.de verb.signific.

Successioni ab intestato quando locus sit.

TVnc demum locus est successioni ab intestato, cum quis intestatus,& nullo condito te-
3 stamento decedit, nam quamdiu hereditas ex testamento adiri potest, successio ab intestato cessat, d.l.39.de acquir.hæred.& 89.de reg.iur.

Intestatus quando quis decedere dicatur.

INtestatus multis modis quis decedere dicitur, vt declarat Imperator hic in princ.tit. & Iurisconsul.in l.1. ff.de suis,& legit. hæredibus,& primo intestatus ille proprie dicitur, qui cum testamentum facere posset, non fecit, vel quia no-
4 luit, vel quia de facto impeditus, vtpotè morte præuentus, nō potuit. Sed an qui iure testari nō potest, vt prodigus, furiosus, pupillus, filiusfamilias, & similes de quibus supra; quibus non est permiss.facere testam.dictum est, intestatus dici possit, ac compræhendi in statuto loquente de intestato decedente, magna est apud Doctores altercatio: sunt enim qui existimant, intestatos hoc casu nō dici, nec sub statuto de intestato decedente compræhendi: huius opinionis fuit Cyn. & Alex.in l.generaliter, C.de institut.& substitut. Bald.cons.475.par.3. Socin.iun.consil.23.vol.2. Paris.cons.73.nu.32.vol.1. & plures alij quos refert Crass.in §.successio ab intestato, q.1. Cōtrarium verò, quod statutum locum habeat etiam in his personis, tenet Bart.in d.l.1.ff.de suis,& legit.hæred.Dec.in d.l.generaliter, C.de institut.& substitut.& Crass.veriorem, nec ab ea in iudicando recedēdum esse affirmat in d.§.successio.maximè si talis sit communis vsus loquendi, vt intestati pro intestabilibus accipiantur,& intestabiles ab intestato decedere dicantur Viuius commun. opinio.lib.2.verbo, statutum.

Secundo intestatus decedere dicitur, qui testamentum etiam fecit, sed non iure fecit, vt quia non adhibuit solemnitates à iure requisitas, paria enim sunt aliquid non fieri, vel fieri, & non rectè fieri, l.quoties, ff. qui satisd.cogan.

Tertiò etiam, qui testamentum iure fecit, sed postea ruptum, aut irritum efficitur, similiter intestatus decedere dicitur.

Quartò ille etiam intestatus dicitur, cui nullus hæres existit, & si testamentum ex omni parte perfectum sit, d.l.1.ff.de suis,& legit.hæredit. & hic in princip. tit.

Quo iure deferatur hæreditas ab intestato.

HÆreditas ab intestato triplici iure defertur 12.tab.prætorio,& Authenticorum,
5 verum quia ius Auth. tanquàm nouissimum obseruatur iuxta regulã, l.& posteriores, ff.de legib.

Ideo

Ideo ſecundum huiuſmodi ius etiam hanc materiam ſucceſſionis ab inteſtato non hic, ſed infra in titulo de bonorum poſſeſſ. commodiore loco pertractabimus.

Quomodo deferatur hæreditas ab inteſtato.

Licet rubrica noſtra generalis ſit, prout, & principium tituli generale eſt, attamen in nigro hic ſpecialiter de primo tantum hæredum
6 ordine agitur, id eſt de ſuis hæredibus, de cæteris poſtea in titulis ſequentibus vſque ad titulum de bonorum poſſeſſione, vbi, & de ſucceſſione, quæ ex iure prætorio defertur, habemus. Ideo commodius etiam totam hãc materiam ſucceſſionis ab inteſtato ibi explicabimus hic tantũ generalia quædã pro veteris iuris cognitione attingentes.

SVMMARIVM.

1 *Inteſtatorum hæreditates ex l. 12. tab. ad ſuos hæredes pertinent.*
2 *Hæreditas, quæ ab inteſtato defertur legitima dicitur.*
3 *Qui dicantur ſui hæredes.*
4 *Dominium bonorum paternorum quaſi continuatur in filios.*
5 *Filij pars corporis patris dicuntur.*

§. Inteſtatorum cum pluribus ſequentibus.

Quibus deferatur hæreditas ab inteſtato.

1 Inteſtatorum hæreditates ex l. 12. tab. primũ ad ſuos hæredes pertinent, §. inteſtatorũ, hoc tit. & l. 1. ff. de ſuis, & legit. hæred. verba ſunt hæc.

Inteſtatorum hæreditates primò hæredum velint, nolintvè ſunto.

2 Idcirco hæreditas, quæ ab inteſtato defertur, legitima hæreditas dicitur, l. 3. §. penultimo, ff. pro ſocio, l. 6. §. 1. ff. quæ in credito.

Qui dicantur ſui hæredes.

Svi hæredes dicuntur; Primo omnes filij tàm maſculi, quàm fœminæ, dummodo in pote-
3 ſtate ſint, §. inteſtatorũ, hoc tit. nec refert, an naturales, vel adoptiui ſint filij, an legitimè nati, vel legitimati, §. quibus, & §. nec non eos, hoc tit.

Secundò, poſthumi quoque ſui dicuntur ſi viuo teſtatore in poteſtate eius nati fuiſſent, §. ita demum, in fine, hoc tit.

Tertiò, dicuntur ſui etiam nepotes, & pronepotes cæteriq. deſcendẽtes ſi nemo eos in gradu præcedat, d. §. ita demum, & hi omnes etiã ignorantes, & furioſi hæredes exiſtunt, ſtatim enim à morte parentis quaſi continuatur Dominium in
4 eos, & ideo nec tutoris autoritate opus eſt pu-
5 pillis, nec curatoris cõſenſu furioſis, §. ſui autem hoc titulo: filij enim pars corporis patris dicuntur, l. cum ſcimus, §. vlt. C. de agricolis, & cenſitis, l. b. 11. hinc Dido apud Ouidium.

Forſitan & grauidam Dido ſcelerate relinquis,
Parſque tui lateat corpore clauſa meo.

SVMMARIVM.

1 *Interdum efficitur ſuus etiam, qui in poteſtate morientis non fuit.*
2 *Filius captus ab hoſtibus, & poſt mortem patris reuerſus, ſuus hæres efficitur.*

§. Interdum.

Qvia diximus ſuum hæredem eſſe illum, qui tempore mortis defuncti in eius poteſtate
1 manet, nunc docet Imperator, interdum etiam fieri, vt quis ſuus hæres exiſtat, etiam ſi in poteſtate morientis non fuerit, veluti filius captus ab hoſtibus, is enim in poteſtate diei non poteſt, ſi tempore mortis teſtatoris apud hoſtes maneat,
2 vt diximus in §. ab hoſtibus ſuprà quibus modis, ius patriæ poteſtatis ſoluit: reuerſus tamen etiã poſt mortem patris iure poſtliminij ſuus hæres efficitur, §. Interdum hoc titulo.

SVMMARIVM.

1 *Caſus in quo qui ab initio ſuus eſt, ex poſt facto ſuus eſſe deſinit.*
2 *Perduellionis crimen etiam in mortuos exercetur.*
3 *Perduellionis crimen, quod nam ſit.*

§. Per contrarium.

Sicut ſuperiori, §. caſum habemus in quo qui ab initio ſuus non eſt, ex poſt facto ſuus efficitur, ita per contrarium hic caſus eſt, in quo quis etiamſi ab initio ſuus ſit, ex poſt facto ſuus
1 eſſe deſinit, veluti ſi poſt mortem pater indicatus perduellionis reus, & eius memoria damnata fuerit, §. per contrarium hoc tit. licet n. regulariter crimina morte extinguãtur, vt in l. 2. C. ſi reus, vel accuſat. mortuus ſit, hoc tamẽ locũ non habet in perduellione, ſed tale crimen, vtpote atrociſſimũ etiã in mortuos exercetur, l. vlt. C. ad l. Iul. maieſ.
2 licet igitur pater cũ moreretur ſuũ quidẽ hęredẽ habuerit, attamẽ ob memoriã damnatã propter perduellionis crimen, qui ſuus erat, ſuus eſſe deſinit, & hoc, quia illi fiſcus ſuccedit, d. §. per contrariũ hoc tit. & d. l. vlt. C. ad l. Iul. maieſt. perduellionis crimen eſt hoſtilia aduerſus Rempublicam moliri, quod nunc crimẽ lęſę maieſtatis dicimus.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo ſui hæredes ſuccedant, & qualiter inter eos diuidatur hæreditas.*
2 *Ius primogenituræ.*

§. Cum

THADAEI PISONIS SOACII, GVERINI FILII I.V.D. COMMENTARIA,

In Librum tertium Institutionum Domini Iustiniani.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Quid sit successio ab intestato.*
3 *Successioni ab intestato quando locus sit.*
4 *Intestatus quando quis decedere dicatur.*
5 *Quo iure deferatur hæreditas ab intestato.*
6 *Quomodo deferatur hæreditas ab intestato.*

DE HÆREDITATIBVS, quæ ab intestato deferuntur. Titulus Primus.

In principium Tituli.

1 SVccessioni ex Testamento rectè subijcitur successio ab intestato, cum huic successioni locus esse non possit nisi illa deficiente, l.39.ff.de acquir.hęredit.& l.89. ff.de regulis iuris, & concordat titulus, ff. de suis, & legit. hæred. & Auth.de hęred. ab intest. venient.

Quid sit successio ab intestato.

SVccessio ab intestato est vniuersalis acquisitio bonorum hæreditariorum, quæ ex legis
2 dispositione, nullo existente testamento, certo quodam ordine proximiorib. consanguineis defertur, §.1.hoc tit.l.1.§.1.ff.de suis, & legit.hęred. & l.intestatus, ff.de verb.signific.

Successioni ab intestato quando locus sit.

TVnc demum locus est successioni ab intestato, cum quis intestatus, & nullo condito te-
3 stamento decedit, nam quamdiu hęreditas ex testamento adiri potest, successio ab intestato cessat, d.l.39.de acquir.hæred.& 89.de reg.iur.

Intestatus quando quis decedere dicatur.

INtestatus multis modis quis decedere dicitur, vt declarat Imperator hic in princ.tit. & Iurisconsul.in l.1. ff.de suis, & legit. hæredibus, & primo intestatus ille proprie dicitur, qui cum testamentum facere posset, non fecit, vel quia no-
4 luit, vel quia de facto impeditus, vtpotè morte præuentus, nō potuit. Sed an qui iure testari nō potest, vt prodigus, furiosus, pupillus, filiusfamilias, & similes de quibus suprà, quibus non est permiss.facere testam.dictum est, intestatus dici possit, ac comprehendi in statuto loquente de intestato decedente, magna est apud Doctores altercatio: sunt enim qui existimant, intestatos hoc casu nō dici, nec sub statuto de intestato decedente comprehendi: huius opinionis fuit Cyn. & Alex.in l.generaliter, C.de institut.& substitut. Bald.cons.475.par.3. Socin.iun.consil.23.vol.2. Paris.cons.73.nu.32.vol.1. & plures alij quos refert Crass.in §.successio ab intestato, q.1. Cōtrarium verò, quòd statutum locum habeat etiam in his personis, tenet Bart.in d.l.1.ff.de suis, & legit.hæred. Dec.in d.l.generaliter, C.de institut.& substitut.& Crass.veriorem, nec ab ea in iudicando recedēdum esse affirmat in d.§.successio. maximè si talis sit communis vsus loquendi, vt intestati pro intestabilibus accipiantur, & intestabiles ab intestato decedere dicantur Viuius commun. opinio.lib.2. verbo, statutum.

Secundò intestatus decedere dicitur, qui testamentum etiam fecit, sed non iure fecit, vt quia non adhibuit solemnitates à iure requisitas, paria enim sunt aliquid non fieri, vel fieri, & non rectè fieri, l.quoties, ff. qui satisd.cogan.

Tertiò etiam, qui testamentum iure fecit, sed postea ruptum, aut irritum efficitur, similiter intestatus decedere dicitur.

Quartò ille etiam intestatus dicitur, cui nullus hæres existit, & si testamentum ex omni parte perfectum sit, d.l.1.ff.de suis, & legit.hæredit. & hic in princip. tit.

Quo iure deferatur hæreditas ab intestato.

HÆreditas ab intestato triplici iure defertur 12.tab.prætorio, & Authenticorum,
5 verum quia ius Auth. tanquàm nouissimum obseruatur iuxta regulã, l.& posteriores, ff.de legib. Ideo

Ideo secundum huiusmodi ius etiam hanc materiam successionis ab intestato non hic, sed infra in titulo de bonorum possess. commodiore loco pertractabimus.

Quomodo deferatur hæreditas ab intestato.

Licet rubrica nostra generalis sit, prout, & principium tituli generale est, attamen in nigro hic, specialiter de primo tantum hæredum
6 ordine agitur, idest de suis hæredibus, de cæteris postea in titulis sequentibus vsque ad titulum de bonorum possessione, vbi, & de successione, quæ ex iure prætorio defertur, habemus. Ideo commodius etiam totam hāc materiam successionis ab intestato ibi explicabimus hic tantū generalia quędā pro veteris iuris cognitione attingentes.

SVMMARIVM.

1 *Intestatorum hæreditates ex l.12.tab. ad suos hæredes pertinent.*
2 *Hæreditas, quæ ab intestato defertur legitima dicitur.*
3 *Qui dicantur sui hæredes.*
4 *Dominium bonorum paternorum quasi continuatur in filios.*
5 *Filij pars corporis patris dicuntur.*

§. Intestatorum cum pluribus sequentibus.

Quibus deferatur hæreditas ab intestato.

1 Intestatorum hæreditates ex l.12.tab. primū ad suos hæredes pertinent, §.intestatorū, hoc tit. & l.1.ff.de suis, & legit.hæred. verba sunt hæc.

Intestatorum hæreditates primò hæredum velint, nolintvè sunto.

2 Idcirco hæreditas, quæ ab intestato defertur, legitima hæreditas dicitur, l.3. §. penultimo, ff.pro socio, l.6.§.1.ff. quæ incredito.

Qui dicantur sui hæredes.

Sui hæredes dicuntur; Primo omnes filij tām masculi, quām fœminæ, dummodo in pote-
3 state sint, §.intestatorū, hoc tit. nec refert, an naturales, vel adoptiui sint filij, an legitimè nati, vel legitimati, §.quibus, & §.nec non eos, hoc tit.

Secundò, posthumi quoque sui dicuntur si viuo testatore in potestate eius nati fuissent, §.ita demum, in fine, hoc tit.

Tertiò, dicuntur sui etiam nepotes, & pronepotes cęteriq. descendētes si nemo eos in gradu præcedat, d.§.ita demum, & hi omnes etiā ignorantes, & furiosi hæredes existunt, statim enim à morte parentis quasi continuatur Dominium in
4 eos, & ideo nec tutoris auctoritate opus est pu-
5 pillis, nec curatoris cōsensu furiosis, §.sui autem hoc titulo: filij enim pars corporis patris dicuntur, l.cum scimus, §.vlt.C.de agricolis, & censitis, l.b.11. hinc Dido apud Ouidium.

Forsitan & grauidam Dido scelerate relinquis,
Parsque tui lattat corpore clausa meo.

SVMMARIVM.

1 *Interdum efficitur suus etiam, qui in potestate morientis non fuit.*
2 *Filius captus ab hostibus, & post mortem patris reuersus, suus hæres efficitur.*

§. Interdum.

Qvia diximus suum hæredem esse illum, qui tempore mortis defuncti in eius potestate
1 manet, nunc docet Imperator, interdum etiam fieri, vt quis suus hæres existat, etiam si in potestate morientis non fuerit, veluti filius captus ab hostibus, is enim in potestate dici non potest, si tempore mortis testatoris apud hostes maneat,
2 vt diximus in §.ab hostibus suprà quibus modis, ius patriæ potestatis soluit: reuersus tamen etiā post mortem patris iure postliminij suus hæres efficitur, §. Interdum hoc titulo.

SVMMARIVM.

1 *Casus in quo qui ab initio suus est, ex post facto suus esse desinit.*
2 *Perduellionis crimen etiam in mortuos exercetur.*
3 *Perduellionis crimen, quod nam sit.*

§. Per contrarium.

Sicut superiori, §.casum habemus in quo qui ab initio suus non est, ex post facto suus efficitur, ita per contrarium hic casus est, in quo quis etiamsi ab initio suus sit, ex post facto suus
1 esse desinit, veluti si post mortem pater iudicatus perduellionis reus, & eius memoria damnata fuerit, §.per contrarium hoc tit. licet.n. regulariter crimina morte extinguātur, vt in l.2.C.si reus, vel accusat. mortuus sit, hoc tamē locū non habet in perduellione, sed tale crimen, vtpote atrocissimū etiā in mortuos exercetur, l.vlt.C.ad l.Iul.maiest.
2 licet igitur pater cū moreretur fiiū quidē hęredē habuerit, attamē ob memoriā damnatā propter perduellionis crimen, qui suus erat, suus esse desinit, & hoc, quia illi fiscus succedit, d.§.per contrariū hoc tit. & d.l.vlt.C.ad l.Iul.maiest. perduellionis crimen est hostilia aduersus Rempublicam moliri, quod nunc crimē lęsę maiestatis dicimus.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo sui hæredes succedant, & qualiter inter eos diuidatur hæreditas.*
2 *Ius primogenituræ.*

§. Cum

§. Cum filius filiave.

Quomodo hæredes sui succedant, & qualiter inter eos diuidatur hæreditas.

IN suorum hæredum successione illud pro regula habemus, quòd proximior in gradu vl-
1 teriorem non excludit, sed nepotes ex filio admittitur ad hæreditatem aui loco sui patris præmortui vnà cum filio viuente, patruo suo, non tamen in capita, sed in stirpes, ita vt quot quot sint, tantam partem accipiant, quantam pater eorum si viueret accepturus esset: succedunt enim ex persona patris quā in succedendo repræsentant, §. cum filius hoc titulo. Pari ratione, & si nepos neptisve sit ex filio, pronepos proneptisve simul vocantur, d. §. cum filius. Fit tamen interdum, vt nec sui admittantur omnes ad hæreditatem, nimirum in iure primogenituræ, quod est ius singulare, & legi 12. tab. & Iustiniano incognitum. In
2 eo enim filius primogenitus omnibus suis fratribus, & sororibus in successione præfertur, aut saltem certam partem percipit, quod ius etiam lege Mosaica receptū fuit, vt habetur in Deuter. c. 21.

SVMMARIVM.

1 *Quo tempore suitas attendatur.*
2 *Exemplo declaratur.*
3 *Nepos conceptus post mortem aui, auo suus esse non potest.*
4 *Inter liberos nō recensetur ille, quem filius emancipatus adoptauit.*

§. Cum autem.

Quod tempus inspiciendum sit ad hoc, vt suus quis esse dicatur.

LIcet suitas sit quædam qualitas, quæ perpetuò cohæret ei, qui in patria potestate est, & proximum à patre locum obtinet, vt notat
1 Vulteius hic: tamen vt quis suus esse dicatur, inspicitur potissimum tempus mortis eius de cuius hæreditate agitur, si sine testamento decessit, cū tunc temporis qualitas illa suitatis effectum habeat, Quod si testamentum fecit, tunc inspicitur etiam tempus destituti testamenti exempli gra-
2 tia. Pater habens filium, & ex eo nepotem, filiū ex iusta causa exhæredauit, & alium extraneum hæredē instituit, postea moritur pater; item moritur etiam filius exhæredatus antequam extraneus hæres deliberet, an velit adire hæreditatem,
3 vel non. Deinde extraneus, hæres non extat, aut quia non vult, aut quia non potest: hoc casu testamēto illo destituto, nepos ex filio exhæredato suus hæres esse incipit, nam licet tempore mortis aui suus nō fuerit (nec enim esse poterat, quia pater in gradu eum præcedebat) tamen quia nō solum tempus mortis testatoris, sed etiam destituti testamenti inspicitur, quo tempore res ad causam intestati reducitur, ideo suus hæres efficitur, §. cum autem, hoc titulo, nec refert, an ipse nepos viuo auo natus fit, an post mortem eius,
3 dummodo viuo auo fuerit cōceptus, vt Iustinianus hic docet: secus si post mortem eius, nā tunc suus auo esse non posset, quia qui post mortem nostram concipitur, hic nulla cognatione, nos attingit, d. §. cum autem. Vnde licet, qui post mortem, alicuius conceptus est, mortui illius dicatur cognatus esse, id non fit propriè, sed abusiuè, nec est illa locutio Iurisconsultorum, sed vulgi, eodē modo, nec inter liberos aui recensendus est ille,
4 quem filius emancipatus adoptauit, d. §. cum autem, & ratio est, quia quem filius meus adoptauit post emācipationem, hic mihi, nec cognatus, nec agnatus est. Cognatus non est, quia est ex aliena familia. Agnatus esse non potest, quia filius ille meus emancipatus ex ipso, quod emancipatus est, amplius mihi agnatus non est, cum agnatio, quæ iuris ciuilis est, per emācipationem sublata sit. Hi igitur cum non sint quantum ad hæreditatem liberi, nec etiam tanquam proximè cognati, bonorum possessionem iure Prætorio petere poterunt, cum cognati non sint, dicto §. cum autem in fine.

SVMMARIVM.

1 *Emancipati sui non sunt.*
2 *Qua iure emancipati ad successionem vocentur.*
3 *Prætor emancipatis filijs dedit bonorum possessionem vnde liberi.*
4 *Filius in potestate iure ciuili, emancipatus iure prætorio æqualiter ad hæreditatem vocantur.*

§. Emancipati.

HActenus de suis hæredib. dixit Iustinianus, & ijs qui inter suos connumerantur, verū quia inter suos non recensentur filij emancipati,
1 sed solum qui in potestate sunt, vt hic, neque vllo alio iure emancipati l. 12. tab. vocantur, hoc est, nec tanquam agnati, cum emancipatus agnatus esse desinat, vt diximus supra in tit. de legit. agnat. succession. §. finali: nunc quo iure tales emancipati ad successionem vocentur, subijcit. Prætor enim naturali æquitate motus emancipatos in
2 partem admittit non hæreditatis (nec enim hæredem facere poterat, vt videbimus in f. in tit. de bonorum possession. quia ita sustulisset ius ciuile, quod facere non poterat, vtpotè cuius ipse minister esset) sed bonorum, & sic loco hæreditatis
3 quam dare nō poterat, dabat bonorum possess. ex edicto suo, quod appellauit, vnde liberi, §. emancipati hoc tit. quæ tamen bonorum possess. ab hæreditate effectu nihil differt, vt suo loco videbimus. Si ergo duo existant liberi, vnus qui in potestate morientis tēpore mortis fuerit, & alter eman-

emancipatus: Is qui in potestate fuit, solus iure ciuili suus hæres exitit, emancipatus verò iure prætorio dimidiæ partis bonorum possessor efficitur, adeo quod suus pro parte tantum hæres
4 remanet d.§.emancipati in fine.

SVMMARIVM.

1 *Non omnes emancipati vocantur inter suos.*
2 *Defunctorum voluntates ex alieno arbitrio pendere non debent.*
3 *Adoptati filij apud adoptiuum patrem post emancipationem, nec ciuili, nec prætorio iure inter liberos habentur.*

§. At hi.

Diximus emancipatos ad successionem iure prætorio vocari per bonorum possessionẽ vnde liberi, nunc declarat Imperator hoc verum esse de emancipatis, qui in adoptionem nō se dederunt, secus si tales emancipati se alicui in arrogationem dederint, & tempore mortis patris naturalis in eadem adoptiua familia fuerint, nam tunc non admittuntur ad bona patris naturalis quasi liberi. §.at hi hoc titu. fiunt enim hoc casu arrogatori sui hæredes, eique ab intestato, vt sui succedunt, ideo nec digni visi sunt miseratione prætoris, vt dicitur in l.fin.C.vnde liberi. Dixi, & tempore mortis patris naturalis in adoptiua familia fuerint, quia si viuo patre naturali, emancipati ab adoptiuo patre fuerint, perinde admit-
1 tuntur ad bona patris naturalis, ac si nūquam in adoptiua familia fuissent d.§.at hi, dixi viuo patre naturali, quia si post eius mortem fuerint emancipati ab adoptiuo patre, amplius non admittuntur d.§.At hi, & ratio est, quia iam quæsitum fuit ius alijs ab intestato succedentibus, quod facto adoptiui patris tolli non debet, cum voluntates
2 defunctorum ex alieno arbitrio pendere nequeant, vt in l.illa institutio.ff.de hæredibus instit. & hic penderet quidem ex alieno arbitrio patris adoptiui, qui adoptatum filium emācipando hæreditatem agnatis adimere, & non emancipando eandem ipsis relinquere posset, ideo non sic placuit d.§.At hi, & in hoc casu quando emancipantur post mortem patris naturalis, non solum non
3 admittūtur ad bona patris naturalis, sed nec etiā ad bona patris adoptiui apud quem post emancipationem omnino extraneorum loco sunt, nec ciuili, nec prætorio iure inter liberos habentur, non ciuili quidem, quia emancipatio iam ciuile illud adoptionis vinculum tollit non prætorio, quia nō subest cognationis necessitudo propter quam instar naturalis filij à prætore bonorum possessio vnde liberi illis danda sit.

SVMMARIVM.

1 *Differentia inter naturales liberos, & adoptiuos emancipatos.*
2 *Naturalia iura ciuilis ratio perimere non potest.*

§. Minus ergo iuris.

EX ijs quæ superiori §.diximus constat, quòd licet inter naturales liberos, & adoptiuos,
1 quamdiu in potestate sunt, nihil intersit, vt supra §.1.tamen si emancipati fuerint, magnum est discrimen inter eos, quia naturalis filius, & si facultatem succedendi per emancipationem iure ciuili perdat, Prætoris tamen beneficio iuuatur, at adoptiuus emancipatus, & iure ciuili gradum liberorum amittit, & à Prætore non adiuuatur §. Minus ergo iuris hoc tit. differentiæ ratio est, quā Iustinianus hic ex Pomponio Iurisconſ. in l.iura sanguinis.ff.de regul.iur.adducit, naturalia enim
2 iura ciuilis ratio perimere non potest, nec quia naturales filij per emancipationem sui hæredes esse desinunt, desinere possunt etiam filij, aut filiæ esse d.§.Minus, non sic est in adoptiuis, sed sicut adoptio ciuilis ratio est, & per adoptionem ius, & nomen liberorum obtinent, ita & per aliā ciuilem rationem hoc est, emancipationem illud amittere possunt d.§.Minus.

SVMMARIVM.

1 *Emancipati sicut admittuntur per bonorum possessionem vnde liberi, ita, & per bonorum possessionem contra tabulas.*
2 *Emancipati à patre adoptiuo, nec ab intestato, nec ex testamento admittuntur.*

§. Eadem.

Quod diximus de bonorum possessione, vnde liberi, Prætorem.s.emancipatos filios in
1 partem bonorum admittere, idem obseruandum esse docet Imperator hic in bonorum possessione contra tabulas, quam Prętor olim liberis prętéritis, aut iniustè exhæredatis tàm in potestate existentibus, quàm emancipatis concessit, dummodo emancipati tempore quo pater naturalis moritur, in adoptiua familia non fuerint, quia si illo tempore in adoptiua familia fuerint non admittuntur per bonorum possessionem contra tabulas, sicut nec per bonorum possess. vnde liberi, vt supra diximus in §.At hi, similiter sicut emancipati à patre adoptiuo ei succedere ab intestato nō possunt eodem modo præteriti in testamento ad eius bona non admittuntur per bonorum possessionem contra tabulas, quia iam in numero liberorum esse desierunt.§.eadem hoc tit. nam sicut per adoptionem facti erant liberi, ita per emancipationem rursus liberi esse desierunt d.§. eadem.

SVMMARIVM.

1 *Filius adoptiuus licet nō possit patri naturali succedere p vnde liberis, succedit tñ per vnde cognati.*

§.Admo-

§. Admonendi.

QVod suprà dictum fuit, eum qui in adoptiua familia est, naturali patri non succedere ab intestato per bonorum possessionem, vnde liberi, si vel tempore mortis patris naturalis in adoptiua familia, vel post eius mortem ad eadē emancipatus fuerit, id tunc demum procedere docet Imperator hic, quando defuncto superstes sit aliquis alius è liberis, vel suis, vel emancipatis,
1 aut quispiam ex agnatis, nam his deficientibus, vocatur talis adoptiuus ad successionem intestatam patris naturalis tanquam cognatus per bonorum possessionem, vnde cognati, cum is, qui adoptatur, iura cognationis in naturalis patris familia non amittat. §. admonendi hoc tit. l. 1. §. hęc autē. ff. vnde cognati, licet enim agnatus esse desinat, non per hoc tamen desinit esse cognatus.

SVMMARIVM.

1 *Emendatio veteris iuris à Iustiniano circa adoptiuos filios facta.*
2 *Filius adoptatus ab extraneo, in potestate patris sui naturalis manet, & ei succedit.*
3 *Patri adoptiuo ab intestato tantum, filius adoptatus succedit.*
4 *Adoptatus ab ascendente etiam ex testamento ei succedit, sicut & arrogatus.*

§. Sed ea omnia.

EXposuit hucusque Iustinianus, quid iure veteri hoc est l. 12. tab. obtinuerit in succes-
1 sione suorum hæredum, nunc quid ei additum, detractum, & pręcipuè circa adoptiuos noua sua cōstitutione de qua in l. penult. C. de adopt. emēdatum sit ostendit, inuenerat enim optimus Princeps nonnullos casus, in quibus filij, & naturalium parētum successionem propter adoptionē amittebant, & adoptione facilè per emācipationem post mortem naturalis patris soluta ad neutrius patris, nec naturalis, nec adoptiui successionem veniebant. Ideo hoc solito more emēdare, & quod Prætor posthabuit, supplere cupiens, cōstitutionem fecit, per quam statuit, filium qui ad extraneum patrem adoptione sit translatus, omnia patris sui naturalis iura inuiolata tenere perinde, ac si alienæ familiæ datus nō esset, cum indignum sit iura illa paterna, & naturalia diuino vinculo conglutinata, ciuili ratione, atque adoptionis ludificatione fraudari. Ideo qui in alienam familiam adoptatur, patrem naturalē adhuc respicit, cui in eius potestate manet, cui & succedit,
2 & iure simul cum alijs par est, ac si nulla vnquam adoptio sequuta esset, hoc vnum beneficium ab adoptiuo patre habens, quòd ei ab intestato succedere potest d. §. sed ea: hoc dixi ab intestato, quia testamento facto, neque iure ciuili, neq; prætorio, ex hæreditate eius aliquid persequi potest, cum nec necessitas patri adoptiuo imposita sit, vt eum hæredē instituat d. §. sed ea, & hoc etiā
3 frex Senatusconf. Sabiniano ex tribus marib. fuerit adoptatus d. §. sed ea. Huius Sabiniani Senatus
1 conf. mentio est in l. penult. §. quæ autem, C. de adopt. & in l. fin. C. de decurionib. lib. 10. eius decisio ea est, vt si quis adoptatus esset ex trib. maribus hoc est, cum pater naturalis haberet filios tres, & ex ijs tribus filijs vnum dederit adoptandum, tunc huic filio pater adoptiuus omnino cogebatur quartam ex Senatuscōs. Sabiniano relinquere, & si non fuisset relicta, actio ad eius persecutionem filio competebat, vt ex hoc §. nostro, & ex græco interprete Theophilo constat. Hodie igitur etiam si ex tribus maribus quis fuerit adoptatus, neque quarta ei sequatur in bonis adoptiui patris, nec vlla actio ad eius persecutionem competit d. §. sed ea omnia. Excipe eum quem parens naturalis, puta auus, aut proauus ipsius filij maternus, vel etiam paternus, si pater naturalis antequam filius cōciperetur sui iuris effectus sit,
4 adoptandum susceperit, huic enim pristina iura seruantur, quem & natura aggregauit, & lex ciuilis per adoptionem contulit d. §. sed ea omnia, quemadmodum, & ei qui paterfamilias se se arrogandum dederit, quę omnia latius colligi possunt in l. cum in adoptiuis. C. de adoption.

SVMMARIVM.

1 *Quid olim iure veteri in descendentibus ex fœminis circa successionem obseruatum esset.*
2 *Descendentes ex filia quomodo cum suis ad successionem vocentur, & qualiter cum agnatis iure DD. Principum.*
3 *Hodie noua Iustiniani cōstitutione qd statutū sit.*

§. Item vetustas.

SVperiori §. emendationem veteris iuris in adoptiuorum filiorum successione recēsuit, nunc alterum emendationis caput proponit, qd liberos ex fœminis descendentes respicit. Vetustas enim ex masculis progenitos plus diligens, quàm ex fœminis in suorum numero collocauit 5 tantummodo eos, qui ex virili sexu descendunt, nam cùm nati ex filia mea, licet ipsa sit, ipsi tamē in potestate meā non sunt, sed patris eorum cōsequūter, nec etiam sui esse poterant, nec ad suo-
1 rum successionem veniebant. Non etiam, vt Agnati vocabantur, cum familiam patris, & non matris sequantur, & sic nepotes ex filia mortua matre, tertio tantum loco hoc est deficientibus, & suis, & agnatis vocabantur §. item vetustas hoc tit. Hoc diui Imper. Valent. Theodos. & Arcad. passi non sunt sine competenti emendatione relinquere. Sed cum nepotes dicantur tam illi, qui
1 ex masculina linea, quàm ij, qui ex fœminino sexu descendunt, constitutione super hoc edita, quam

habemus

habemus in l.si defunctus de legit. hæred. in eod. Theodosiano æqualiter omnes admiserunt eundemque gradum, & ordinem successionis eis donatunt d.§.item vetustas. Sed vt amplius aliquid sit eis, qui non solùm naturæ, sed etiam veteris iuris suffragio muniuntur, portionem nepotum, vel neptum ex fœminis descēdentium, paulò minuendam esse existimarunt, hoc videlicet, modo, vt si cum suis concurrant, minus tertiam partem accipiant, quam mater eorum, vel auia si vineret accepturа fuisset, vel pater eorum si de hæreditate eius matris, aut auus paternus, si disputetur similiter de hereditate matris ipsiusq. aui materni, veluti decessit quis relicto filio, & ex filia nepo-
2 te, vel nepte, filius si soror viueret sex vncias haberet, & alias sex soror, modo mortua sorore, quia filij eius minus tertiam partem habere debent, quam mater eorum si viueret habitura esset, ideo filius octo, & nepotes ex filia quatuor habebunt, & sic sicut descendentes ex filio iure 12.tab. in locum sui patris ad successionem aui veniunt, ita & Principum constitutio in locum matris suæ, vel auiæ eos cum iam designata partis tertiæ diminutione vocat d.§.item vetustas, si verò nepotes ex filia non concurrant cum suis, sed cum agnatis, tunc agnatis quartam partem sibi vindicantibus, reliquum quod superest, nepotes ipsi ex eiusdem constitutionis auctoritate (ita enim legendum esse censeo) consequentur d.§.item vetustas, cuius quidem constitutionis verba à suo Codice segregasse, neque inserere eam ex Theodosiano Codice in suo voluisse, Iustinianus ipsemet hic testatur. At cum tali DD. Principum constitutione non satis consultum videretur, ideo Imperator noster, & ipse emendauit, statuitque, vt tàm ex masculis, quàm ex fœminis descendentes, absque aliqua trientis diminutione æqualiter succedere debeant, nihil agnatis ex
3 transuersa linea sibi vindicantibus d.§.item vetustas in fine, & hoc optima ratione, cum æquum non sit, vt hi qui ex transuersa linea descendunt potiores sint illis, qui rectà linea veniunt, descendentes igitur vtcumque ex masculis, vel feminis, vt potioris iuris successores hæreditate auita soli potiuntur qua de re etiam latius infra in titu. de bonorum possess. pertractabimus.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Deficientibus suis hæredibus ad agnatos defertur hæreditas.*
3 *Qui dicantur agnati.*
4 *Agnati quomodo succedant.*
5 *Ius repræsentationis in collateralibus vltra patrum filios locum non habet.*

DE LEGITIMA AGNATORVM successione. Titulus II.

In principium Tituli, & §.1.

SVperiori titulo dictū fuit iure veteri tres fuisse ordines succedendi ab intestato.
1 Primus erat suorum hæredum, & eorum, qui iura suorum obtinent.
Secundus agnatorum.
Tertius, & vltimus cognatorum. Expedito igitur primo succedendi ordine, quo liberi, & descendentes comprehendūtur, transit nunc ad secundum qui ad agnatos pertinet, quando enim sui hæredes non extant, non extant etiam emancipati filij, quos prætor inter suos vocat per bo-
2 norum possessionem vnde liberi, nec extant nepotes ex filiabus, quos constitutiones Imperatorum similiter inter suos nominant, tunc eodem iure 12.tabu. ad proximum agnatum hæreditas defertur, vt ipsemet Iustinianus hic in princ. titu. nostri tradit, & Iulianus I.C. in l. lex Cornelia. ff. de vulgar. & pupillar. substitut. verba legis 12. tab. sunt hæc.

Si paterfamilias intestatus moritur, familia pecuniaque eius agnatorum gentiliumque esto.

Vel vt alibi. Agnatus proximus familiam habeto.

Qui dicantur Agnati.

AGnati (vt Caius in l.sunt autem. ff. de legit. tutel. & Paulus lib. 4. Responsorum scri-
3 bunt, quos & in hoc Iustinianus æmulatus est) dicuntur hi, qui per virilis sexus personas cognatione iuncti sunt, quique idem gentis nomen retinent, eademq. familiæ insignia habent, nec interest masculi sint, vel fœminæ, quia & ipsę agnatæ sunt, licet postea cognationem faciant, & ex ipsis descendentes cognati sint, nec solum hi, qui viuo patre nascuntur, sed etiā posthumi iura consanguinitatis nanciscūtur. §.1. hoc tit. quinimo, & per adoptionem ius agnationis acquiritur d.§.1.

Qualiter agnati succedant.

ILlud animaduertendum est, quod non omnes agnati l.12.tab. ad hereditatem simul vocantur, sed solū ij, qui tunc proximiores gradu sunt, cùm certum est, aliquem intestatum decessisse d.§.1. Ideo si adsint defuncti fratres, & nepotes ex alio fratre præmortuo, fratres, vtpotè gradu proximiores excludēt nepotes d.§.1. quod tamē hodie iure nouissimo Auth. immutatum est, cum filius iure repræsentationis intret in locum, & gradum patris sui, licet vltra fratrum filios repræsentatio postea locum non habeat, vt infra in titu-

de

de bonorum possess. videbimus, facit Auth. cessante. C. de legit. hæred. & §. si igitur defunctus Auth. de hæred. ab intest. venientibus.

SVMMARIVM.

1 *Varia iura diversa recensentur circa agnatarum fæminarum successionem.*
2 *Primum ius fuit legis 12. tab.*
3 *Secundum fuit lex Vaconia.*
4 *Tertium Prætorum.*
5 *Quartum ius nouum à Iustiniano introductum.*

§. Cæterum.

QVatuor diversa iura, quæ varijs temporibus circa fœminarum agnatarum successionē,
1 post consanguineas sorores obseruata fuerunt, referuntur ab Imper. nostro hic in §. cæterum.

Primum ius fuit lex 12. tab. quæ suis non extantibus, inuicem ad successionem vocabat agnatos sine vllo sexus discrimine hoc est, tam mascu-
2 los, quam fœminas, cuiuscunque gradus, ad similitudinem suorum, & de hoc iure loquitur Imperator in d. §. Cęterum, in versic. Et hæc quidem, & Paulus lib. 4. senten. tit. 8.

Secundum ius fuit lex Vaconia à Q. Vaconio lata, quæ fœminas agnatas per virilem sexum vltra consanguineorum gradum hoc est, vltra sorores defuncti nullo modo admittebat, & sic masculi ex Vaconia lege ad fœminarum hæreditatē,
3 etiam si longissimo gradu essent admittebantur, fœminæ vero consanguinitatis iure tātum capiebant hæreditatem, si sorores essent, vlterius non, qua de causa fratris tui, aut patrui tui filię, vel Amitæ hæreditas ad te pertinebat, non è conuerso tua ad illas pertinebat, quod ideo ita constitutum erat, quia cōmodius videbatur ita iura constitui, vt plerunque hæreditates ad masculos confluerent, ne fœminæ ditescerent, & elatæ se viris æquarent, vel ne bona è familia, cuius finis est fœmina exirent, de hoc iure, loquitur Imperator hic in princ. d. §. Cęterum, & in versic. Media autem iurisprudentia, Paulus d. tit. 8. & Vlpianus in fragmen. tit. 26. At quia iniquum erat fœminas in vniuersū quasi extraneas repelli, ideo Prætores omnes agnatas fœminas per virilem sexum vltra sorores admiserūt ad legitimam successionem per bonorum possessionem vnde cognati cum masculis æquali gradu existentibus, si tamen neque suus, neque agnatus vllus, neque cognatus gradu proximior existat, & hoc fuit Tertium ius Præto-
4 rium à Prætorib. introductum, de quo habemus in d. §. Cęterum, versic. Sed quia, & sic fœminæ agnatæ per virilem sexum etiam, si defuncti sorores non sint iure Prætorio proximitatis nomine, quod in edictum vnde cognati incidit, admittuntur ad legitimam successionem post suos, & Agnatos omnes cum cognatis æquali gradu existentibus secundum gradus prærogatiuam d. §. Cęterum, versic. Sed quia. Iustinianus vero legis 12. tab. vestigia sequens, Prætoresque suæ humanitatis laudans, non tamen eos in plenum huic causæ mederi inueniens, fœmineoque sexui plurimum fauens, suadente proculdubio Theodora coniuge, quam adhibere in consiliū solitus erat, vt tradit Borcholten hic, quartum, & nouum ius
5 statuit, quo rem reducit ad l. 12. tab. statuens omnes legitimas personas. i. per. virilem sexū descēdentes, siue masculini generis, siue fœminini sint, simili modo ad iura successionis legitimæ ab intestato vocari, secūdum sui gradus prærogatiuā, nec ideo excludendas, quia cōsanguinitatis iura, sicut germanæ sorores non habeāt, maxime eodem naturali gradu, & agnationis titulis, tām in masculis, quām in fœminis æqua lance concurrentibus d. §. Cęterum, versic. Quare etenim.

SVMMARIVM.

1 *Primus gradus cognationis transfertur in ius agnationis.*
2 *Exemplum primi gradus cognationis, quod in agnationem transfertur.*
3 *Hodie iure nouo Authenticorum quid obseruetur.*

§. Hoc etiam.

QVod supra diximus fœminas agnatas, etiam etiam vltra sororem consanguineam cum masculis agnatis ad intestatam successionem vocari, hoc Imperator, & ad cognatas extendit. i. eas personas, quæ nos per fœmininum sexum contingunt, non tamen vltra vnum gradū, tales sunt sororis consanguineæ, vel etiam vterinæ filius, & filia, hos enim ex capite cognatorum transfert in caput agnatorum, ideo non solum fratris filius, & filia, secūdum quod supra dictum fuit ad successionem patrui sui vocantur, sed etiā
1 germanæ consanguineæ, ex eodem patre, & matre, vel sororis vterinæ ex eadem matre tantum natæ filius, & filia, qui primum gradum cognatorum faciunt soli, & non deinceps qui sequuntur, æqualiter vna cum filijs, & filiabus fratris vocant, & defuncto succedunt illi, vt Patruo, hi vt auunculo perinde, ac si omnes ex masculis descende-
2 rent, tales. n. ex capite cognatorum transferūtur ab Imperatore hic in caput agnatorū, vt perinde habeantur, ac si agnati essent, itaq. per masculos attingerēt, sitq. hæreditatis diuisio nō in stirpes, sed in capita. §. hoc etiam hoc tit. & l. penul. C. de legit. hæred. dummodo superstes nō extet frater, aut soror, nam tunc his personis præcedentibus cęteri gradus penitus semoti remanent d. §. hoc etiam in fine, & hoc quidē iure Codicis, & Institutionum, at hodie lege Nouellarū, & iure nouo Authenticorum, non vnus tantū gradus, sed tota
3 cognatio in successionem legitimam trāslata est, sublata prorsus omni differētia agnationis, & cognationis, vt infra de bonor. possess. videbimus.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Iure 12.tab. proximioribus agnatis defertur hæreditas.*
2 *Plures in eodem gradu proximitatis existentes, omnes admittuntur.*

§. Si plures.

Qualiter Agnati succedant.

Lex 12. tab. non dat omnibus agnatis simul hæreditatem, sed proximioribus tantum, ideo si plures sint gradus agnatorum, lex proxi-
1 miorem vocat. §. si plures hoc tit. & quamuis in singulari numero lex proximum vocet, tamē dubium non est, quin si plures sint eiusdem gradus
2 omnes admittantur d. §. si plures, quod hic, tamē de fratre, & alterius fratris filio potiore, scilicet, fratrem esse dicitur, hodie iure nouo non obtinet, sed simul admittuntur, & hoc propter ius repræsentationis, quod inter fratrum filios locum habet, licet vlterius postea non extendatur, vt infra in tit. de bonorum possess. videbimus.

SVMMARIVM.

1 *In cognoscenda proximitate, quod tempus sit inspiciendum.*
2 *Potest esse, vt qui tempore mortis testatoris proximus non est, proximus fit tempore destituti testamenti.*

§. Proximus.

Quod tempus in proximitate cognoscenda inspiciendum sit.

Quia diximus proximiorem agnatum ad successionem admitti, nunc quando quis proximus sit ostendit, non enim solum tempus inspi-
1 citur, quo quis testamento facto decedit, sed etiā destituti testamenti quo res ad intestati causam reducitur. §. proximus hoc tit. euenire enim tem poris spatio potest, vt proximiore mortuo, proximus esse incipiat, qui moriente testatore proxi mus non fuit, vt supra quoque de suo hærede di-
2 ctum fuit in §. cū autē quęritur de hæredit. quę ab intest. veluti, decessit aliquis extraneo hęrede instituto extante eodē tēpore fratre, & patruo, hęres deliberat, an velit adire, interim morit frater extraneus repudiat, ecce patruus tāquam magis proximus ad hæreditatē admittitur, quamuis tēpore mortis testatoris proximus non fuerit, cùm tunc frater defuncti eum in gradu præcederet.

SVMMARIVM.

1 *Successorio edicto, l. 12. tab. nec in suis, nec in agnatis locus erat.*
2 *Exemplo res declaratur.*
3 *Remedium iuris prætorij.*
4 *Noua Iustiniani constitutio.*

§. Placebat.

Sicut lege 12. tab. in suis hæredib. successorio edicto locus non erat, vt cōstat ex l. 1. §. sciēdum. ff. de suis, & legit. hæred. ita, & in agnatis idē
1 obseruabatur, adeo qd̄ proximiore agnato hęreditatem repudiante, sequens in gradu nō admittebatur tex. est in §. placebat hoc tit. sed fiscus sta tim succedebat, exclusis etiam cognatis, qui ea lege, nec dum cogniti erant. l. 1. ff. vnde cognati. Ias. in l. qui se patris. C. vnde liberi, exēpli gratia,
2 moritur aliquis relicto fratre, & patruo, frater vo catur nimirum, vt proximus modo si contingebat, vt frater decederet, antequam adiret hæreditatem, vel repudieret, patruus, vt agnatus, & sequens in gradu venire non poterat d. §. planebat, verum quia hoc ius valde rigorosum erat Pretores, & hoc non in totum sine adminiculo relinquentes statuerunt, quod excluso agnato proxi-
3 mo succederent cognati, ita quod non admittebatur sequens agnatus, sed fiebat transitus ad cognatos, & sic de capite agnatorum ad caput cognatorum, sed quia hæc correctio insufficiēs visa est Iustiniano, & iniqua, quia cognatus forte in quarto, & quinto gradu, pferebat agnato ī tertio gradu, ideo noua sua cōstitutione, quæ tēporum vitio interijt, statuit, qd̄ hodie successorū edictū
4 locum habeat etiā in agnatis de gradu in gradū, seu de persona in personam d. §. placebat, cū etiā hoc seruetur in onere tutelæ, nā deficiente agnato primi gradus, sequens in gradu admittitur, & vbi est onus, ibi quoq; commodum successionis esse debet, vt de legit. patr. tutel. in princ.

SVMMARIVM.

1 *Pater ad successionem filij emancipati non admittebatur, nisi filius contracta fiducia emancipatus fuisset.*
2 *Modus emancipandi iure antiquo obseruatus.*
3 *Fiducia nil aliud est, quam pactio reuendendi ut ditioni apposita*
4 *Hodie non est necesse emancipationem contracta fiducia fieri, quia semper ita factæ intelliguntur.*

§. Fin.

L. 12. tab. pater ad emancipati filij successionem intestatam non admittebatur, sed fiduciarius pater succedebat, nisi contracta fiducia
1 emancipatus fuisset, hoc est, nisi pater naturalis iterum à fiduciario filium, vt seruum emisset, & ipse manumisisset, tunc. n. succedebat, vt manumissor, nō vt proximus agnatus, vt Accurs. & Mysing. hic, nec enim veteres alium manumissionis modum habebant, quàm in seruis, & ideo, vt

in ipſius matris detrimentum admitti d.§.ſed nos
hoc tit. & hoc quando ſola concurrit mater, at
ſi cum matre ſuperſint etiam fratres, & ſorores
10 defuncti,ſiue conſanguinei ſint,qui agnati dicun
tur,ſiue vterini,qui cognationis tantum iura ha-
bent, omnes ſimul cum matre admittuntur, ita
tamē,vt ſi ſolę ſorores agnatæ,vel cognatę,ideſt,
conſanguineæ,vel vterinæ, cum matre ſuperſint,
mater dimidiam, at ſorores aliam dimidiam hæ-
reditatis habeant, ſi verò cum ſororibus adſint
fratres,vel etiam fratres tātum abſque ſororibus,
tunc hæreditas inter matrem,& defuncti fratres
ſolos,vel matrem, et defuncti fratres, et ſorores
in capita diſtribuatur d.§. ſed cum antea hoc tit.
et l.fin.§. patruo.ff.eod. verum hodie mater iure
authenticorum, admittitur etiam in capita cum
11 ſororibus etiam ſi fratres non extent,et ſic non
plus tribuitur matri cum ſororib. ſolis ſucceden-
ti,ac ſi cum fratribus ſuccederet.§.ſi igitur defun
ctus,Auth.de hæred.ab inteſt.veniēt, et adeo hoc
eſt verum,vt etiam ſi vulgò quęſitus ſit filius ma-
ter ei ſuccedit,vt eſt tex.hic in §.fin. ſed quemad-
modum Iuſtinianus. matris proſpexit,ita eas re-
bus filiorum præſidium aliunde non habentium
cum minores sūt operas ſuas collocare,et ſoboli
ſuæ conſulere voluit,cum ſecundum naturam ſit,
vt qui ſentit commodum, debeat etiam ſentire
incommodum cap.qui ſentit de reg.iur.in 6. Tu-
torem igitur niſi ſatis diligentē intra anni ſpatiū,
12 præſertim vbi ſecundò nupſerit, liberis ſuis pu-
pillis mater petierit,aut in locum remoti excuſa-
tiue ſubrogare neglexerit,ab eorum impuberum
moriētium ſucceſſione omnino repellitur d.§.fi.
hoc titu.l.2.§. ſi mater. ff.eod.l.ſciant. C.de legit.
hæred.et l.omnes.C.ad Senatuſconſ.Tertull.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio,& concordantes tituli.*
2 *Filij quomodo Senatuſconſul.Orphitiano matri ſuc-cedant.*
3 *Filij etiam vulgò quęſiti matri ſuccedunt.*

DE SENATVSCONS. ORPHITIANO.
Titulus IV.

In principium Tituli.

SVperiori titulo traditum eſt,qua ratione ma-
ter triſtem liberorum ſucceſſionem habeat,
tam ex Senatuſconſul. Tertullian. quam ex Prin-
cipum conſtitutione, ſed cum ex diuerſo, neque
1 filij ad matrum hæreditates.l.12.tabu. eſſent vo-
cati operępretium fuit, et liberis in hoc mederi,
quod per Senatuſconſul. Orphitianum factum
fuit,ideo rectè nunc quomodo liberi ex Senatuſ-
conſ. Orphitiano defunctæ matri hæredes fiant,
ſubijcitur,et concordat Tit. C.ad Senatuſconſul.
Orphitian. et ff. ad Senatuſconſul. Tertullian. et
Orphitian.

Quomodo filij ex Senatuſconſulto Orphitiano matri ſuccedant.

OLim filij,vt iam diximus matri inteſtatæ nō
ſuccedebant, nec enim ex capite ſuorum
hæredum admitti poterant, cum non eſſent in
poteſtate matris, neque ex capite agnatorum,
cum filius non ſit agnatus matri, ſed cognatus.l.
2.in fine.ff.vnde cognat.hinc Cicero ad Atticum
ſcribens, de Terentiæ teſtamento laborat, quæ
niſi liberos inſtituiſſet non ipſos,ſed agnatos hę-
redes habitura eſſet, primi Prætores duritiem.l.
12.tab. corrigentes, vocarunt filios ad ſucceſſio-
nem matris per bonorum poſſeſſionem vnde co-
gnati.vt in principio ſuperioris tituli habemus,
verū quia ex hoc non plene filijs prouiſum erat,
quia deficientibus tantummodo agnatis ſucce-
debatur,ideo Senatuſcon.Orphitianum D.Marci
oratione Orphito, et Ruſo conſulibus factū fuit,
quod etiam excluſis omnibus agnatis,filios, &
filias ad ſucceſſionem matris admiſit, vt hic in
2 principio tituli,et per tot.tit.C.ad S.C.Orphitia.
et ff.ad S.C.Tertull.et Orphit. id quod locum ha-
bet etiā ſi vulgo filij quæſiti ſint.§.nouiſſimè hoc
3 tit. & l.1. §.ſed, & vulgo.ff.eod. loquor de vulgo
quæſitis ex non damnato coitu, nam ex damna-
to, & punibili coitu nati, quales ſunt ex adulte-
rio procreati,inceſtuoſi,& ſimiles,ad matris ſuc-
ceſſionem non admittuntur.§.fin. Authē.quibus
mod.natural.efficiant.ſui,at quia S.C.Orphitianū
ſolos filios, & filias ad ſucceſſionem admittebat,
nepotes vero, & neptes ad ſucceſſionem auiæ
non vocabat,ideo Imper.Valent.Theodoſ.& Ar-
chad.nepotes etiam,& neptes ad auiæ ſucceſſio-
nem admiſerunt.§.ſed cum hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Succeſſiones minima capitis diminutione non pereunt.*
2 *Nouæ hæreditates quæ dicantur.*

§. Sciendum.

SVcceſſiones, quæ ex S.C. Tertulliano matri-
bus,& ē contra ex S.C.Orphitiano filijs,& fi-
liabus deferuntur, minima capitis diminutione
1 non perire, docet Imper. hic in §.ſciendum hoc
tit.filius igitur vtcunque ſit emācipatus, matrem
ex S.C.Tertulliano hæredem habet,& ipſe ē cō-
tra matri ex S. C. Orphitiano ſuccedit d.§.ſcien-
dum,idque propter illam regulam qua nouæ hę-
reditates legitimæ capitis diminutione non per-
eunt,ſed illæ ſolæ,quæ ex l.12.tab.deſcēdunt d.§.
ſciendū,differentiæ ratio eſt,quia lex 12.tab.agna
tionem tantum conſiderat,quatenus iuris ciuilis,
non quatenus naturæ eſt,ideo & per contrarium
ius ciuile, & ſic per emācipationem tolli poteſt,
non ſic eſt in hæreditatibus,quæ ex nouis legibus

deferuntur, in quibus sola naturalis cognatio inspicitur, quæ nullo contrario iure ciuili tolli potest. l. iura sanguinis. ff. de reg. iur. Nouas hæreditates
2 Iustinianus appellat eas, q̃ post 12. tab. legẽ Prætorum edictis Senatusc. Plebiscitis, aut Principum constitutionibus introductæ fuerunt.

SVMMARIVM.

1 *Portio deficiens accrescit cæteris cohæredibus adeuntibus.*
2 *Ius accrescendi ad hæredes transmittitur.*

§. Fin.

GEneralis Regula in materia successionũ traditur hic ab Imper. nostro, quæ non tãtum huic tit. propria est, sed omnib. tit. præcedentib. in quib. de hæreditate agitur cõmunis, vt nimirũ, si plurib. hæredib. deferatur hæreditas, & ex ijs alius hæreditatẽ repudiet, vel morte præuẽtus, aut alia ex causa impeditus non adeat deficiens, & non
1 adeuntis hæreditatis portio iure accrescendi cæteris cohæredib. adeuntib. accrescat. §. fin. hoc tit. & l. 9. ff. de suis, & legit. hæred. & hoc, siue ea iure ciuili, siue Prætorio deferatur secundũ glo. hic in verbo ex pluribus, siue ab intestato, vt hic in tex. nostro, siue ex testamento, nam tunc etiam deficiens portio ceteris scriptis hęredibus, & collegatarijs, non autem hæredib. ab intestato veniẽtib. accrescit. l. vnica. §. his ita. C. de caduc. tollen. l. vnica. C. quando non petent part. quod ius etiam ad
2 hæredes eius transmittitur, qui pro portione sua adijt hęreditatem, quia portio portioni accrescit, vt alluuio. l. 33. in fi. ff. de vsufructu. tex. hic in §. fi. hoc tit. & in d. l. 9. ff. de suis, & legit. hæred.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Cognati à Pretore tertio ordine ad successionem vocantur.*
3 *Prætor hæredem facere non potest.*
4 *Proximitatis nomine quid veniat.*
5 *Fratres emancipati qualiter succedant.*

DE SVCCESSIONE COGNATORVM. Titulus V.

In principium tit. cum aliquot §§ sequ.

LEge 12. tab. duo tantum erant succedendi ordines, suorum hæredum, & agnatorum, post quos fiscus vocabatur, verum, quia Prætor alium succedendi ordinem induxit, & cognatos, qui iure antiquo penitus incogniti erant admisit, ideo
1 rectè ponitur nunc titulus iste de successione cognatorum, in quo docet Imperator quo pacto Prætor tertio ordine, hoc est, si nullus neque suus hæres, neque agnatus superfit, cognatis bonorum possessionem proximitatis nomine pollicetur, & concordat tit. ff. & C. vnde cognati.

Cognati qualiter ad successionem vocentur.

OLim l. 12. tab. cognati, vtpote nulla legis cõiunctione propinqui ad hæreditatẽ defuncti, quæ iuris ciuilis est, non admittebantur, siue extent agnati, siue non, imo agnatis non extantibus cognati per fiscũ à successione defuncti ex-
2 cludebãtur, hoc Prætor iniquum ratus, quod legi deerat edicto suo suppleuit, & cognatione naturali inspecta post suos, & agnatos, nec non eos, quos inter suos, & agnatos Prætor. constitutiones, Senatusconsult. & Iustiniani cõstitutio nominãt, tertio loco, & ordine, cognatos proximitatis nomine vocat. §. 1. hoc tit. nõ ad hęreditatẽ, quia hę-
3 redẽ Prætor facere nõ potest, vt est tex. in §. quos autem inf. de bonor. possess. sed ad bonorum possessionẽ, per quam tamen in effectu idem consequuntur, vt plenius eod. tit. videbimus, per proximitatem intelligo cognationem naturalẽ, quę hic spectatur, vt Iustinianus inquit, proximitatisq. ver-
4 bo cognatio naturalis, ideo spectatur, q̃ in ea sola proximitas spectetur cum in suorum, & agnatorũ ordine non quis sit proximior, sed quis suus quis agnatus spectetur, ac sæpe proximiorẽ suus, vel agnatus excludat. §. repetentes, & §. fin. in f. tit. proximo, notat Cuiacius hic, omnes igitur illi, qui natura cognati sunt à Prætore tertio loco, nõ extantib. agnatis admittuntur per bonor. possess. vnde cognati. l. 1. ff. vnde cognati, sunt autem cognati natura, non solum qui per fœminam descẽdunt, sed etiam agnati capite diminuti, hoc est emãcipati, & qui ex ipsis progeniti sunt d. §. 1. exceptis fratrib. & sororib. emancipatis non etiam filijs eorũ, hi enim ex l. Anastasiana cuius hic fit mentio, & in l. vlt. C. de legit. hæred. & si emanci-
5 pati sint cũ fratrib. integri iuris ad successionẽ alterius fratris admittũtur quidem, sed cum aliqua diminutione, nam fratres, & sorores non emãcipati duplo plus ferunt, quã emancipati, & si vnus sit frater non emancipatus, & alter emancipatus, non emãcipatus bessem accipit, hoc est octo vncias, emãcipatus vero trientem, hoc est, quatuor, vt Theophilus hic docet, nam Anastasij constitutio nõ extat, cęteris vero, postea agnatis inferioris gradus, nec non, & multo magis cognatis in vniuersum, fratres ipsi emancipati pręferuntur. §. Alijs vero hoc tit. Hodie tñ etiam hoc iure nouo Auth. immutatum est, & cognati nõ amplius tertio loco, & tantũ deficientib. agnatis vocãtur, sed simul, & æqualiter cum ipsis agnatis admittũtur, vt infra de bonorum possess. videbimus.

SVMMARIVM.

1 *Adoptiui liberi, & ipsi a Pretore vocantur.*
2 *Hodie adoptiui simul cum suis ad patris naturalis successionem veniunt.*

§. Eos

§. Eos etiam.

PRætor non tantum deſcendentes agnatos tertio gradu proximitatis nomine ad ſucceſſionem vocat, ſed etiam eos, qui ex tranſuerſo cognatione iuncti ſunt. §. eos etiam hoc tit. quod & ad liberos in alterius familia exiſtentes produ-
1 citur d. §. etiam, hodie tamen adoptiui nhj ad naturalium paret. tum ſucceſſionem, ſimul cum ſuis
2 veniunt, vt diximus ſupra in §. ſed ea omnia do hæred. quæ ab inteſt. deferunt.

SVMMARIVM.

1 *Etiam vulgò quæſitia Pretore vocantur.*

§. Vulgo quæſitos.

ET vulgo quæſitos quibus nulla agnatio eſt propter incertum patrem, quique ius co-
1 gnationis ſolum habeat inter cognatos adnumerari nihil prohibet, ideo & ipſi à Prætore iuuantur, & proximitatis nomine ad bonorum poſſeſſionem veniunt. §. vulgo quæſitos hoc tituli.

SVMMARIVM.

1 *Agnatis vſque ad 10. gradum, & cognati vſque ad 6. incluſiue ſuccedunt.*
1 *Hodie etiā cognati vſque ad 10. gradū ſuccedunt.*

§. Fin.

Vſque ad quem gradum ſucceſſio extendatur.

AGnati ad hæreditatem admittuntur, & ſi decimo gradu ſint, cognati vſque ad ſextum
1 incluſiuè, uiſi quis ex ſobrino, aut ſobrina natus ſit, is enim, & ſi ſeptimo gradu ſit admittitur. §. fin. hoc tit. ea ratione, quia maiori fauore ſuccedit ur in linea tranſuerſa in gradus inferiores, quā ſuperiores, vt glo. & Doct. hic tradunt, ideo autē agnati vſq; ad 10. gradū, & cognati vſq; ad ſextū admitt ūtur, quia per agnatos familia cōſeruatur, non per cognatos, hodie autē cū ſublata ſit differentia agnationis, & cognationis, & iam agnati q̄ cognati æqualiter ſuccedunt, vt in §. nullā Auth.
2 de hæredit. ab inteſt. venient. communiter quandoq. receptum eſt, etiam cognatos vſque ad decimum gradum ſuccedere glo. & Doctor. hic.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Quot ſint cognatorum ordines.*
3 *Quomodò computentur gradus cognationis.*
4 *Quomodò computentur gradus inter aſcendentes, & deſcendentes.*
5 *Quomodò computentur inter tranſuerſales.*

DE GRADIBVS COGNATIONIS.

Titulus VI.

CVm in ſuperioribus titulis frequens mentio habita ſit de gradibus cognationum, & præſertim titulo ſuperiori, vbi dictum eſt, agnatos vſque ad 10. & cognatos vſque ad 6. vel 7. gradum
1 ſuccedere, ideo vt inde conſtare poſſit, qui & quibus in ſucceſſione præferantur, & qui nam gradu proximiores ſint, ponitur titulus iſte de gradibus cognationum, in quo horum graduum qualitas exponitur, & concordat tit. ff. de gradib. affinit. accipiturque cognatio in genere, hic pro ſubiecta materia, quæ tam agnatos, quam cognatos complectitur.

Quot ſint Cognatorum ordines.

TRes ſunt cognatorum ordines ſecundū Imper. hic in principio tituli, alij enim ſuperioris ordinis ſunt, alij inferioris, & alij ex tranſuerſo, ſuperioris ordinis ſunt parentes, quos vulgo aſcendentes appellamus, inferioris liberi, & deorſum verſus deſcendentes ex tranſuerſo, ſiue
2 à latere, ſratres, & ſorores eorumque liberi, nec non patrui, amitæ, auunculi, materteræ, & ſimiles §. 1. hoc tit. & l. 1. ff. de gradibus, affinitatis tranſuerſa cognatio rurſus, alios habet aſcendentes vt patruos, alios aſcendentes vt fratrū filios, quemadmodum, & exempla hic ab Imperatore propoſita manifeſte docent.

Quomodo computentur cognationis gradus.

IN computatione graduum illud obſeruādum eſt, quod ſuperior, & inferior cognatio a primo gradu incipit, ea verò quæ ex tranſuerſo, vt à
3 ſecundo initium ſumit d. §. 1. hoc tit. Primus enim gradus nullus eſt ex tranſuerſo, vt Theophil. hic docet, & probat tex. in l. 1. ff. eod. & hoc quia cum pater, & filius primum cōſtituant gradū, neceſſe eſt, reliquos quoquo verſum eſſe in remotiore gradu, quandoquidem ſingulæ perſonæ ſingulos gradus faciunt, cū igitur in ſuperiori cognatione, ſeu linea ſit pater à quo tranſuerſa cognatio, & is de quo quæritur deſcendit, merito frater ſecundo gradu dr., non ſic eſt iure pontificio, ſed eo frater primo gradu eſt, vt ſupra in tit. de nupt. diximus.

Quomodo computentur gradus inter aſcendentes & deſcendentes.

IN computatione graduum iuris Cæſarei interpretes duas regulas conſtituunt, quarum prima ad aſcendentes, altera ad collaterales, tam æqualis, quàm inæqualis lineæ ſpectat, prius
4 igitur de aſcendentibus, & deſcendentibus, & poſtea de collateralibus videndum eſt, in linea recta aſcendentium, & deſcendentium regula eſt,

tot esse gradus, quot sunt personæ, vna dempta, videlicet, dempto stipite, à quo supputatio initium habet, Exempli gratia.

Primo gradu est, supra pater, & mater, infra, filius, & filia. §. primo gradu hoc tit.

Secundo gradu supra est, auus, & auia, infra, nepos, & neptis. §. secundo gradu hoc tit.

Tertio gradu supra est, proauus, & proauia, inf. pronepos, & proneptis. §. tertio gradu hoc tit.

Quarto gradu supra est, abauus, & abauia, inf. abnepos, & abneptis. §. quarto hoc tit.

Quinto gradu supra est atrauus, attauia, infra atnepos, atneptis. §. quinto hoc tit.

Quomodo computentur gradus inter transuersales.

IN computatione graduum lineæ transuersalium regula est, tot esse gradus, quot sunt generationes, seu personæ stipite dempto, & hęc regula locum habet tam in linea æquali, quàm inæquali, Exempli gratia, si quæratur quoto gradu sit mihi frater, ita dicendum erit, me pater genuit est vna generatio, ergo vnus gradus, idem pater genuit fratrem meum, est secunda generatio, & secundus gradus, atq; ita frater meus mihi secundo gradu coniungitur, & sic duo fratres, aut frater, & soror secundo gradu sunt. §. secũdo gradu hoc tit. si vis modo scire quoto gradu nepos ex fratre mihi coniungatur, sic dicendum est, me genuit pater hæc est vna generatio, atque ideo vnus gradus, idem pater genuit fratrem meum, hæc est secunda generatio, & secũdus gradus, frater genuit filium, nepotem meum, de quo quęritur, hæc est tertia generatio, & tertius gradus, atque ita nepos ex fratre, tertio mihi gradu coniungitur. §. tertio gradu hoc tit. sic patruus, amita, auunculus, & matertera similiter, mihi tertio gradu iunguntur, secundum eandem computationem, nam pater genuit me, hæc est vna generatio, & vnus gradus, patrem meum genuit auus, est secunda generatio, & secundus gradus, idem auus genuit patruum meum, est tertia generatio,
5 & tertius gradus d. §. tertio gradu, eadem est cõputatio in amita, auunculo, & matertera, quarto gradu sunt, frater, & soror, nepos, neptisque, vt ecce, pater me genuit, est vnus gradus, idem genuit fratrem meum, est secundus gradus, frater meus genuit filium, est tertius gradus, iste alium genuit, est quartus gradus, & sic fratris mei nepos quarto gradu mihi iungitur. §. quarto gradu, hoc titulo eodem modo, & secundum eandem computationem quarto gradu à me distant, patruus magnus, & amita magna, id est aui frater, & soror, item auunculus magnus, & matertera magna, hoc est, auiæ frater, & soror, nam pater, qui me genuit facit vnum gradum, auus genuit patrem meum, est secunda generatio, & secũdus gradus, abauus genuit auum, est tertia generatio, & tertius gradus, idem genuit patruum meum magnũ est quarta generatio, & quartus gradus, & sic deceps, eodem modo, & filij ex duobus fratribus, aut sororibus nati, qui consobrini dicuntur quarto gradu inter se distãt d. §. quarto grado, vt ecce, Pater me genuit, est vna generatio, & vnus gradus, idem genuit fratrem meum est secunda generatio, & secundus gradus, ego genui filium, est tertia generatio, & tertius gradus, frater meus, & ipse filium genuit, est quarta generatio, & quartus gradus, & sic duorum fratrum filij inter se quarto gradu distant, quinto gradu sunt fratris, & sororis pronepos, & proneptis, item propatruus, & proamita, id est, proaui frater, & soror, & proauunculus, & promatertera, hoc est, proauiæ frater, & soror. §. quinto gradu, hoc tit. similiter, & quinto gradu sunt, Patrui magni, amitę magnę, auunculi magni, & materteræ magnæ filius, & filia, vt eodem modo quo supra computando facilè cognosces, sexto gradu sunt, fratris, & sororis abnepos, & abneptis, & cõuenienter abatiuus, & abatiua, id est, abaui frater, & soror, abauunculus, & abmatertera, hoc est, abauiæ frater, & soror. §. sexto gradu hoc tit. sic sexto gradu sunt, proparrui, proamitæ, proauunculi, & promaterteræ, filius, & filia d. §. sexto gradu, itẽ, qui queve ex fratribus, aut sororibus consobrinis generantur, sexto inter se gradu distant d. §. sexto gradu, ex ijs facile nunc intelligi potest, quomodo vlteriores gradus numerari possint, semper enim generata persona gradum facit, vt inquit Imperator hic in §. hactenus, eodemque modo, computantur gradus cognationis, quo, & agnationis, vt hic in fine tit. nostri, quod etiam, vt clarius nobis appareat, oculis nobis subijcit graduum numerationem Imperator hic, quę tamen desideratur, tu vide apud Doctor. hic, & etiam quod ego supra in tit. de nupt. dexi.

SVMMARIVM.

1 *An iste titulus sic separatus rectè collocetur, an verò melius cum superiori coniungendus sit.*
2 *Quid sit seruilis cognatio.*
3 *Serui nati & postea manumissi quõo in se succedant.*

DE SERVILI COGNATIONE.
Titulus VII.

In principium tituli, & aliquot §§. seq.

HVnc non esse nouum titulum, sed partem superioris Baldus, Cuiacius, & plures alij
1 sentiut, nec Gręcus interpres Theophilus specialem titulũ agnoscit, secutus antiqua Institutionũ scripta, quæ nullum hic nouum titulum habent, vtcunque sit parui momenti res est, an illo titulo seruilis cognatio expediatur, an specialem hunc titulũ habeat, licet multis maximæ in iure nostro auctoritatis viris, hoc posterius, vt magis distinctum placeat, veluti Mysing. Vulteio, & alijs.

Quid

Quid sit seruilis cognatio.

SEruilis cognatio est illa sanguinis necessitudo, quæ in seruitute contracta est, & ita accipitur hic in titulo nostro, hæc cognatio iure ciuili pro nulla habetur, nullaq; antiqua lege, aut Præ-
2 torum edictis iuuatur, & serui tam iure ciuili, quã Prætorio pro nullis habentur. l. quod attinet. ff. de reg. iur. nullumq; patrem ciuilem habēt, nec matrem, nec fratrem, aut vllum alium cognatum. l. hos accusare. §. penult. ff. de accusat. & ideo rectè Plautus in captiuis, cum quidam seruus patrem suum nominaret, quomodo ridens, inquit, patrē nominas, qui seruus es? hac de causa, nec cognationis iure inter se succedere poterant, solus Iustinianus noua sua constitutione, quæ tamen nō extat principali humanitate ductus inter seruos cognationis ius concessit, quæ tamen durante seruitute nō spectatur, sed tunc demum attenditur, vbi serui ad libertatem peruenerint, & sic statuit, vt hi, qui serui nati sunt, si postea manumissi
3 fuerint, non modo parentibus similiter libertate donatis iure cognationis ab intestato succedunt, sed etiam sibi inuicem, & cum reliquis fratribus, siue ex eodem patre, siue ex eadem matre, siue ex alijs nuptijs procreati sint. §. 1. & 2. hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *In successione cognatorum proximior remotiorem excludit.*
2 *Tollitur extantibus descendentibus.*
3 *Agnatus etiam, & si longissimo gradu sit cognatum proximiorem excludit.*

§. Repetitis, & fin.

1 EX ijs, quæ hactenus dicta sunt, satis apparet in successione cognatorum proximiorem remotiorem excludere, vt non immeritò proximitatis appellationem ad agnatos referri supra dixerimus, hoc tamen locum non habet extantibus descendentibus, hi enim, & si in remotiori gradu sint excludunt ascendentes, & collaterales
2 omnes etiam proximiores. §. repetitis hoc tit. sic agnatus, licet longissimo gradu sit, proximiorem cognatum excludit. §. fin. hoc tit. exceptis fratri-
3 bus, & sororibus emancipatis, qui licet per emancipationem agnati esse desierint, tamen ex Anastasij constitutione, de qua diximus supra, reliquis omnibus agnatis præferuntur, quid hodie iure nouo Authent. statutum sit dicam infra in tit. de bonorum possess.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio & concordantiæ Tituli.*
2 *Quatuor iura circa successionem patronorum in bonis liberti recensentur.*
3 *Legis Papiæ expositio.*
4 *Iustiniani constitutio de Patronorum successione in bonis liberti.*

DE SVCCESSIONE LIBERTORVM.
Titulus VIII.

In principium tituli, & aliquot §§. sequentes.

ABsoluta successione ingenuorum, Imperator occasione seruilis cognationis, quę vbi
1 quis ex seruo libertus factus est contingit, vt superiori titulo diximus, nunc de libertorum successione agit, non qua liberti alijs succedant, sed qua ipsis libertis per patronos succedatur.

Patroni quomodo libertis succedant.

QVatuor iura diuersa circa successionem patronorum in bonis liberti recensentur ab Imperatore hic.

Primum fuit l. 12. tab. per quam licebat liberto patronum suum impunè testamento præterire, ab intestato vero mortuo liberto, tūc demum ad eius hęreditatem patronum admittebat, si sui hæredes non essent, nec intererat ex naturalibus liberis suus hæres esset, an ex adoptiuis, vt hic in §. 1. hoc tit. & in l. intestato. ff. de suis, & legit. hæred. & quidem naturales liberi non immerito patronum excludebant, quia indignum nō erat patronum naturæ cedere, vt Theophilus hic inquit, at adoptiuo filio relicto, qui suus etiam est hęres, iniquum erat patronum excludi, & nihil iuris in bonis liberti intestati consequi, quem ex seruitute ad libertatem perduxit. l. 1. ff. de bonis liber. si quidem inęstimabilis libertas est. l. libertas. ff. de reg. iur. & sic non natura, sed facto penè fraudolento successionem ei auferri contra regulam. l. non debet 75. ff. de reg. iur. qua ratione, nec etiã hodie Vasallus adoptando liberos, spem successionis Domino, aut agnatis interuertere potest, cap. 1. §. si adoptiuus, si de feudo defuncti fuer. controuers. in vsib. feud.

Ideo secundo loco successit ius Prętorium, qui
2 Prętores iniquitatem veteris iuris corrigentes in remunerationem pręstitę libertatis dederunt patrono certam hoc est dimidiam partem bonorū, siue testatus, siue intestatus libertus decesserit relicto tantū filio adoptiuo. §. qua de causa hoc tit. & l. 1. §. fin. ff. de bonis libert. natur. vero filio relicto, etiam ex edicto Pretoris patronus in partē nō admittitur, sed à filio naturali excluditur, siue in potestate mortis tempore fuerit, siue emancipatus, siue alij in adoptionem datus d. §. Qua de causa, quinimò filius naturalis etiam in seruitute susceptus patronum excludit, vt superiori titulo habemus.

Tertium ius fuit lex Papia Popęa Diui Augusti temporibus Papio, & Popęo Coss. lata, quę ius patroni habentis libertos locupletiores in succe-

dendo

dendo auxit, etiam aduersus heredes suos naturales; quemadmodum enim edicto Pretoris ius patronatus auctum fuit aduersus suos, non naturales heredes, ita lege Papia auctum est etiam aduersus naturales, statuit enim quod si libertus reliquerit patrimonium centum millium sestertiorum (quę summa reddit illius ętatis aureos mille, vt hic Doctor. notant) & pauciores, quàm tres liberos, tunc virilis portio patrono debeatur. §. postea hoc tit. hoc est, vt quatùm quisque filiorum tantum, & patronus obtineat, & hoc siue testatus, siue intestatus libertus decesserit d. §. postea, at si tres, vel plures reliquerit liberos, patronus modis omnib. ab eius successione repellebantur d. §.

3 postea, nec mirandum est libertorum opes olim potuisse ad tantam summam excrescere, cum Tacitus lib. 12. scribat, Pallantem Claudij Cęsaris libertum sestertij ter millies possedisse, si igitur libertus centenarius duos filios habeat patronus ex l. Papia Popæa tertiam partem accipit, si vnū dimidiam perinde, ac si libertus sine vllo filio intestatus decessisset, vt loquitur Iustinianus hic, & vulgata litera habet, pro intestatus tamē testatus legendum esse existimo vna cum Cuiacio lib. 3. Vulteio Borcholten, & alijs hic, quod & Theophilus ostendit, & ratio ratio exigit, quia si libertus intestatus sine liberis decedat patrono nō dimidia, sed tota debetur hæreditas, at si testatus tunc dimidia debetur, vt supra ex Pretoris edicto, ideo testatus legēdum esse dixi, si vero plures habuerit liberos tunc in totum Patronus à successione ex eadem l. repellitur d. §. postea.

Quartum, & vltimum ius fuit Iustiniani nostri constitutio, quę, & ipsa simul cum alijs multis desideratur, qui legi Papiæ derogauit non ideo solum vt trientis, aut semissis numereque filiorum præscriptam formam tolleret, sed etiam vt facultatum liberti rationem minueret, statuit enim vt quemadmodum in l. Papia, is qui habebat mille aureos tenebatur patrono virilem portionem relinquere, ita & is qui haberet centum ex sua constitutione teneretur relinquere patrono trientem, idest, tertiam bonorum partem, si testatus decesserit, & nullos liberos habuerit, vel exhæredauerit. §. Cùm verò hoc tit. quod si non reliquerit datur patrono bonorum possessio contra tabulas liberti ad consequendam d. tertiam d. §. Cū verò,

4 at si liberos habuerit, & eos instituerit, patronus nihil consequi poterit d. §. Cùm verò, sin autem sine liberis intestatus decesserit, tunc ad omnem hæreditatem patroni vocantur d. §. Cùm vero, & hoc si libertus cētenarius sit, quod si libertus, vel liberta minores centenarijs sint, idest minus centum aureis habeant, tunc nullum locum habet patronus in eorum successione, si testamentum fecerint, sed si intestati decesserint, nullo liberorum relicto patronus eis succedit, extantibus vero liberis patronus excluditur. §. sed nostra hoc titulo, & quamuis Iustinianus hic liberorum tantum mentionem faciat, tamen etiam parentes, & fratres patronis præponuntur, vt ex superiori titulo constat, & notat Mysingerius hic in d. §. sed nostra num. 5.

SVMMARIVM.

1 *Non solum patronus, sed etiam liberi eius liberto succedunt.*
2 *Non extantibus liberis liberto succedunt agnati.*
3 *Hodie omnes libertini ciuitatem libertatē acquirunt.*

§. Multis alijs, & fin.

QVod supra diximus hæreditatem liberti deferri primum suis, tum parentibus, & fratribus, si quos habeant ex constitutione Iustiniani cuius mentio facta est supra titulo proximo, & tertio loco patronis hic ampliatur, vt non solum
1 ipse patronus, sed etiam liberi eius succedant liberto, ita tamen vt proximiores remotiores excludant §. multis hoc tit. neque enim in hoc casu locus est repræsentationi.
2 Secundo ampliatur, vt non extantibus liberis admittantur etiam eius agnati, & cognati, salua semper gradus prærogatiua vsque ad quintum gradum d. §. multis.
Tertio ampliatur, vt hoc idem in omnibus libertinis procedat sublata differētia inter Romanos, latinos, & dedititios, quia omnes hodie effi-
3 ciuntur ciues Romani, & ius libertatem acquirunt §. fin. hoc tit. & dixi supra in tit. de libertinis.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit assignare libertum.*
3 *Cui fieri possit assignatio liberti, & à quo.*
4 *Qualiter fiat.*
5 *Quomodo, & quando expiret.*

DE ASSIGNATIONE LIBERTORVM.

Titulus IX.

SVpra dictum est de successione patronorum in bonis liberti, adquam, & liberi eorum ad-
1 mittuntur, vt diximus, verum quia potest honus pater vni ex filijs suis assignare, vt solus ipse iura patronatus habeat, ideo, & de huiusmodi assignatione agit hic, & cōcordat tit. ff. de assignan. liber.

Quid sit assignare libertum.

ASsignare libertum, vt Modestinus scribit in l. assignare 107. ff. de verb. signif. nihil aliud
2 est quam testari cuius ex liberis libertum testator esse velit, quamuis enim ad omnes patroni liberos æqualiter bona libertorum pertineant, tamē licet parenti vni ex liberis assignare libertum, vt is solus, cui assignatus est, patroni iura habeat, & solus liberti bona consequatur ex Senatuscon-

sulto

sulto, quod D. Claudij temporibus factum fuit
§.1. hoc titulo, nec tantum libertus, sed etiam
liberta assignari potest d.§.1.

Cui fieri possit assignatio liberti.

POtest fieri liberti assignatio non tantum fi-
lio, & nepoti, sed etiam filiæ, & nepti dicto
§.1. hoc titulo.

A quo fieri possit.

POtest fieri ab eo solum, qui manumisit secun
dum Mysing. hic num. 3. liberi enim patroni
liberis sui assignare non possunt l.liberti.§.eod.

Qualiter fieri possit.

FIeri potest assignatio liberti, vel purè, vel sub
conditione, vel etiam in diem §.fin. hoc tit.
l.assignare,& l.sub conditione.ff.eod.& sub con-
ditione, vel in diē liberto assignato, interim pen-
dente die, vel conditione, omnia perinde obser-
uantur, ac si assignatus non esset, itaque mortuo
eo, interim ad omnes liberos hæreditas pertinet
d.l.sub conditione, item quibuscunq; verbis fieri
potest etiam nutu, in testamento, codicillis,& per
epistolam d.§.fin. hoc tit.& l.1.ff.eod.

Quando liberti assignatio expiret.

EXpirat liberti assignatio pluribus modis, &
primo per mortem eius, cui facta est, si nul-
los reliquit liberos d.§.1. hoc tit. Secundo per e-
mancipationem de filio factam post liberti assi-
5 gnationem, videtur enim tunc pater mutare vo-
luntatem,& liberti assignationem reuocare.§.da-
tur hoc tit. secus si post emancipationem liber-
tum assignet, quod fieri posse, ostendit tex.in l.
verum.l.2.ff.eodem, & probat Mysing. hic, nam
tunc non reuocatur. Tertio extinguitur assigna-
tio per sequentem exhæredationem. l.1.§.sed &
si post. ff.eodem.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit bonorum possessio.*
3 *Quare introducta sint bonorum possessiones.*
4 *Emendatio veteris iuris, & l. 12. tab. a iure Prætorio facta.*
5 *Confirmatio veteris iuris per Prætorum facta.*

DE BONORVM POSSESSIONIBVS.
Titulus X.

In principium Tituli.

EX quatuor modis acquirendi res per vniuer-
sitatem propositis supra in §. vlt. per quas
1 person. nob. acquirit, primus, qui ad hæreditates,
tam ex testamento, quam ab intestato, delatas,
pertinet, hactenus expositus est, nunc iusto ordi-
ne sequitur secundus ex iure Prætorio descen-
dens, quo bonorum possessiones instar hæredi-
tatum deferuntur, & ideo ponitur titulus de bo-
norum possessionibus, cum quo concordat in
ff. tit. de bonorum possess. cum multis alijs seque-
tibus,& in C. tit. Qui admitti ad bonorum possess.
pos. cum pluribus alijs.

Quid sit bonorum possessio.

BOnorum possessio secundum Vlp. I.C. in l.3.
§.bonorum.ff.eod. nihil aliud est, quam ius
2 persequendi, retinendique patrimonij, siue rei,
quæ cuiusque cum moritur fuit.

Quare introducta sint bonorum possessiones.

TRiplici ex causa bonorū possessiones à Præ-
tore introductæ fuerunt. s. confirmandi, e-
mendandi, ac impugnandi iuris ciuilis gratia tex.
est hic in principio tit. nam & ius Prætorium cir-
3 ca hæc tria versatur. l. ius ciuile. ff. de instit. & iur.
quo loci obiter obseruare debemus, quod verbū
adiuuandi positum à Papiniano mutatur ab Im-
peratore, in verbum confirmandi, verbū supplen-
di, in verbum emendandi, qui enim supplet emen
dat. d.2.§.1.& fin. ff. ad l. Rhod. de iactu. verbū au-
tem corrigendi, mutatur in verbum impugnādi,
quæ omnia, vt facilius etiam percipiantur, scien-
dum est, quòd olim lex 12. tab. disponens de suc-
cessione, non ita plenè prouidebat, tàm in causa
testati, quam intestati, ideo Prætor in quibusdā
casibus illud ius l. 12. tab. cōfirmauit, in quibusdā
etiam aliquid addidit,& in quibusdam correxit.
Primo enim ex l. 12. tab. ab intestato non ad-
mittebantur filij emancipati ad successionem pa-
tris, sed omnino ab eius successione excludeban-
tur. §. emancipati supra de hæred. quæ ab intest.
& ex testamento, si erant præteriti omni iuris au-
xilio destituebant. §. emancipatos supra de exhe-
4 redat. liber. vnde maxima resultabat iniquitas, qa
licet per emancipationē tollatur patria potestas,
non per hoc tamen tolli potest ius sanguinis, &
quod filij non sint. l. iura sanguinis. ff. de reg. iur.
ideo Prætor naturali æquitate motus vocauit fi-
lium emancipatum ad successionem patris ab in-
testato per bonorum possessionem, vnde liberi,
de qua in ff. & C. vnde liberi, & in testamento
præterito concessit ei bonorum possessionem
contra tabulas, de qua in ff. & C. de bonorum
possess. contra tab.
Tertio eadem l. 12. tab. post suos, vocabat agna
tos tātum exclusis in vniuersum omnibus cogna-
tis, vt supra de legit. agnat. success. in princ. sed nec
omnes agnatos etiam, sed illos tantum, qui erant
in primo gradu, quibus exclusis repudiatione, vel
tempore, alij agnati non admittebantur, & per
conse-

consequens in eis nō habebat locum successoriū edictum. §. placebat supra de legit. agnat. success. sed fiscus succedebat, Prætor igitur, & hoc emendare cupiens tertio loco sequētes agnatos, cum cognatis vocauit per bonorum possessionem vnde cognati de qua in ff. & C. vnde cognati, & hæc quo ad successionem ab intestato, ex testamento autem, nulla erat differētia, quia omnes instituti admittebātur excepto posthumo alieno, qui hæres institui non poterat, vt hic in princ. tit. & in l. gallus. §. ille casus. ff. de liber. & posthu. & §. posthumus supra de legat. & ibi glo. ideo Prætor, & hoc emendauit, posthumisq. alienis bonorū possessionem secundum tabulas detulit, si instituti essent de qua in ff. & C. de bonorum possess. secundum tab. & hic in princ. tit. confirmauit etiam ius ciuile Prætor in multis, nam vocauit ad successionem per bonor. possess. etiam eos, qui alias
5 de iure ciuili admittuntur, veluti suis hæredibus concessit bonorum possessionem secundum tab. agnatos proximiores vocauit per bonorum possessionem vnde legitimi, de qua in ff. & C. vnde legit. hæredes institutos similiter admisit per bonorum possessionem secundū tabulas, vt hic quæ omnia etiam particularius infra videbimus.

SVMMARIVM.

§. Quos autem.

Voniam ius percipiendarum hæreditatum l. 1. 2. tab. angustissimis finibus constitutum
1 erat, Prætor eum dilatauit pluresq. remedia de eo constituit, & quia hæredem facere non poterat, & consequenter, nec hereditatem deferre, per legem enim tantum, vel legi similem constitutionem hæredes fiunt. §. quos autem hoc tit. ideo fecit bonorū possessores, appellauitq. huiusmodi remedia bonorum possessiones d. §. quos autem, idem tamen consequuntur bonorum possessores quod hæredes, nam & loco hæredum eos haberi voluit Imperator in d. §. quos autem in fine cum quo concordat Vlpianus in l. 2. ff. eod. & sic duo sunt modi succedendi, vnus de iure ciuili, & alter de iure Prætorio, quando succeditur de iure ciuili appellatur hæreditas, quando de iure Prætorio appellatur bonorum possessio, idem tamen sunt hæreditas, & bonorum possessio quo ad effectum vnde non inconueniens erit videre, in quo conueniant, & in quo differant.

In quo conueniant bonorum possessio, & hæreditas.

Icet bonorum possessio, & hæreditas in nomine differant, idem tamen sunt quo ad ef-
2 fectum, nam tam in hæreditate, quam in bonorū possessione defertur vniuersum ius, quod defunctus habuit l. hæreditas. ff. de reg. iur. & l. 3. §. bonorum. ff. eod. similiter tam in hæreditate, quam in bonorum possessione adsunt commoda, & incommoda. l. 1. ff. eodem, item tam in hæreditate, quam in bonorum possessione habet locum ius accrescēdi. l. 2. §. si duo sint. ff. de bon. possess. tab.

In quo differant bonorum possessio, & hæreditas.

HÆreditas, & bonorum possessio sicut conueniunt, ita etiam, & in multis differunt,
3 primo differunt, quia tempus adeundi hæreditatem de iure ciuili currit etiam ignoranti l. licet, & ibi glo. C. de iur. deliber. at in bonorum possessione tempus ignorāti non currit. l. 1. & l. 5. C. qui admitti, secundo filiusfamilias hæreditatē adire non potest sine iussu patris. l. si quis mihi bona. §. iussum. ff. de acquir. hæred. sed ignorante patre bonorum possessionem agnoscere potest. l. 1. C. qui admitti, tertio hæreditas solo animo aditur siue præsentia iudicis. l. pro hærede. ff. de acquir. hæred. at in bonorum possessione requiritur decretum iudicis, vel saltem quod quis testetur in iudicio se velle agnoscere bonorum possessionē §. fin. infra eod. l. fin. C. qui admitti, & l. 3. §. si causa ff. eodem, quarto hæreditas vsque ad 30. annos adiri potest. l. licet. C. de iur. deliber. sed in bonorum possessione, liberis datur annus, cæteris datur tempus 100. dierum. l. 1. §. largius. ff. de successor. edict. quinto hæreditas transfert inta directa bonorum possessio vtilia d. §. quos autem hoc titulo, sexto petitur hæreditas per actionē, quæ dicitur petitio hæreditatis, bonorum vero possessio per possessoriū hæreditatis petitionem tot. tit. ff. de possessor. hæredit. petit. alias differentias, vide apud Doct. hic, & in tit. C. qui admitti.

SVMMARIVM.

§. Sunt autem cum multis §§. seqq.

Quotuplex sit bonorum possessio.

1 Bonorum possessio duplex est, ordinaria, & extraordinaria tex. est in §. sunt autem, & in §. septima hoc tit.

Quid

Quid sit ordinaria bonorum possessio.

ORdinaria bonorũ possessio dicitur illa, quæ in certa edicti Prętoris parte fundata est, &
2 cũ plena causæ cognatione cõceditur, & per quã non solum possessionem, sed etiam Dominium acquirimus l. 1. & 3. & vtrobique glo. ff. eod.

Quot sint species ordinariæ bonorum possessionis.

OLim decem erant ordinariæ bonorum possessionis species, at hodie sex, tãtummodo
3 sunt secũdum Imper. Iuc in §. aliam, quarum duę dantur ex testamẽto, & quatuor ab intestato, ex testamento datur bonorũ possessio secundũ tab. & contra tab. §. sunt autem hoc titu. ab intestato datur bonorum possessio vnde liberi, vnde legitimi, vnde cognati, & vnde vir, & vxor. d. §. sunt autem, cum quatuor sequentibus hoc tit.

Quibus detur bonorum possessio secundum tabulas.

PRima bonorum possessio, quæ nobis occurrit est illa, quæ appellatur secundũ tab. hanc Prætor introduxit, partim supplendi, & corrigendi, partim confirmandi iuris ciuilis gratia.

Primo supplendi, & corrigendi iuris ciuilis gratia bonorum possessio secundum tab. datur posthumo alieno hæredi instituto, qui omni iuris au
4 xilio erat destitutus, imo hæres institui non poterat, vnde Prætor æquitate motus, ei detulit bonorum possessionem secundum tab. vt dicitur supra in principio tituli, vbi Iustinianus addit, hodie etiam de iure ciuili hæredem institui ex noua sua constitutione, quæ tamen desideratur vna cũ alijs multis gręce editis, de quibus sępè etiam à nobis, superioribus titulis mentio habita est.

Secundo cõfirmandi iuris ciuilis gratia, Prętor detulit hãc bonorum possessionem secundũ tab. omnibus heredibus institutis, & substitutis, qui possunt consequi hæreditatem, remota quoque bonorum possessione, vt hoc eod. tit. §. aliquãdo tamen. i. etiam si ius Prętorium, non deferret bonorum possessionem, & hoc si testamentũ rectè factum sit. §. nam illis supra eod. tit. ibi, qui rectè testamento facto, alias si testamentũ vitio aliquò laboret, pendente controuersia super viribus testamenti, bonorum possessio agnosci non potest l. 1. & 2. C. de bonorum possess. secundum tab.

Cui detur bonorum possessio contra tabulas.

BOnorum possessio contra tabulas datur.

Primo liberis emancipatis in testamento patris pręteritis, quorum gratia adinuenta est, & post ipsos etiam nepotibus l. 3. in principio. ff. de bonor. possess. contra tab. & in emancipatis supra
5 de hęredit. qualit. & different. & in hoc emendat Prętor ius ciuile, quia emancipati à iure ciuili incogniti erant. Secundo datur etiam liberis in potestate existentibus, qui in testamento patris pręteriti sunt. §. sunt autem hoc tit. & in hoc Prętor adiuuat ius commune, quia etiam de iure ciuili filij in potestate habent ius dicendi testamentum nullum. Tertio datur etiam posthumis l. 2. C. de bonorum possess. contra tab. & in hoc pariter Prętor confirmat ius ciuile, quia etiam de iure ciuili posthumi admittuntur, & hęc quoad bonorum possessiones, quę ex testamento dãtur, nũc de his videndũ est, q̃ ab intestato deferuntur.

Bonorum possessio vnde liberi quibus detur.

6 INter bonorum possessiones, quę ab intestato deferuntur.

Prima est illa, quę vnde liberi appellatur, quę competit primo omnibus liberis emancipatis, vt ab intestato patri succedere possint, qui alias nõ poterant. §. emancipati supra de hęredit. quę ab intest. & in hoc Prętor emendat ius ciuile.

Secundo datur etiam liberis existentibus in potestate d. §. sunt autem hoc tit. l. 2. C. vnde liberi, & in hoc Prętor confirmat ius ciuile, quia etiam de iure ciuili existentes in potestate, primum locum in successione obtinent, vt in §. 1. supra de hęred. quę ab intest. deferunt.

Vnde legitimi bonorum possessio quibus detur.

BOnorum possessio vnde legitimi est illa, quę datur agnatis proximioribus, quando descendentes non extant. §. 1. supra de legit. agnat.
7 success. & tot. tit. ff. & C. vnde legitimi, & in hoc Prętor confirmat ius ciuile, quia etiam de iure ciuili non existentibus suis hęredibus proximiores agnati vocantur.

Bonorum possessio vnde cognati quibus detur.

VNde cognati bonorum possessio datur, & primo cognatis hoc est ijs, qui per fœminini sexus personas iuncti sunt, quãdo nullus nec ex descendentibus, nec ex agnatis existit, & in hoc Prętor emendat ius ciuile, quia cognati de iure ciuili non admittebantur. §. 1. supra de suc-
8 cess. cognat. & tot. tit. ff. & C. vnde cognati. Secundo datur simul cum cognatis etiam agnatis vlterioris gradus. §. placebat supra de legit. agnat. success. Iustinianus tamen cũ ei iniquum videretur, quod agnati sequẽtes admitterent tantummodo simul cum cognatis, ideo statuit eis successionẽ denegandã nõ esse per successoriũ edictũ, vt diximus in d. §. placebat. Tertio datur hęc bonorum possessio etiã matri ad successionẽ filij, & filio ad successionem matris. §. 1. supra de S. C. Tertull. & Orphic. sed quia eis postea prouisum fuit de iure ciuili, prout cõstat ex supradictis tit. Tertulliano, & Orphic. ideo Prętor dat eis etiã bonor. possess. vnde legitimi. l. generaliter. ff. vnde legitimi.

Bonorum possessio vnde uir, & vxor cui detur.

BOnorum possessio vnde vir, & vxor, datur viro ad successionem vxoris, & vxori ad suc-
9 cessionem viri excluso Fisco tot. tit. ff. & C. vnde vir, & vxor, & hoc quando non extant, nec consanguinei, nec agnati, nec cognati, sed si extent liberi, vel consanguinei à lege vocati, in hoc casu locum habet Auth. præterea. C. vnde vir, & vxor, qua statutum est, vt extantibus liberis, vel consanguineis, vxor viro, & vir vxori succedat, pro quarta parte, si coniux præmortuus sit locuples, & superstes egestate laboret, si tamen liberi sint tres, vel pauciores, at si plures extent liberi, succedit eis in viriles portiones, ita tamen, vt vsumfructum tantum habeat, proprietatem vero seruet liberis eiusdem matrimonij, quibus nō extantibus, dominium quoque consequitur eius portionis, in quam tamen imputatur quicquid ei relictum, vel legatum est à coniuge, & ratio est secundum Doct. in d. Authen. præterea, ne coniux superstes inops cogatur mendicare in opprobriū defuncti, quo viuente non mendicabat, & sic in honorem, & reuerentiam bene transacti matrimonij argumento. l. vnum ex familia. §. fin. ff. de legat. 2. & ne afflictio addatur afflicto. l. Diuus, & ibi glo. ff. de offic. præsid.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit extraordinario bonorum possessio.*
2 *Quot sint eius species.*
3 *Bonorum possessio vt ex legibus cui detur.*
4 *Quæ requirantur ad hoc, vt bonorum possessio, vt ex legibus competat.*
5 *Carboniana bonorum possessio cui detur.*
6 *Ventris nomine quibus competat.*
7 *Litis agnoscendæ causa cui detur.*
8 *Hodie tres sunt modi succedendi.*

Hactenus dictum est de bonorum possessionibus ordinarijs, nunc de extraordinarijs.

§. Septima.

Quid sit extraordinaria bonorum possessio.

EXtraordinaria bonorum possessio dicitur illa, quæ certam sedem non habet, sed vel ex testamento, vel ab intestato deferri potest. §. se-
1 ptima, & ibi glo. hoc tit. & ideo dicitur extraordinaria, quia aut est vaga, prout est bonorum possessio, vt ex legibus, quæ tam ex testamēto, quàm ab intestato dari potest secundum tex. in d. §. 7. in fine, aut non tribuit ius, prout est Carboniana, ventris nomine, & litis agnoscendæ causa secundum glo. in d. §. 7. & in l. 1. ff. eod.

Quot sint species extraordinariæ bonorum possessionis.

QVatuor sunt bonorum possessionis extraordinariæ species, videlicet, vt ex legibus
2 Carboniana ventris nomine, & litis agnoscendæ causa, de quibus sigillatim videbimus.

Bonorum possessio vt ex legibus cui detur.

BOnorum possessio, vt ex legibus, quæ primū locum inter extraordinarias bonorum pos-
3 sessiones tenet, de qua habemus hic in §. 7. & in tit. ff. vt ex legib. à primis verbis edicti sic appellata secundum Ias. in l. vlt. C. vnde legitimi, datur quoties ex nouis legibus bonorū possessio nō nominatim, sed generaliter alicui defertur, qui nō attingit defunctū ex aliquo capite, videlicet, quia nec est filius, nec agnatus, nec cognatus, neq; vir, aut vxor, nec alio modo à iure ciuili vocat', ideo ad hoc etiam, vt hæc bonorum possessio, vt ex legibus competat, plura requiruntur, quæ enumerantur per Ias. in d. l. fin. C. vnde legitimi.

Quæ requirantur ad hoc vt bonorum possessio vt ex legibus competat.

VT hęc bonorum possessio, vt ex legibus cōpetat, quatuor copulatiuè requiruntur. Primo, quod talis bonorum possessio deferatur ex nouis legibus, vel Senatusconsultis, vel cōstitutionibus Principum, vt hic in d. §. septima.

Secundo, quod tales leges ciuiles sint nō Prętoriæ, quia si à Prætore deferretur bonorum possessio hæc extraordinaria locum non haberet.

4 Tertio, quod per tales leges expresè, & specialiter deferatur bonorum possessio, non tamē nominatim, & in specie, quia si nominaretur in specie, talis nominata competeret, & non hæc extraordinaria.

Quarto, quod is, qui vult succedere nō sit alias vocatus per l. 12. tab. ad hęreditatem, quia si esset vocatus per aliam legem ciuilem, hæc non competeret. Fab. hic in d. §. septima. Ias. in d. l. fin. C. vnde legitimi, vbi etiam ponit exemplum huius bonorum possessionis, aliud exemplū refert Bellon. Supput. lib. 1. cap. 15. Studiosi Pisani Gymnasij exemplum habent in Statuto illius Magnificæ Vniuersitatis, quo cauetur quod si Scholaris decedat ab intestato, & in termino vnius anni non compareat hæres ipsa vniuersitas succedat in bonis, & hæc bonorum possessio tribuit ius, & in possessione, & in dominio.

Carboniana bonorum possessio cui detur.

CArboniana bonorum possessio datur filio impuberi cui quęstio status mota est, vt interim mittatur in possessionem, donec quæstio
5 status in tempus pubertatis differtur. l. 1. & 2. & tot. tit. ff. & C. de Carbon. edict.

Ventris nomine cui detur.

BOnorum possessio vētris nomine datur vxori grauidę, vt in bonis mariti defuncti maneat, donec

donec pariat, & à partu liberata sit.l.1.§.generaliter,& tot.tit.ff.de vetre in possess.mitten.hę duę
6 bonor.possess.Carboniana,& ventris nomine,nō tribuunt ius in dominio,sed in possessione tantū.

Bonorum possessio litis agnoscendæ causa videtur.

BOnorum possessio litis agnoscendæ causa, datur filio emancipato exhæredato,vel prę
7 terito ad hoc, vt habilitetur ad cōsequendam facultatem intentandi querelam de inofficioso,qđ alias ex l.12.tab.facere non poterat cum querela inofficiosi testamenti sit iuris ciuilis,& ius ciuile emancipatos nō agnoscat.l.Papinianus.§.1. & ibi glo.ff.de inoffic.testam. hæc non tribuit ius nec in dominio,nec in possessione, ex ijs,& alijs quæ superius à nobis dicta fuerunt,satis constat, & apparet,quare Prætor introduxerit huiusmodi bonorū possessiones,scilicet,confirmandi,emendandi,ac impugnandi iuris ciuilis gratia, confirmare tunc propriè dicitur,quando in eodem casu,etiam à lege ciuili prouisum est,emēdare,seu supplere,quod idem est, tunc dicitur,quādo idē casus à lege ciuili non est comprehensus,nec etiā expressè exclusus, licet tacitè intelligatur exclusus, vt in emancipatis agnatis inferioris gradus,& cognatis omnibus,qui à l.12.tab.non vocantur, corrigere verò tunc propriè dicimus,qñ idē casus à l.12.tab.expressè est exclusus, prout est in posthumo alieno,qui hæres institui nō poterat, & si instituebatur non valebat institutio,& sic duo sunt modi succedendi, vnus de iure ciuili,alter de iure prætorio, hodie tamen, & alter modus introductus est per ius nouissimum auth. de quo etiam videndum est à nobis.

De tertio succedendi modo ex iure nouissimo Auth.

OLim vt vidimus duo tantum erant succedendi modi, vnus de iure 12.tab. alter de
8 iure prætorio,at hodie tres sunt modi succedēdi, vnus ex l.12.tab.alter de iure prætorio,tertius,& vltimus ex iure Auth. cui vt posteriori standum est,argumento l.sed,& posteriores.ff.de legibus, in primo modo ex l.12.tab. tres erant succedendi ordines, videlicet, suorum hæredum agnatorum,& fisci, in secundo de iure prætorio quatuor erant succedendi ordines suorum hęredum agnatorum,cognatorum,& fisci, in tertio de iure Auth. quod hodie obseruatur,& de quo à nobis in præsenti agendum est,quinque sunt succedendi ordines,primus est descendentium, secundus ascendentium, tertius collateralium, quartus viri,& vxoris, quintus,& vltimus fisci, de tribus primis,descendentium,ascendentium,& collateralium habemus in Auth.de hæred. ab intest. venient, de quarto ordine viri & vxoris fit mentio in tit. ff. & C.vnde vir.& vxor. quintus,& vltimus,sedem habet in l.vacantia.C.de bonis vacantibus lib.10. secundum igitur hanc graduum distinctionem successionis materiam explicabo ea breuitate,& facilitate qua fieri poterit,vt omnia, quæ ad materiam successionis ab intestato pertinent, tàm iuris veteris,de quo hactenus,& satis claré à nobis,ni fallor actum est, quam nouissimi iuris de quo nunc acturi sumus, studiosus iuuenis percipere valeat.

SVMMARIVM.

1 *Ad successionem ab intestato primo ordine vocantur descendentes.*
2 *Qualiter succedant filij legitimi, & naturales.*
3 *Legitimati quomodo succedant, & de triplici legitimatione.*
4 *De successione filiorum naturalium tantum.*
5 *De successione spuriorum.*
6 *An possint succedere filij ex damnato coitu nati.*
7 *Adoptiui filij qualiter, & quomodo succedant.*
8 *Quid de filijs spiritualibus.*

DE SVCCESSIONE DESCENDENTIVM.
Primus Ordo.

Qui primi ad successionem ab intestato vocentur.

1 AD successionem ab intestato primo ordine, & loco vocantur descendentes, naturalis enim ratio liberis parentum hæreditatem addicit l.fin.ff.de bonis damnat.l.nam & si ff.de inoffic.testamen. verum quia multæ sunt liberorum species, vt diximus supra in tit. de adopt. alij enim sunt filij legitimi, & naturales, alij legitimati, alij naturales tantum, alij spurij, seu vulgo quæsiti, alij incestuosi, & nati ex damnato coitu, alij adoptiui, & alij spirituales, ideo particulariter etiam de vniuscuiusque successione pertractabimus.

De successione filiorum naturalium, & legitimorum simul.

DE hac successione hæ regulæ tenendæ sunt, prima filij primi gradus legitimi,& natura-
2 les,tàm masculi, quàm fœminæ,tam in potestate, quàm emancipati, sublata omni sexus, patriæ potestatis,& emancipationis differentia, hodie æqualiter succedunt,& patri,& matri,& cęteris ascendentibus in capita, exclusis omnibus ascendentibus,collateralibus, ac etiam descendentibus vlterioris gradus ex suo corpore natis? vinis enim parentibus, nepotes ab intestato succedere non possunt, cùm pater eos in gradu præcedat §.intestatorum,& §.ita demum suprà de hæred.quæ ab intest.Authen.in successione.C.de suis,& legit.hæred.secunda regula,si extent cum filijs primi gradus nepotes ex filio, aut filia prę mortuis, nepotes ipsi propter ius repræsentationis, quo patrem repręsentant, succedunt ascendentibus simul cum alijs filijs in stirpes, hoc est, tantam hæreditatis partem accipiunt, quantam accepisset pater,vel mater eorū,si vixisset §.interdum,

dum,& §.æquum supra de hæred.quæ ab intest. nec solum in nepotibus hoc locum habet, sed etiam in pronepotibus, & cæteris descendentibus in infinitum.§.fin.supra de hæredit.quę ab intest. §.si quis igitur,& §.in hoc enim ordine Auth.de hæred.ab intest.venient. Tertia regula,si non extent filij,sed solum nepotes,isti nepotes similiter succedunt auo suo in stirpes.§.item si ex duobus supra de hæredit. quæ ab intesta.l.3.C.de suis,& legitim.hæred. & d.§.si quis igitur Authen.de hęred. ab intest. venient.

De successione filiorum legitimatorum.

Legitimatio tripliciter fieri potest,scilicet,per subsequens matrimonium, per rescriptum Principis,& per oblationem curiæ.

Primo modo quando filij legitimantur per subsequens matrimonium, eodem modo succedunt, quo & filij legitimi, & naturales simul,&
3 per omnia eis æquiparantur cap.tanta,extra qui filij sint legitimi.

Secundo modo est distinguendum, nam aut extant alij filij legitimi, aut non.

Primo casu legitimatus per rescriptum Principis succedit patri exclusis omnib.agnatis Bart. & Ias.i l.Gallus.§.& qd si tñ.ff.de liber.& posth.

Secundo casu rursus distinguendum est,nā aut pater in libello supplici mentionem fecit liberorum legitimorum,aut non,si fecit,& adsit clausula,nō obstante quod habeat legitimos, tunc legitimatus ęqualiter admittitur simul cū alijs legitimis,& naturalib. at si non adsit huiusmodi clausula in hoc casu legitimatio tanquā subreptitia nō valet Alex.in l.ex facto.ff.de vulg.& pupill.

De tertio autē modo per oblationē curiæ, cū non fit in vsu,nihil etiam necessarium est dicere.

De successione filiorum naturalium tantum.

Naturales filij dicuntur illi, qui extra matrimonium ex concubina in domo,vel etiā alibi retenta nati sunt Alciat.regul.2.præsumpt. præsumpt.5. de horum successione duo capita sunt à nobis constituenda, nam aut patri succedere volunt, aut matri.

In primo capite cum loquimur de successione patris, hæ regulæ obseruandæ sunt.

Prima,si pater nō habet alios filios legitimos, & naturales,nec etiam coniugem legitimam,tūc naturales filij succedunt ipsi patri ab intestato in duabus vncijs solum.§.si consideremus Authent. de triente, & semisse, nisi sint plures ex pluribus cōcubinis orti,nam tunc nemo eorum in odium effusæ libidinis patri succedere possūt.§.discretis vers.si verò effusa Auth.quib.mod.natur.effician. sui, at si pater habet alios filios legitimos,vel coniugem legitimam,tunc naturales in nihilo succedunt,sed solum ab ipsis filijs legitimis,vel alijs hę
4 redibus,si non supersint filij,sed tantum cōiux legitima, alendi sunt pro modo facultatum Auth. licet.C.de natur.liber.& §.si quis igitur Auth.qb. mod.natur.efficiant.sui,& ratio est secundū Hostien.in sua summa extra qui filij sint legit.fauor, & honor matrimonij ,ppter quod noluit lex, qđ viuente coniuge legitima naturales succedant.

Secunda regula,nepotes naturales quamuis ex filio legitimo,vel legitimi quidē ipsi, sed ex filio naturali nati,auo ab intestato nullo modo succedere possunt.l.fi.C.de natural.liber.& hęc quoad primum caput de successione patris, in secundo verò capite dum quærim⁹ de successione matris, dicendum est non solū filios naturales, sed etiam nepotes,& pronepotes, simul cū alijs filijs legitimis,& naturalib.si quos habeat mater,æqualiter succedere,liberos quidē in capita,nepotes in stirpes,vt sup.quoq; de legitimis,& naturalib.simul diximus.§.nouissimè,& §.sed cū sup.de Senatusc. Orphiciano, & hoc etiam si illustris sit mater.l.si qua illustris.§.1. C.ad Senatusconf.Orphician.

De successione spuriorum.

Spurij dicūtur illi,qui vulgò quæsiti sunt,& patrem demonstrare non possunt,quasi sine patre filij,& hi propter patris incertitudinem omnino destituuntur paternæ hæreditatis successione, aliorumq; omnium per lineam paternam ascen-
5 dentium.l.si spurius.ff.vnde cognat. matri autem si non extent alij filij legitimi, & naturales spurij succedunt etiam si sit illustris.§.nouissimè, & ibi Doct.notant supra de Senatusconf.Orphician. & d.l.si qua illustris. C.ad Senatusc.Orphic. imò nō solum matris, sed etiam auiæ, & aliorū,aliarūq; ascendentium in linea fœminina spurijs hoc casu hæreditas defertur. l.hac parte, & l.Modestinus. ff.vnde cognati,at si extent filij legitimi, & naturales,tunc si mater non sit illustris spurij similiter matri succedunt,secundum Angel.& alios in d.§. nouissimè,sed si sit illustris, nec etiam ex testamento succedere possunt d.l.si qua illustris.

De successione filiorum ex damnato coitu natorum.

Filij nati ex illicito, & à lege reprobato coitu, vt sunt nepharij incestuosi, & adulterini, hi
6 nec patri,nec matri succedere possunt nō solum ab intestato, sed nec etiā ex testamento,quinimo nec alimēta de iure ciuili illis debentur, Auth.ex cōplexu.C.de incest.nupt.§.fi.Auth. quib.modis natur.efficiant.sui,quamuis ex ęquitate canonica postea debeāt capit. cū haberet, & ibi Abb.extra de eo qui duxit,quā prius polluit ,p adult.& hæc quoad filios,qui secundū naturam producti sunt.

De successione filiorum adoptiuorum.

Qvoad filios quos non natura, sed ipsa lex facit per adoptionem, vel arrogationem, hæ regulæ tenendæ sunt.

Prima

Prima regula, liberi adoptati ab extraneo, quamdiu in adoptione permanent, æqualiter simul cũ alijs liberis naturalibus, & legitimis succedunt, tam patri adoptiuo, quam etiã naturali, &
7 soli etiam si non extent alij filij exclusis defunĉti parentibus, habent. n. ratione suorũ hæredũ licet in adoptantis potestatẽ non transeant. §. intestatorũ, & §. sed, & omnia, & ibi Doĉt. supra de hereditat. quæ ab intest. l. Senatusc. de suis, & legit. hered. ad successionem verò agnatorum, vel cognatorum ipsius patris adoptantis non admittuntur l. 2. §. liberi. ff. ad Senatusc. Tertull. l. cum in adoptiuis. §. sed nec articulum. C. de adoption.

Secunda regula, adoptati ab ascendente, soli adoptãti, instar filiorum naturalium, & legitimorum, durante adoptione succedunt, tam ex testamento, quam ab intestato, perinde, ac legitimi, & naturales faciunt. §. sed hodie supra de adopt. l. 10. §. si vero pater. C. de adopt. ideo præteriti, vel sine iusta causa exhæredati, querelam inofficiosi testamenti mouere, autum j. testamentum impugnare, ac euertere possunt. §. adoptiui supra de exhæredat. liber. §. 1. supra quibus mod. testamen. infirment. l. 1. & l. non putauit. §. si quis. ff. de bonorum possess. contra tab.

Tertia regula, arrogatus non facta emancipatione, tàm in ijs bonis, quæ ad arrogatorem transtulit, quàm etiam in alijs ipsiusmet arrogatoris ex testamento, & ab intestato, tanquam filius legitimus, & naturalis succedit. l. cum in adoptiuis. §. fin. C. de adopt. l. si arrogator. ff. de adopt.

De spiritualium liberorum successione.

Filij spirituales in nihilo succedunt, ea enim cognatio in spiritu consistit, & ad corpora-
8 lia bona non extenditur, vt inquit Panormit. in c. tãta extra qui filij sint legit. scribit tñ Bal. in Auth. nisi rogati C. ad Senatusc. Trebell. cõmiserationis gratia, hisce liberis egenis alimẽta à patrib. spiritualib. subministrãda esse, & hæc de descendẽtiũ successione, nũc de successione ascẽdentiũ, q. ordine turbato descẽdẽtib. succedunt inspiciamus.

SVMMARIVM.

1 *Extinctis descendentibus, primum locum parentes in successione tenent.*
2 *Parentum appellatione veniunt omnes ascẽdẽtes*
3 *Tot sunt parentum species, quot, & liberorum.*
4 *De successione parentum legitimorum, & naturalium simul.*
5 *De successione parentum in bonis filiorum legitimatorum.*
6 *De successione parentum in bonis filiorum naturalium.*
7 *De successione parentum in bonis filiorum spuriorum.*
8 *De successione parentum in bonis filiorum ex illicito coitu natorum.*
9 *De successione parentum adoptiuorum in bonis filiorum adoptatorum.*
10 *De successione parentum in bonis filiorum spiritualium.*

DE SVCCESSIONE ASCENDENTIVM. Ordo II.

Liberis & omnibus descendentibus extinctis, primum locum in successione parentes te-
1 nent. §. si igitur Auth. de hæred. ab intest. venient. & Auth. defuncto. C. ad Senatusconf. Tertull. parentum autem nomine veniunt omnes ascenden-
2 tes vtriusque sexus in infinitum l. quique. §. parentem. ff. de in ius vocando, suntq. tot parẽtum species, quot liberorum, posito enim vno corre-
3 latiuorum, & alterum poni necessarium est, eodẽ igitur ordine obseruato, prius de parentibus legitimis, & naturalibus pertractabimus.

De successione parentum legitimorum, & naturalium simul.

In hac successione duo capita sunt à nobis cõstituenda, nam aut filius reliquit solos ascendẽtes, aut cũ ascẽdẽtib. reliquit etiã fratres, & sorores, in primo capite hæ regulæ tenendæ sunt.

Prima regula, pater, & mater soli superstites tàm filio, quam filiæ æqualiter succedunt. §. consequens Auth. de hæred. ab intest. venient. Auth. defuncto. C. ad Senatusconf. Tertull.

Secunda regula, alij ascendentes, si in gradu pares sint, licet numero dispares non in capita, sed in stirpes succedunt, tantumq. capiunt ascendentes lineæ paternæ, quantum ascendentes ma-
4 ternæ, & si vnus tantum, & solus ex vna linea esset, & duo ex alia, exempli gratia, auus, & auia ex paterna linea superfunt, auus tamen ex materna, iste auus maternus solus tantum consequetur, quantum auus, & auia ex linea paterna d. §. consequens, & d. Auth. defuncto.

Tertia regula, si ascendentes in gradu dispares sint, proximior remotiorem excludet d. Authen. defuncto, & d. §. consequens, si igitur viuerent proauus, & auia, auia sola tanquam proximior succederet.

In secundo capite, quando defunctus reliquit cum ascendentibus, etiam fratres, aut sorores, similiter hæ regulæ tenendæ sunt.

Prima fratres, & sorores sublata omni differentia sexus, emancipationis, & patriæ potestatis, si sint ex vtroque latere coniuncti, æqualiter in capita simul cum alijs ascendentibus succedunt §. sed cum antea in fi. & §. si vero supra de Senatusconf. Tertull. §. si igitur Auth. de hæred. ab intest. venient. Auth. defuncto, & ibi glo. Bald. & Doct. C. ad Senatusconf. Tertull.

Secunda filij fratrum, & sororum, & ipsi concurrunt simul cum alijs fratribus, ac defuncti parentibus, aut filijs ascendentibus in stirpes tamẽ,

estque hoc speciale in fratrum,& sororum vtrinque coniunctorum liberis, nam ad eorũ nepotes, & pronepotes nõ extenditur, sed huiusmodi nepores per parentes,& fratres defuncti excludunt d.Auth.defuncto,nec enim repręsentatio in collateralibus vltra fratrum filios locũ habet Auth. post fratres cum ibi notatis. C.de legit.hæred.

Tertia ascendentes præferũtur omnibus,& sororib.ex vno tñ latere coniunctis d.Auth.defuncto,& d.§.cõsequens notat Alex. cons.45.vol.7.

De successione parentum in bonis liberorum legitimatorum.

QVæ diximus de successione filiorum legitimatorum, idest, & de successione parentum in bonis eorum dicendum est, correlatiuorum enim eadem est ratio,& disciplina, & quicquid statuitur in vno,si pat vtriusque ratio sit,idẽ & in alio statutum esse videtur l.fin.C.de indicta viduitate tollen.

De successione parentum in bonis filiorum naturalium.

DE hac parentum successione, duo capita sunt à nobis constituenda, primum erit, & versabitur circa successionem patris, alterum circa successionem matris.

6 In primo capite cum quærimus de successione patris,duo casus sunt cõsiderandi, nam aut filius naturalis decedit testatus, aut intestatus. Primo casu, quando decedit testatus potest patrem instituere hæredem in totum,vel pro parte, prout ei videbitur Auth.licet in fine C.de natural.liber. nisi habeat filios legitimos,& naturales, nam tũc vltra vnam vnciam patri nihil aliud relinquere potest.§.discretis Auth. quib. modis natur.effic. sui,vel nisi extet mater,quia tunc solum,quod superest vltra legitimam matris ei relinquere potest argumento. l.si suspecta. §. de inofficioso.ff. de inoffic.testam.& d.Auth.licet.C.de natural.liber. Secundo casu, quando intestatus decedit, Pater succedit in duabus vncijs,nisi filius ipse naturalis habeat filios legitimos,& naturales,vel legitimam vxorem d.Authen.licet. §.ab intestato. C.de natural.liber.

In secundo capite, cum quærimus de successione matris,duo casus similiter sunt considerandi,quia aut etiam hic decedit testatus,aut intestatus. Primo,si decedit testatus,& sine liberis ad minus in legitima matrẽ instituere debet d.l.si suspecto. §.de inofficioso. ff.de inoffic.testam. Secundo si intestatus decedit,tunc si sit sola mater, sola etiam in omnibus bonis filijs suis naturalib. succedit.§.fin.supra de Senatuscons.Tertull.l.hac parte,& l.si spurius.ff.vnde cognat. at si cum matre superstes etiam sit pater, pater in duabus vncijs,mater in decem succedit,si verò cum patre, & matre extent etiam fratres ex eodem concubinatu nati, pater similiter in duobus vncijs succedit,mater postea cum fratribus in reliquis decem in capita Salic.in Auth. defuncto in fi.C.ad Senatuscons.Tertull.idem & de cęteris ascendentibus lineæ maternæ dicendum est,qui in capita cum fratribus defuncti succedunt eodem modo quo supra diximus de legitimis.

De successione parentum in bonis filiorum spuriorum.

IN bonis filiorum spuriorum de successione patris quærendum non est,cùm pater incer-
7 tus sit.l.si spurius.ff.vnde cognati, de matre autẽ dicendum est eam succedere filio suo spurio, etiam si illustris sit, & alios legitimos habeat, cùm ex hoc potius legitimi commodum sentiãt §.fin.& ibi Ang. supra de Senatuscons.Tertull.

De successione parentum in bonis filiorum ex illicito,& damnato coitu natorum.

DE horum parentum successione hæc regula tenenda est,scilicet,quòd nec pater,nec
8 mater, nec vlli alij ascendentes huiusmodi filijs ex complexu nefario, incestuoso, & damnato natis succedere possunt Authent. ex complexu C. de incest.nupt. in casu tamen necessitatis parentes ab ipsis alendi sunt pro modo facultatum Authen. incestas. C.de incest. nupt. sicut & eos è contra parentes alere tenentur, quemadmodum supra diximus, & hæc quoad parentes nobis à natura daros.

De successione parentum adoptiuorum in bonis filiorum adoptatorum.

IN successione eorum filiorum, quos non natura, sed lex facit hæ regulæ tenendæ sunt,
9 prima adoptione ab extraneo facta pater naturalis in quo ius sanguinis remanet ei succedit, & patri adoptiuo præfertur.l.penult.§.sed nec articulum.C.de adopt. Secunda facta adoptione ab ascendente, adoptiuus pater excluso naturali eidem succedit d.l.cum in adoptiuis. Tertia facta arrogatione,si filius arrogatus impubes decedat patri arrogatori nihil debetur,sed tota hereditas, vel parentibus si extent defertur,vel alijs proximioribus agnatis ex cautione,quæ præstari solet quãdo quis arrogatur, de qua diximus in §.cum impubes supra de adopt. Quarta si pubes factus decedat arrogatus, distinguendum est, quia aut solus superest pater arrogator,aut cũ eo concurrunt etiam fratres,vel sorores vtrinq; coniuncti.

Primo casu,si solus superest,solus etiã succedit. Secundo casu fit diuisio hæreditatis in capita §.mortuo,& ibi glo.& Doctor. infra de acquisit. per arrogat. idem & de patre, ac matre naturali, si supersint dicendum esse existimo, licet Faber ibi reclamet.

De

De successione parentum in bonis filiorum spiritualium.

QVæ diximus supra de successione filiorum in bonis parentum spiritualium, eadem, &
10 de successione parentum in bonis ipsorum filiorum spiritualium dicenda sunt, cùm in vtroque eadem militet ratio secũdum Doct. in cap. transmissæ, extra qui filij sint legit. & hæc quoad secundum succedendi ordinem.

SVMMARIVM.

1 *Tertius successionis ordo ad collaterales pertinet.*
2 *De successione collateralium ex iustis nuptijs procreatorum.*
3 *De successione fratrum, & sororum vtrinque coniunctorum.*
4 *De successione fratrum ex vno tantum latere.*
5 *De successione fratrum, & cæterorum collateralium legitimatorum.*
6 *De successione fratrum, & aliorum collateralium naturalium.*
7 *De successione spuriorum transuersalium.*
8 *De successione transuersalium ex damnato coitu natarum.*
9 *De successione transuersalium adoptiuorum.*
10 *Post collaterales qui ad successionem vocentur.*

DE SVCCESSIONE COLLATERALIVM. Ordo III.

TErtius successionis ordo ad collaterales pertinet, deficientibus enim descendenti-
1 bus, & ascendentibus, tertio loco ad successionem collaterales veniunt, collaterales autem intelliguntur, non solum fratres, & sorores, sed etiam omnes alij ex transuerso sanguine iuncti, siue sint lineæ paternæ, qui proprie agnati dicuntur, siue maternæ, qui cognati appellantur. §. 1. supra de gradibus cognat. in quo etiam similiter eadem est differentia, quam inter descendentes, & ascendentes annotauimus, ideo eundem ordinem sequendo, prius etiam de successione collateralium, qui ex iustis nuptijs procreati sunt, pertractabimus.

De successione collateralium ex iustis nuptijs procreatorum.

IN hoc ordine primi omnium sunt fratres, & sorores, quorum alij germani dicuntur, qui
2 ex eodem patre, & eadem matre nati sunt, & alias vtrinque coniuncti vocantur, alij consanguinei, qui eundem patrem, sed diuersam matrem habent, alij vterini, qui ex eodem vtero, & eadem matre, diuerso tamen patre nati sunt. Instit. §. secundo gradu. ff. de gradib. cognat. particulariter igitur de vnoquoque videbimus.

De successione fratrum, & sororum vtrinque coniunctorum.

QVoties nulli descendentes, nec ascendentes supersunt, tune omnium primi fratres, &
3 sorores vtrinque coniuncti, siue sint legitimi, & naturales, siue legitimati per subsequens matrimonium, exclusis omnibus alijs collateralibus, ac etiam fratribus, & sororibus ex vno tantum latere coniunctis, defunctorum fratri, vel sorori succedunt in bonis tam paternis, quam maternis, & aliunde quæsitis æqualiter, & in capita, si soli sint fratres, at si fratres, & filij fratrum in stirpes. §. cæterum cum sequentibus supra de legit. agnat. success. Auth. cessante. C. de legit. hæredit. Auth. itaque. C. communia de success. §. si igitur. Auth. de hæred. ab intest. venient. ius enim repræsentationis inter fratrum liberos locum habet, licet vltra eos non extendatur. §. si autem. Auth. de hæred. ab intest. venient. dubium tamen est, si soli filij fratrum supersint, an in stirpes, vel in capita succedant? variant Doct. Azo omnium primus in capita eos succedere tradit in sua summa in tit. C. de legit. hæredit. quem sequitur Bald. & Salic. in d. Auth. cessante, & hodie in Germania obseruatur propter cõstitutionem Caroli V. contraria opinio mihi magis placet, quam tenet Accurs. post Bart. Castren. Fulgos. Corn. & alios in d. Authen. cessante, & hæc est prima opinio, inquit Bartol. in qua Accurs. à præceptoris sui sententia discesserit.

De successione fratrum ex vno tantum latere coniunctorum.

SI defunctus nullos ex vtroque latere coniunctos fratres, vel sorores, aut fratrum, vel sororum filios filiasve habeat, hi enim omnes si extent, excludunt fratres ex vno tantum latere coniunctos, etiam si nepotes vno gradu remotiores sint, propter ius repræsentationis, propter quod eodẽ gradu vna cum patre censentur, vt in d. Authen. cessante, quinimo etiam defuncti patruos excludunt, quia sicut excludebantur ab eorum patribus defuncti fratribus, ita & à suis filijs defuncti nepotibus, qui in locum parentum suo-
4 rum succedunt excludi debent Authen. post fratres, la 1. C. de legitim. hæred. ijs igitur deficientibus deuenitur ad consanguineos, & vterinos, in quibus hæc generalis regula tenenda est, scilicet, quod in bonis à patre, vel eius linea prouenientibus, soli consanguinei sibi inuicem succedunt, in bonis verò à matre soli vterini, in reliquis postea aliunde acquisitis æqualiter omnes. glo. in d. Authent. post fratres per tex. in l. 13. §. exceptis. C. de legitim. hæred. Alexand. consil. 5. libro sexto. Aret. in §. si plures supra de legitim. agnat. success. nec hoc solum locum habet inter fratres, sed etiam inter patruos, & alios superiores

rioces transuersales, ideo si defunctus reliquerit patruum, & auunculum, patruus præfertur in bonis paternis, auunculus in maternis, & sic de singulis Mathesil. in tract. success. art. 3. & quæ diximus supra de fratribus, filijsque fratrum vtrinque coniunctorum, eadem quoque ad fratres, & fratrum filios ex vno tantum latere coniunctos referri debent, quia etiam hi similiter in patris sui locum succedunt, & in stirpes pariter cum patruis admittuntur, ideo si defunctus relinquat fratrem vterinum, & deinde ex alio fratre vterino duos, pluresve nepotes, hi simul cum fratre vterino in stirpes succedunt Mathes. dicto loco, & sicut fratres vterini in bonis maternis præferuntur fratri consanguineo, ita & filij fratris. §. si igitur, versic. sicut eorum parens, Authent. de hæred. ab intest. venient. sed quando defunctus non relinquit, nec fratres, aut sorores vtrinque, vel ex vno latere cōiunctos, neque fratrum, aut sororū filios filiasve, tunc quoad reliquos cōsanguineos collaterales, hæc regula generalis tenenda est, videlicet, quòd post fratres fratrumq. filios, vocantur ad successionē reliqui collaterales, qui gradu proximiores sunt, remotioribus semper exclusis, & pares in gradu pariter admittuntur in capita secundum numerum personarum, omni prorsus repræsentatione cessante. §. si plures supra de legit. agnat. success. tam masculi, quàm fœminæ sublata omni masculorum, & fœminarum differētia Auth. post fratres, la 2. C. de legitim. hæred. §. si vero neque Auth. de hæred. ab intest. venien. & durat hæc successio vsque ad decimum gradum inclusiuè. §. vlt. supra de success. cognat. ad cognoscendum autē quando, & quomodo quis defuncto proximus sit, non tantum tempus inspicitur, quo quis moritur, sed etiam destituti testamēti, vt diximus in §. cum autem supra de hæredit. quæ ab intest. & in §. sunt autē, & §. proximus supra de legit. agna. success. aduertendum tamen est, quòd si quis ex ijs hæreditatem, vel repudiet, vel morte præuentus, aut alia causa impeditus nō adeat, portio deficiens iure accrescēdi defertur alijs, qui adierūt, cum iam, vt diximus vltra fratrum filios, & consequenter in eis repræsentatio locum non habeat §. fin. supra de Senatusconsul. Orphic. & l. si ex pluribus. ff. de suis, & legitim. hæred.

De successione fratrum, & cæterorum collateralium legitimatorum.

QVæ diximus de successione fratrum naturalium, & legitimorum, eadem omnia etiā locum habent in fratribus naturalibus legitimatis per subsequens matrimonium, & eo-
5 rum liberis, quia & hi pariter admittuntur cum legitimè natis cap. tanta extra qui filij sint legit. Bart. in §. ad hoc Authent. vt liceat matri, & auiæ, quod & de cæteris collateralibus quoque dicendum est, qui eodem modo admittutur, prout legitimi, de legitimatis verò per rescriptum Principis, aut oblationē curiæ, hi soli patri succedūt, non alijs cognatis patris, neque ascendentibus, neque descendentibus, neque collateralibus, neque è contra cognati patris, ipsis legitimatis succedunt ab intestato, sed solum ex testamento succedere possunt. §. filium Authen. quibus mod. natur. efficiant. sui.

De successione fratrum, & aliorum collateralium naturalium.

IN hac successione duo capita sunt à nobis constituenda, primum erit de ijs, qui ex linea paterna coniuncti sunt, alterum de ijs, qui ex linea materna.

In primo capite hæc regula tenenda est, quòd fratres naturales alijque naturales sibi inuicem succedere non possunt, cum nulla intercedat inter eos agnatio, quæ per patrem, nec cognatio,
6 quæ per matrem ex legitimo tantum matrimonio contrahitur, §. vulgo quæsitos supra de cognat. success. & hoc siue vnus sit naturalis tantū, & alter legitimus, siue vterque naturalis tantum §. filium. Auth. quib. mod. natur. efficiant. sui. lo. in l. hac parte. ff. vnde cognat.

In secundo capite, quando ex linea materna coniuncti sunt, tunc sibi inuicem succedunt, siue omnes sint naturales tantum, & eodē patre nati, siue ex diuersis, siue sit vnus naturalis tantum, alter verò legitimus, & naturalis. l. hac parte, & l. si spurius. ff. vnde cognat. inter eosque etiam locū habet repræsentatio eodem modo, & forma, quo supra, omniaque ea, quæ de legitimorum successione diximus, dubium tamen apud me est, an fratres tam ex linea paterna, quam materna coniuncti, excludant fratres, & sorores ex vno tantum latere coniunctos, quemadmodum diximus supra de successione fratrum legitimorum, & naturalium simul, & hoc, quia in naturalibus, vt iam diximus, non consideratur qualitas patris, nec ratione patris sibi inuicem succedunt, licet nonnulli teneant quod sic.

De successione spuriorum transuersalium.

SPurijs transuersalibus ex paterna origine coniuncti succedere non possunt, cum de patre incerti sint §. vulgò quæsitos supra de successiō. cognat. leg. si spurius. ff. vnde cognat.
7 ideò fratres spurij vno, & eodem patre diuersis tantum matribus geniti, sibi inuicem succedere non possunt dicto §. vulgo quæsitos, & dict. l. si spurius, si de matre autem loquamur, tunc dicendum est, eos & sibi inuicem, & cæteris omnibus ex linea materna coniunctis succedere posse, eo modo, quo & de naturalibus diximus, eadem enim omnia, & in spurijs sibi locum vindicant.

De

De successione transuersalium ex damnato coitu natorum.

DE ijs communis conclusio tenenda est, quod sibi inuicem nullo modo succedere pos-
8 sunt, siue vterque, siue alter tantum sit natus ex coitu à iure ciuili damnato Auth. ex complexu, & ibi Doct. C. de incest. nupt. & hæc quoad eos, qui secundum naturam collaterales sunt.

De successione transuersalium adoptiuorum.

DE ijs, quos non natura, sed lex nobis consanguineos facit hæc generalis regula te-
9 nenda est, scilicet, fratres adoptatos, aut arrogatos ab extraneo mutuam successionem inter se non habere. l. cum in adoptiuis. C. de adopt. adoptatos verò, vel arrogatos ab ascendente rectè sibi inuicem succedere posse Angel. in §. final. supra de legitim. agnat. success. §. nullam vero Authent. de hæredit. ab intest. venient. & hæc quoad successionem collateralium.

Post collaterales, qui vocentur ad successionem.

DEficientibus omnibus descendentibus, & ascendentibus, ac etiam collateralibus vsque ad decimum gradum, Prætor vocat virum ad successionem vxoris, & vxorem ad successionem viri, de qua successione habemus etiam tit. ff. & C. vnde vir, & vxor, demum, deficientib. postea omnib. istis. s. descendentibus, ascendentibus, collateralibus, viro, & vxore, tunc succedit fiscus l. vacantia. C. de bonis vacant. lib. 10. & sic, vt sup. quoque diximus, hodie quinque sunt succedendi ordines, primus est descendentium; secundus ascendentium, tertius collateralium, quartus viri, & vxoris, quintus, & vltimus fisci.

SVMMARIVM.

1 *Intra quod tempus sit agnoscenda bonorum possessio.*
2 *Quæ differentia sit inter edictalem, & decretalem bonorum possessionem.*
3 *Quæ differentia sit inter bonorum possessionem, & possessionem bonorum.*
4 *An hodie bonorum possessiones sint sublatæ.*
5 *An bonorum possessiones hodie sint necessariæ.*
6 *An vtiles sint.*

§. Cùm igitur, & fin.

Intra quod tempus agnoscenda sit bonorum possessio.

IN agnoscenda bonorum possessione liberis, & parentibus datur spatiũ anni, reliquis omnibus centum dierum tantum. §. cum igitur hoc tit. l. 1. §. largius. ff. de successor. edict. & si intra huiusmodi tempus bonorũ possessio agnita non sit, censetur tacitè repudiata, & ideo portio non petentis petenti in pari gradu accrescit, & si nullus in pari gradu existat, admittuntur per successoriũ edictum sequentes in gradu, quibus tempus in-
1 cipit currere statim, quod primus repudiauit d. §. cum igitur in fine, & §. si quis hoc tit. tempus tamen, quod currit in bonorum possessione est vtile, & non continuum secundum tex. in §. fin. hoc tit. & in l. 2. §. dies. ff. quis ordo in bonorum possessione seruetur, vtile dicit illud, quod nec ignoranti, nec diebus feriatis, nec in absentia iudicis currit, continuum, quod continuè, & omni tempore currit glo. in clemen. 1. de restitut. in integr. ideo pro anno vtili datur quadrienniũ continuũ l. fin. C. de temporibus in integrũ restitut. & quia bonorum possessionem Doctor. diuidunt in edictalem, & decretalem, ideo sciendum est, differentiam esse inter edictalem, & decretalem, quia edictalis dicitur illa, quæ per Prætorem mortuum ex suo edicto alicui defertur, ex quo simpliciter declaratur bonorum possessor, sed nõdum tamẽ data est, decretalis, quæ à iudice petenti decreta est, & sic nihil aliud est edictalis, quàm ius, quod habet quis ad consequendam decretalem, & decretalis nihil aliud est, quàm executio ipsius edi- 2
ctalis, sublatis enim solemnitatibus, quæ antiquitus in agnoscẽda bonorum possessione obseruabantur de quibus in l. 3. §. si causa. ff. eod. hodie tantummodo requiritur sola agnitio coram iudice intra legitimum tempus facta. §. fin. in fine hoc tit. & l. fin. C. qui admitti, differentia etiam est inter bonorum possessionem, & possessionem bo-
3 norum, nam bonorũ possessio est quid iuris, possessio verò bonorum est quid facti, ideo quando dicimus habere bonorum possessionem in tali re, intelligimus tantummodo habere ius in ipso, sed quando dicimus habere possessionem bonorum intelligimus in facto, verè, & corporaliter rem ipsam possidere.

An hodie bonorum possessiones sint sublatæ.

CVm hodie ius authenticorum, vtpotè nouissimum, & posterius obseruetur, & eo iure
4 diuersi succedendi ordines, vt vidimus sint introducti, videretur ex hoc dicendum, superfluas huiusmodi bonorũ possessiones esse, & consequenter sublatas existere, contrarium tamẽ verius est, vt tradit glo. hic, & in l. certum. C. vnde legit. quinimo plurimum vtiles sunt, & in multis etiam casibus necessariæ, vt infra videbimus.

Ad quid vtiles sint bonorum possessiones.

VTilitas bonorum possessionis maxima est, prout videre licet per Angelum supra in tit. de exhæredat. liber.

Prima, vtilitas est, quia cum ille, qui vult succedere duo habeat remedia, vnum de iure ciuili, alterum de iure Prætorio, si repudiet hæreditatẽ de

de iure ciuili, poterit nihilominus succedere de
5 iure prætorio, & è contra si repudiet de iure
Prætorio, poterit succedere de iure ciuili, lege
suum hæredem. C. de iure deliber.

Secunda, si quis intra 30. annos non adeat hæreditatem, siue sciuerit, siue ignorauerit sibi delatam, eam amplius adire nõ potest. l. licet, & ibi glo. C. de iur. delib. verum quia in bonorũ possessione tempus nõ currit contra ignorantẽ. l. 2. & l. quandiu. C. qui admitti, ideo maxima erit vtilitas in hoc casu, quia poterit per bonorũ possessionẽ ad hæreditatem admitti, intra statutum tempus agnoscendi bonorum possessionem, quod tãtum à die scientiæ currere incipit d. l. 2. & d. l. quandiu.

In quibus casibus bonorum possessiones hodie necessariæ sint.

PRima bonorum possessio secundum tab. est necessaria in sex casibus relatis per Bart. in l. fin. C. vnde legit.

Secunda, contra tabulas, & olim, & hodie necessaria est filio emancipato. §. emancipati, supra de hæred. qualit. & different. nec obstat, quòd ho
6 die sublata sit differentia emãcipationis, & patriæ
potestatis. §. nullam Auth. de hæred. ab intest. venient. quia hoc verum est, quoad successionem ab intestato, secus in successione contra testamẽtum glo. in l. Gallus. §. & quid si tãtum. ff. de liber. & posthum. in verbo, Emancipatus.

Tertia, vnde liberi, olim fuit necessaria filio emancipato, quia de iure ciuili erat incognitus, hodie non est necessaria, quia differentia emancipationis, & patriæ potestatis, quoad successionem ab intestato est sublata, vt diximus.

Quarta, vnde legitimi, nec olim, nec hodie est necessaria secundum glo. in d. l. fin. C. vnde legit. quia agnati succedebant etiam ex l. 12. tab. vt habemus supra de legit. agnat. success.

Quinta, vnde cognati, olim erat necessaria, quia deficientibus agnatis non succedebant cognati, hodie non est necessaria, quia cognati succedunt etiam de iure ciuili, sublata differẽtia agnationis, & cognationis. §. nullam. Auth. de hæredit. ab intest. venient.

Sexta, vnde vir, & vxor olim, & hodie est necessaria in casu. l. 1. C. vnde vir, & vxor, reliquæ extraordinariæ, & ipsæ etiam necessariæ sunt secundum glo. & Doct. in d. l. fin. C. vnde legit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Olim qualis esset acquisitio per arrogationem.*
3 *Operarum obligationes quæ dicantur.*
4 *Vsusfructus, & vsus minima capitis diminutione non perit.*

DE ACQVISITIONE per arrogationem. Tit. XI.

ABsolutis duobus modis, quibus titulo vniuersali res nobis acquiruntur. s. aditione he-
1 reditatis, & bonorum possessione, sequitur nunc
primus modus de acquisitione per arrogationẽ,
quo pariter per vniuersitatẽ res nobis acquiruntur, quæ acquisitio neque iure 12. tab. neq; Prætoris iurisdictione, sed solo consensu recepta est, vt hic in princ. tit. hoc est, consuetudine, & non scripto iure, vt interpretatur Theophyl. hic.

Olim qualis esset acquisitio per arrogationem.

OLim cum paterfamilias se in arrogationem dabat, non solum ipse, sed etiã omnes eius
2 liberi, vna cum omnib. bonis mobilibus, immobilibus, corporalibus, & incorporalibus, in arrogatoris potestatem transibat, eaque omnia pleno iure arrogatori patri acquirebat. §. 1. hoc tit. ex-
3 ceptis ijs, quæ per capitis diminutionem pereũt,
quales sunt operarum obligationes, officialium, scilicet, non fabrilium, vt notat Cuiac. hic, quæ arrogato à libertis suis debentur, nec in alium transire possunt, vt idem tradit, quod & à Theophyl. fuit quidem promissum, sed non postea explicatum, item & qualis est etiam ius agnationis, quod in patrem arrogatorem non transit d. §. 1.
4 vsusfructus autẽ, & vsus licet antea inter ea, quæ
capitis diminutione pereũt annumeraretur, attamen capitis diminutione minima eos tolli noua Iustiniani cõstitutio prohibuit, quæ extat in l. penult. §. vlt. C. de vsufruct. vt habemus hic in d. §. 1.

SVMMARIVM.

1 *Hodie acquisitio per arrogationem qualiter procedat.*
2 *Arrogator viuente filio arrogato in viuo bonis aduentitijs solum vsumfructum habet.*
3 *Mortuo filio arrogato pater arrogator plenum dominium consequitur.*

§. Nunc autem, & §. fin.

Hodie acquisitio per arrogationem qualiter procedat.

HOdie acquisitio illa per arrogationem breuioribus inclusa finibus ad naturalium parentum similitudinem coarctata fuit, noluit enim
1 Imperator, vt arrogator plus iuris habeat in bo-
nis filij arrogati, quàm naturalis, & legitimus in bonis filij ex suo corpore nati, ideo sicut pater naturalis habet solum vsumfructum in bonis aduentitijs ipsius filij, ita & pater arrogator viuente
2 ipso filio, nudum tantum vsumfructum habet. §.
nunc autem hoc tit. mortuo verò plenum dominium

3 nium consequitur. §.mortuo autem filio hoc tit. nisi supersint aliæ personæ,quæ ex eiusdem Iustiniani constitutione ipsum antecedant,vt filij,qui eum omnino excludunt secundum gloss.hic, aut fratres vtrinque coniuncti , qui in capita simul cum eo admittuntur d.§.mortuo,quæ autem sit hæc constitutio de qua mentionem facit Imperator hic, aliqui volunt esse l.vlt. C.commun. de success. alij intelligunt. l.vlt. C.de testam. manumiss. &, alij Græcam constitutionem esse, quæ vitio temporis interijt.

SVMMARIVM.

1 *Vnus pro alio conueniri non potest.*
2 *Pater arrogator de eo quod filius ante arrogationem debuit conueniri potest.*

§. Fin.

Sicut arrogator, viuente filio arrogato vsumfructum in eius bonis aduentitijs habet, & eo mortuo plenum dominium consequitur, ita ex diuerso pro eo,quod ipse filius ante arrogationem debuit, ipso quidem iure pater non tenetur cum vnus pro alio iure nostro conueniri nõ
1 possit, sed nomine filij conuenitur, quod si eum
2 defendere noluerit , permittitur creditoribus bona arrogati competentibus actionibus persequi.§.fin. hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Modus acquirendi per additionem ex quo iure descendat.*

DE EO CVI LIBERTATIS causa bona addicuntur.

Titulus XII.

In principium Tituli.

Proponitur hic quartus, & vltimus modus, quo per vniuersitatem res nobis acquirun-
1 tur, & est quando alicuius bona libertatum conseruandarum causa nobis addicuntur, vt hic in princ.tit. quatuor enim fuerunt enumerati modi in tit.supra per quas personas nobis acquiritur, quibus tit.vniuersali res nobis acquiritur,scilicet aditione hæreditatis bonorum possessione,arrogatione,& additione bonorum libertatis conseruandæ causa, primus modus per hæreditatem est iuris ciuilis,& l.12.tab. secundus iuris Prętorij, tertius ex consensu populi, & consuetudine
2 inductus, vt supra diximus, quartus, & vltimus, de quo in hoc tit. ex rescripto D.Marci descẽdit, cuius rescripti verba habentur hic in princ. tit. & in l.vlt.C.de testam.manumiss.

SVMMARIVM.

1 *Quare addictio bonorum libertatis causa introducta sit.*
2 *Quæ requiruntur ad hoc,vt locum habeat.*

§.Hoc rescripto cum seqq.

Prima,& principalis causa propter quam addictio bonorum introducta fuit est fauor libertatis,& ideo libertatis etiam cõseruandæ causa dicitur, si quis enim in testamento liber iussus sit,& nemo hæres ex eo existat, certè,& libertatem euanescere oportet,sed cum maximus sit libertatis fauor,libertasq. quantum fieri potest cõseruari debeat D.Marci constitutione cautũ fuit, vt is cui libertas concessa est, vel quilibet alius extraneus, aut etiam fiscus Prætorẽ adire possit,
1 & ab eo petere, vt bona defuncti sibi addicãtur, quo facto, & libertates conseruantur, vt in dicta D.Marci constitutione, talisque non hæres, nec bonorum possessor,sed extraordinarius successor dicitur tantum glo.hic in §.in primis, idem est, si quis non condito testamento, sed in codicillis libertatem seruis relinquat. §.in primis hoc tit.

Secunda causa fuit, honor ipsorum defunctorum ad hoc, vt hæredes, & defensores bonorum habeant,& ne bona eorum publica præconis voce vendantur, quod valde ignominiosum apud veteres semper fuit,vt Cic.pro P.Quintio demonstrat.§.hoc rescripto hoc tit.

Quæ requirantur ad hoc,vt bonorum addictio locum habeat.

Requiritur primò, quòd iudicis auctoritas interueniat, vt supra diximus.

Secundò,quòd constet nullum successorẽ hæreditatem adire velle.§.in primis hoc tit.sed quęritur,an valeat addictio bonorum si facta sit intra tempus,quo quis restitutionem petere potest,& dicendum est,quod sic, nec libertates semel datas amplius reuocari posse. §.si is hoc tit.

2 Tertiò requiritur,vt ille,cui bona addicuntur, caueat creditoribus de solido cuique soluendo, vt supra in D.Marci rescripto habetur.

Quartò requiritur,vt illi,quibus directò libertas relicta est,cõsentiant in ius patronatus illius, cui bona addicuntur,in quod facile eos assentire credendum est, cum melius sit hac ratione liberos fieri,quam manere seruos,vt ibid. habemus.

Quintò requiritur, quòd libertates datæ sint, aliàs hæc constitutio cessat.§.hęc constitutio hoc tit. sed quid si uiuus dederit libertates, uel mortis causa, & magis est,ut audiri debeant, & si deficiant uerba constitutionis d.§.hæc constitutio, cessat si quidem omnis suspicio fraudis, quæ circa creditores considerari potest,postquam cautum est,de solido cuique soluendo.l.4. §.in fraudem.

dem. ff. de fideicomm. liber. & tandem hoc ius additionis bonorum ab Imperatore nostro amplificatum fuisse sua constitutione, quæ extat in l. fin. C. de reitamen. manumiss. ipsemet refert hic in fine tituli nostri.

SVMMARIVM.

1 *Duo alij modi recensentur, quibus olim vniuersaliter rerum dominium acquirebatur.*
2 *Cessant hodie prædicti modi.*

DE SVCCESSIONIBVS SVBLATIS, quæ fiebant per bonorum venditionem, ex Senatusconsul. Claudiano. Titulus XIII.

Recitantur in hoc titulo alij duo modi, quibus olim vniuersaliter quis acquirebat do-
1 minium. Primus erat ratione cessationis in solutione, & contumaciæ debitoris sui conuenti. Secundus ratione commixtionis, seu consuetudinis, quam libera mulier cum seruo alieno, inuito eius domino habebat §. 1. & 2. hoc tit. sed cum
2 ius hoc sit correctum, & hodie prorsus ab vsu fori Romani recesserit, longiorem eius declarationem, vt superuacaneam volens omitto.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid significet verbum obligationis.*
3 *Obligationis definitio traditur.*
4 *Declarantur singula definitionis verba.*

DE OBLIGATIONIBVS. Titulus XIV.

In principium Tituli.

1 Qvia omne ius quo vtimur, vel ad personas pertinet, quibus ius redditur, vel ad res de quibus redditur, vel ad actiones per quas redditur, & rerum causa duplex est, vna dominij, altera obligationis, ideo cum in primo lib. actum sit de personis, in secundo, & vsque ad hunc tit. de rebus respectu dominij, nunc iusto ordine sequit, vt etiã de reb. respectu obligationis inspiciamus, & concordat tit. ff. & C. de action. & oblig.

Quid significet vocabulum obligationis.

2 Metaphoricè significat nexum, quo quis, vel ex contractu, vel ex delicto aliquo tenetur.

Quid sit obligatio.

3 Obligatio est iuris vinculum quo necessitate astringimur alicuius soluendæ rei secundum nostræ ciuitatis iura tex. est hic in princ. tit. dicitur iuris vinculum ad denotandũ, quòd obligatio est ius, & sic res incorporalis, licet enim id quod ex obligatione nobis debetur, plerunque corporale sit, vt pecunia, fundus, & similia, ipsum tamẽ ius obligationis est incorporale, quemadmodum supra in tit. de rebus corporalibus, & incorporalibus habemus, dicitur necessitate astringimur, quia obligationum substantia in hoc potissimum cõsistit, vt alium nobis astringat l. obligationum substãtia, & l. obligationes. ff. de actio. & oblig. ab initio enim vnicuiq. liberum est contrahere, & se obligare, at post contractam obligationẽ, minime amplius recedere licet. l. sicut. C. de actio. & oblig. hinc sequitur obligationes, quæ ex alieno arbitrio, & aliena voluntate pendent, non esse propriè obligationes, cum necessitate non astringant l. stipulatio non valet, & l. à Titio. §. fin. ff. de verb. oblig. l. hæc venditio. §. 1. ff. de contrah. empt. & l. in vendentis. C. de contrah. empt. dicitur soluendæ rei, quod verbũ rei, quia generale est. l. rei appellatio. ff. de verbor. signific. ideo omnia etiam comprehendit, quæ in obligationem deduci possunt, & sic tam ea, quę ex contractibus, quàm quæ ex delictis debētur, siue ex obligatione dandi, siue faciendi debeatur, omnis enim obligatio alterum ex ijs, putà dare, vel facere, & aliquando vtrunque simul comprehēdit l. 3. ff. de actio. & oblig. & l. 1. ff. de verbor. obligat. item refertur non solum ad solutionem nummorum, sed etiam ad quamcunque aliam liberationem, quocunque modo factam l. solutionis. ff. de solutio. l. liberationis. ff. de verb. signific. vt ad cõpensationem l. 4. ff. qui potior. in pignor. habeant ad nouationem l. liberto. §. Lucius. ff. de annuis legat. ad delegationem l. quamuis. §. interdum. ff. ad Senatuscons. Velleian. nam & his modis quis soluere dicitur, vt in prædictis iuribus habemus, demum additur secundum nostræ ciuitatis iura, vt ostendatur non satis esse solutionem fieri, sed hoc amplius requiri, vt fiat solutio eo modo, quo iura ciuilia pręcipiunt, itaque qui certo tempore, vel loco debet importuno tempore, aut loco soluere non potest l. si soluturus. ff. de solutionibus, sic qui pecuniam debet nõ potest vinum, oleum, triticum, aut aliud quid simile soluere, cum iura nostra non patiantur aliud pro alio inuito creditore solui l. 2. §. 1. ff. de rebus credit. item nemo propria auctoritate quod sibi debetur, sed legitimis actionibus consequi debet l. extat, ff. de eo, quod met. causa.

SVMMARIVM.

1 *Prima obligationum diuisio.*
2 *Quid sit naturalis obligatio.*
3 *Quando naturalis obligatio orta esse dicatur.*
4 *Tres casus considerantur.*
5 *Effectus naturalis obligationis.*
6 *Quid sit ciuilis obligatio.*
7 *Effectus ciuilis obligationis.*
8 *Quid sit mixta obligatio, & eius effectus.*

9 *Quæ*

9 *Quæ sit secunda obligationum diuisio.*
10 *Quæ sit tertia obligationum diuisio.*

§.Omnium, & fin.

Quæ sit prima obligationum diuisio.

PRima, & principalis obligationũ diuisio est, quòd alia est naturalis tantum, alia ciuilis
1 tantum, & alia mixta naturalis, scilicet, & ciuilis simul iuncta, ita Doctores omnes hic.

Quid sit naturalis obligatio.

NAturalis obligatio dicitur illa, quæ ex naturali æquitate ortum habet Bart. in l. Iulia-
2 nus. ff. de condict. indeb. idque duobus modis cõtingere potest, vel ex naturali æquitate in specie, puta ex consensu, & æquitate illa seruandæ fidei, de qua in l. 1. ff. de pact. vel ex naturali æquitate in genere, vt quando naturalis æquitas suadet aliquem obligari quamuis expresse nõ consentiat, prout in sententia in qua obligatur cõdemnatus ad soluendum, non quidem ex consensu, cum iudicium reddatur in inuitum. l. inter stipulantem, §. si stichum. ff. de verb. oblig. sed ex naturali æquitate, quæ vult magistratibus obtemperandũ esse l. 2. ff. de iustitia, & iure.

Item, qui vtiliter absentis negotia gessit, absens ei obligatur ad restituendas impensas quas fecit, & hoc ex naturali æquitate, quæ suadet neminem cum aliena iactura locupletiorẽ fieri. l. nam hoc natura. ff. de condit. indeb. sic quando aliquis delinquit, obligatur ad pęnam non quidem ex consensu, sed ex naturali æquitate, quę vult pęnas ob maleficia solui. l. si à reo. §. fin. ff. de fideiussor.

Quando naturalis obligatio oriri dicatur.

TRes casus sunt à nobis considerandi ad hoc vt cognoscamus quando naturalis obligatio orta esse dicatur.

Primus casus est, quando lex ciuilis expresse assistit cõuentionibus; & pactis, vt sit regulariter
3 in omnibus cõtractibus approbatis à iure ciuili, & tũc oritur naturalis simul cum ciuili, naturalis propter consensum, ciuilis propter approbationem iuris ciuilis.

Secundus casus est, quãdo lex ciuilis expresse resistit pactis, & conuentionibus cõtrahentium, & prohibet contractus fieri, & tunc neque naturalis, neque ciuilis obligatio oritur, nullum enim pactum, nullam conuentionem, & nullum contractum inter eos videri volumus subsequutum, inquit Imperator in l. non dubium. C. de legibus, qui contrahunt lege contrahere prohibente, exẽplum habemus in prodigo, is enim contrahendo nec naturaliter, nec ciuiliter obligatur. l. is cui bonis cum ibi notatis. ff. de verbor. oblig. in pupillo contrahente sine tutore. l. pupillus obligari. ff. de auctor. tutor. nec obstat si dicatur, quòd ius ciuile non potest tollere ea, quæ sunt iuris naturæ, vt in §. fin. supra de legit. agnat. tutel. nam respondeo, quòd licet lex ciuilis non possit impedire consensum, & sic tollere naturalem obligationẽ, quæ ex consensu oritur, tamen potest tollere, & impedire effectus, quos naturalis obligatio producit, ita declarat Iason in l. si non sortem. ff. de condictione indebiti.

4 Tertius casus est, quando lex ciuilis non assistit, neque etiam expresse resistit cõuentionibus, & pactis contrahentiũ, & tunc sola naturalis obligatio oritur propter consensum. s. vel aliam naturalem æquitatem interuenientem, ciuilis autem non oritur, cũ lex ciuilis expresse talem conuentionẽ non approbat, idq. tripliciter fieri potest.

Primo ratione nudæ promissionis, quando. s. aliquis promittit per nudum pactum, tunc enim sola naturalis obligatio oritur propter consensũ, non ciuilis cum ius ciuile efficaciã agendi illi nõ prębeat. l. iurisgentium. §. sed cũ nulla. ff. de pact.

Secundo ratione cõditionis personarum, vt est in patre, & filio constitutio in patria potestate, licet enim hi celebrent aliquem contractum, tamen ex eo non nascitur ciuilis obligatio, quia lex ciuilis huic contractui non assistit propter patriã potestatem, sed tãtum nascitur naturalis propter consensum, idem dicendum est de duobus fratribus constitutis in patria potestate, vt inter eos tantum naturalis, & non ciuilis oriatur obligatio. l. frater à fratre. ff. de condict. indeb.

Tertio ratione actus nõ solemniter facti, vt est in testamẽto minus solemni, tunc enim hæres ad legata prǽstãda obligatur naturaliter tantũ propter voluntatem defuncti non ciuiliter, quia lex ciuilis non assistit huiusmodi testamento minus solemniter facto. l. ex imperfecto. C. de testam.

Qui sint effectus naturalis obligationis.

NAturalis obligationis effectus varij, & multi sunt, & primus est, quòd naturalis obligatio actionem producere non potest. l. iurisgentium. §. sed cum nulla. ff. de pact. ideo non habemus actionẽ ad petendum legatum in testamẽto minus solemni relictũ. l. ex imperfecto. C. de testamen. sicut nec actionem contra pupillum cum quo sine tutoris auctoritate cõtraximus. l. 1. in fi. ff. de nouat. Secundus effectus est, quod naturaliter tantum debitum si fuerit solutũ repeti non
5 potest, ideo hæres si soluat legatũ in testamento non solemni relictum, ipsum amplius repetere non poterit. l. naturales. ff. de actio. & oblig. Tertius effectus est, quòd soli naturali obligationi fideiussor accedere potest. §. in omnis infra de fideiussor. l. fideiussor obligari. §. fideiussor. ff. de fideiussor. cuius rei maxima est vtilitas, ponamus enim, quòd principalis sit pupillus, qui sine tutoris auctoritate contraxerit, certè talis naturaliter tantum obligatur, vnde consequenter nec conue-

niri poterit, verum si quis fideiubeat pro ipso pupillo is, & naturaliter, & ciuiliter obligatur, & per consequens conueniri poterit. l. Marcellus. ff. de fideiuss. quartus effectus est, quòd pro naturali debito etiam pignus constitui potest l. quæsitum. ff. de pignorib. quintus est, quòd naturale tantum debitum compēsari potest cum debito efficaci, & valet compensatio l. etiam. ff. de compens. sextus, & vltimus est, quòd sola naturalis obligatio etiam nouari, & in constitutum deduci potest ad hoc, vt debitum exigi, & peti valeat. l. 1. §. illud. ff. de nouat. l. 1. §. debitum. ff. de constit. pecun.

Quid sit ciuilis obligatio.

CIuilis obligatio dicitur illa, quę oritur ex dispositione iuris ciuilis, idque duobus modis contingere potest, vel approbatione, vel inuentione, approbatione, vt regulariter fit in omnibus contractibus à iuregentium introductis, quos ius ciuile approbauit, vt in l. ex hoc iure. ff. de iust. & iur. inuentione, vt in contractibus, à iure ciuili inuētis, quorum quatuor enumerat glo.
6 in d. l. ex hoc iure, sicut igitur sola naturalis consistit sine ciuili, ita & ciuilis sola potest consistere sine naturali, vt puta si mihi opus sit pecunia, & titius dederit mihi spem de mutuanda pecunia, & ego sub spe futuræ numerationis fecerim illi scripturam in qua fatear me recepisse ab eo mutuo centum, certè in hoc casu nō oritur naturalis obligatio propter defectum consensus, quandoquidem nolui me obligare sine pecuniæ numeratione, oritur tamen ciuilis propter iuris ciuilis au ctoritatem, quia per illam solemnē literarū obligationem ius ciuile vult me teneri, ideo cōpetit creditori actio contra me, exactionem tamen intra biennium non habet, vt infra de literar. oblig. & per tot. tit. C. de non numer. pecunia.

Qui sint effectus ciuilis obligationis.

EFfectus ciuilis obligationis varij sunt, & primus est, quòd parit actionem, non tamen exactionem habet, vt in chirographo sub spe futuræ numerationis facto, de quo diximus, & tradit Bart. in l. 1. ff. de fideiussoribus.
7 Secundus effectus est, quòd ciuili obligationi fideiussor, & pignus accedere potest l. fideiussor obligari. §. fideiussor. ff. de fideiussoribus, in constitutum verò deduci minime potest l. 3. ff. de cōstit. pecun. nec eius prætextu cōpensatio obijci, l. quæcunque, & ibi glo. & Bart. ff. de compensat.

Tertius effectus est, quod res, & pecunia hoc modo debita quocūq; errore soluta repeti pōt. l. si nō fortè. §. indebitū. & §. adeo. ff. de cōd. indeb.

Quid sit mixta obligatio, & eius effectus.

MIxta obligatio dicitur, tunc cum naturalis, & ciuilis simul iuncta sunt, eiusq. effectus
8 est, vt nō solum actionem, sed etiam exactionem habeat l. licet. §. ea obligatio. ff. de procur.

Quæ sit secunda obligationum diuisio.

SEcunda obligationum diuisio est, quòd aliæ ciuiles sunt, & aliæ Prætoriæ tex. est in §. om-
9 nium hoc tit. ciuiles dicuntur illæ, quę ex legibus Senatuscons. responsis prudentum, & Principum placitis descendunt Prætoriæ, quæ à Prætore introducuntur d. §. omnium, quod autem actio ciuilis sit, vel Prætoria multum refert, nam ciuiles actiones 30. annorum spacio durant l. omnes. C. de præscript. 30. vel 40. annor. Prætorię verò plerunque annales sunt præsertim pœnales, vt est actio iniuriarum l. si non conuicij. C. de iniur.

Quæ sit tertia obligationum diuisio.

TErtia obligationum diuisio est, quòd aliæ obligationes nascūtur ex cōtractu, vel quasi aliæ ex maleficio, vel quasi. §. fin. hoc tit. & l. 1. ff. de actione, & obligat. rursus obligationes, quæ ex contractibus descendunt, prout varij sunt cōtractus, ita & ipsæ variæ sunt, nam quædam re contrahuntur, aliæ verbis, aliæ literis, & aliæ consensu, vt infra tit. proximo, ad cuius tituli explicationem antequam deueniamus, operæpretium esse duxi quædam generaliter de contractib. pertractare, vt inde postea facilius, particularem vniuscuiusque cognitionem habeamus.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit contractus.*
2 *Contractus alij sunt proprij, & alij improprij.*
3 *Nominati, & innominati.*
4 *Qui dicantur contractus bonæ fidei, & qui stricti iuris.*
5 *Contractus gratuiti, ob causam, & necessarij.*
6 *Contractus alij dominium, alij vsum tantum, alij solam custodiam transferunt.*
7 *Aliqui cōtractus fiunt vnius gratia tantum, alij vtriusque contrahentium.*
8 *Substantialia contractuum, quæ dicantur.*
9 *Naturalia contractuum.*
10 *Duplicia sunt contractuum naturalia.*
11 *Quæ naturalia pacto tolli possint.*
12 *Solemnia contractuum.*
13 *Accidentalia.*
14 *Dolus duplex, manifestus, & præsumptus.*
15 *Lata culpa, quæ dicatur.*
16 *Leuis culpa quę.*
17 *Leuissima culpa.*
18 *Casus fortuitus.*

DE CONTRACTIBVS.

Quid sit contractus.

COntractus dicitur conuentio vltro citroque obligatoria l. Labeo. §. cōtractum. ff. de verborum

borum significat. vnde sequitur mutuum, & stipulationem, in quibus alter tantum obligatur, contractus propriè non esse, sed impropriò l. 1. in fine, & l. iurisgentium. ff. de pact.

Quot sint genera contractuum.

VAria, & multa sunt contractuum genera, & primo, alij sunt proprij, & alij improprij:
2 proprij dicuntur illi, in quibus obligatio oritur ex vtraque parte, vt in emptione, venditione, locatione, conductione, & similibus: improprij dicuntur, in quibus vnus tantum ex cōtrahentibus obligatur, vt euenit in mutuo, & stipulatione, de quibus supra diximus.

Secundò, alij sunt contractus nominati, qui
3 proprium nomen habent, alij innominati, quib. proprium nomen datum non est, prioris generis sunt, omnes contractus, qui, re, verbis, literis, & consensu contrahuntur, posterioris verò generis sūt, quatuor, scilicet, do, vt des, do, vt facias, facio, vt des, & facio, vt facias l. 5. ff. de præscript. verbor. his accedit permutatio, cuius nomen cōmune est omnibus conuentionibus, in quib. hinc inde aliquid datur, & accipitur, siue rerum, siue operarum, siue officiorum mutatio, & vicissitudo fiat glo. in rubric. C. de rer. permutat.

Tertiò, alij sunt contractus bonæ fidei, alij stri-
4 cti iuris, & hoc ad instar actionum, quæ ab eis proficiscuntur §. actionum, infra de actionibus, animaduertendum tamen est, bonam fidem dupliciter accipi posse.

Primò, tanquam opposita dolo, & hæc in omnibus contractibus requiritur l. bonam fidem. C. action. & obligat.

Secundò, tanquam opposita rigori, & stricto iuri, & tunc nihil aliud est, quām æquitas, & benignitas, q̄ cū stricto iure pugnat. l. si seruū. §. seqq. ff. de verb. oblig. & in hoc sensu accipitur hic.

Quartò, alij cōtractus sunt gratuiti, alij ob cau-
5 sam, & necessarij, gratuiti sunt, donatio l. 1. ff. de donat. mutuum l. 2. ff. si cert. pet. commodatum quoad vsum l. si vt certo. ff. commodat. precariū. l. 1. ff. de precar. mandatum, quo operam nostrā alijs gratis impendimus l. 1. ff. mandat. depositū, in quo propriam industriam in rei alienæ custodia gratis exhibemus l. 1. §. si vestimenta. ff. deposit. ob causā vero, seu necessarij contractus sunt, omnes contractus innominati, quibus accedit permutatio, trāsactio, & donatio ob causam l. naturalis. ff. de præscript. verb. l. 1. ff. de rerum permut. & transactio. C. de transact. l. 1. §. 1. ff. de donat. & tot. tit. C. de donat. quæ sub modo, item & omnes contractus nominati reciproci, vt emptio, & venditio, locatio, & conductio, societas, hipotheca, & pignus. §. fin. infra quib. mod. re contrahit. obligat. item emphyteusis. l. 1. C. de iure emphyteutico, & feudum, vt in vsibus feudorum.

Quintò, alij contractus dominium transferūt, vt mutuum l. 2. § appellata. ff. si cert. pet. venditio.

l. ex empto. ff. de actio. empt. donatio. l. 1. ff. de donat. dos. l. 1. ff. pro dote. permutatio. l. 1. ff. de rer.
6 permut. stipulat. l. vbi autē. §. fin. ff. de verb. oblig. item, & omnes contractus innominati, alij vsum tantum transferunt, vt commodatum l. in cōmodato. §. sicut. ff. commoda. precarium, & locatio l. non solent. ff. locat. & alij solam custodiam, vt depositum l. 1. ff. deposit.

Sextò, quidam contractus sunt, qui vnius gratia tantum fiunt, vel dantis, vt depositum, & mādatum l. si vt certo. §. nunc videndum. ff. commodat. vel accipientis, vt commodatum, precarium, mutuūm, & simplex donatio d. §. nunc videndū, quidam verò fiunt vtriusque contrahentium gratia, vt sunt omnes contractus reciproci, & respectiui, tam nominati, quam innominati d. l. si vt certo. §. nunc videndum.

In dubio tamen contractus illius gratia fieri præsumitur, qui alterum ad cōtrahendū rogauit l. si gratuitam. §. fin. ff. de præscript. verbor.

Quæ in contractibus interuenire soleant.

QVatuor sunt, quæ in contractibus interuenire solent, scilicet, substantialia, naturalia, solemnia, & accidentalia.

Quæ sint substantialia contractuum.

SVbstantialia contractuum dicuntur ea, quæ dant esse contractibus, & sine quibus contractus ipsi consistere non possunt l. pacta cōuenta, & ibi glo. ff. de contrah. empt. veluti, in emptione, pretium, res, & consensus sunt de substantia, sine quibus, nec emptio, nec venditio consistere potest l. 2. & l. nec emptio. ff. de contrah. empt. in societate, communio, l. 1. & 2. ff. pro socio. in precario, reuocandæ rei facultas l. cum precario. ff. de precar. in stipulatione, interrogatio, & respon sio actu continuo facta l. 1. §. qui præsens, & l. continuus ff. de verborum obligat.

Quæ sint naturalia contractuum.

NAturalia contractuum sunt ea, quæ secundum naturam cuiusque contractus tacitè in quolibet contractu veniunt, etiam si non fuerint expressa, & hæc pacta ab ipso contractu remoueri possunt, expresso, aut tacito pacto absq. aliquo ipsius contractus defectu, exempli gratia, secundum naturam venditionis, vt venditor teneatur de euictione, etiam si nihil dictum sit l. ex empto. ff. de action. empt. l. secunda. ff. de euiction. possunt tamen partes absque eo, quod contractus vitietur inter se pacisci, ne venditor de euictione teneatur l. emptorem. §. qui autem. ff. de action. emption. sic secundum naturam locationis est, vt locator debeat facere omnia ea, quę ex æquo, & bono veniunt, veluti fenestras, ostia resarcire, & alia huiusmodi, quæ qui-

dem omnia pacto tolli possunt, manente nihilominus eodem contractu d.l. pacta conuenta cum glo.ff.de contrah.empt. & l.si conueniatur. ff.deposit.cum similibus, de ijsq. naturalibus contractuum tradit Ias.in l.cum quid in prima lectura, ff.si cert.pet. obstat tamen contra hoc, quod diximus tex.in l.manu sata.§.fin.ff.de cõtrah.empt. vbi naturalia contractus pacto tolli non posse, constat sic in l.si non fuerit in fine ff. pro socio, & in l.lucius.ff.deposit. dum ibi dicitur, quod notissimos fines excedit, pro resolutione, animaduertendum est, quòd duplicia sunt contractuum naturalia, alia quæ per naturam cohærẽt, & quasi intrinseca qualitate insunt, alia quæ contractibus ex consuetudine adsunt, & non alia ratione naturalia dicuntur, nisi quod frequentiori, & assidua consuetudine, quæ in nomen naturę transijt, ad contractus accesserunt, de quibus glo.in d.l. pacta conuenta in principio, modo, priora naturalia sunt ea, quæ pacto tolli non possunt, sic in contractu emptionis pacto fieri nõ potest, vt dominium, actu, vel habitu non transeat in emptorem, est enim hoc intrinsecum naturale, vt in d.l.manu sata.§.finali, sic in contractu societatis conueniri non poterit, vt alter socius lucrum, alter damnum habeat d.l.si non fuerit in fine.ff. pro socio, esset enim leonina societas, & contra inseparatam naturam societatis hoc, sic & in cõtractu depositi conueniri non poterit, vt dominium rei depositæ in depositarium transeat d. l. Lucius.ff.deposit.vbi apertè dicitur, quòd huiusmodi pacta notissimos fines cõtractus excedũt, nec ad rem facit, quod huiusmodi pactum in pecunia numerata factum non vitietur, quominus ex deposito agatur ad pecuniam, vt in d.l.lucius, cum l.sequenti, quia hoc speciale est in pecunia numerata eo casu, quo nõ obsignata deponitur, nam cum pecunia sit res, quæ seruando seruari non potest, & in eodem genere functionem recipiat, facilè in ea tale pactum tolerari potest, q.s. in pecunia non obsignata deposita tacito etiam pacto transeat dominium, verum quia talis conuentio notissimos fines depositi excedit, vt dicitur in d.l.Lucius, ideo in alijs postea speciebus, seu corporibus depositis nõ recipitur l.licet §.1. ff.depositi, dicamus igitur, quòd pacto tolli possũt naturalia, hoc est intrinsecæ habitudines, quę ex consuetudine quodammodo in naturam contractus transierunt, veluti, vt nõ debeatur euictio in contractu emptionis, item, vt in deposito suscipiatur leuis culpa, aut periculũ d.l.1.§.si conueniatur, & §.sæpè.ff.deposit. & si q̃ similia sunt, quæ in contractibus secundum traditam à nobis distinctionem interuenire solent.

Quæ sint solemnia contractuum,

Solemnia contractuum dicuntur requisita quædam, quæ ad validitatem contractus vltra formam substantialem eius à lege requiruntur, veluti, ne pupillus, aut minor sine tutoris auctoritate, & decreto iudicis alienet, & hæc solemnia, si omittantur vitiant contractum l.obligari.ff.de auctorit.tutor. & l.siue prædium. C.de præd.minor.

Quæ sint accidentalia contractuum.

Accidentalia contractus dicũtur ea, quæ cõtractui præter illius naturam pacto contrahentium accedunt glo.in d.l. pacta conuenta, exempli gratia, aliquis vendit domum, & paciscitur cum ipso emptore, vt domum ipsam sibi pro tali pretio vsque ad tantum tempus locet l. fundi partem.ff.de contrah.empt.

De quibus in contractibus quæri soleat

Quia sępè in contractibus quęri solet, de dolo, culpa, & casu fortuito, ideo hæc omnia etiam, antequam ad particularem eorum declarationem deueniam explicare operæpretium esse duxi, ne si fortè quandoque horum inciderit sermo, nobis prorsus incognitus sit.

Quid sit dolus.

Dolus duplex est, manifestus, & pręsumptus, manifestus est omnis caliditas, fallacia, & machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendumq. alterum manifestè adhibita l.1.§.dolum malum.ff. de dolo malo, præsumptus, qui à Bart.in l.quod nerua. ff.depositi, latior culpa appellatur, est machinatio ad decipiendum alterum adhibita præsumptiue, & plerumq. committitur in omittendo.i.nõ faciendo eo, ad quod quis obligatus est, & scit se teneri secundum Castren. in d.l.quod nerua.

Quid sit lata culpa.

Lata culpa est deuiatio improuida ab ea diligentia, quam communiter homines adhibent, qui sunt eiusdem professionis, & conditionis l. latæ culpæ. ff.de verborum significat. & sic non ex maligno animo, sed ex crassa, & supina ignauia procedit.

Quid sit leuis culpa.

Leuis culpa est non adhibere tantam curam in rebus alienis, quantam adhibet diligens paterfamilias in reb.suis Bart.in d.l.quod nerua.

Quid sit leuissima culpa.

Leuissima culpa dicitur, quando quis nõ adhibet tantam diligẽtiam in rebus alienis, quãtam adhibere solet diligentissimus paterfamilias in rebus suis Bart. in d.l.quod nerua.

Quid

Quid sit casus fortuitus.

CAsus fortuitus est, inopinatus rei euentus, qui nulla humana prouidētia prouideri potest Abb. in cap. vnico extra cōmodat. & latè de hac materia vide apud Bart. in d.l. quod nerua. Bald. in l. quod fortuitis. C. de pignorat. actio. & Canonistas in d. cap. vnico extra commodat.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Mutuum quid sit.*
3 *Quæ requirantur ad hoc vt contrahatur.*
4 *An sit mutuum, si volente creditore, reddatur in specie eadem res, quæ mutuata fuit.*
5 *An inuito creditore possit mutuatarius restituere eandem rem in specie.*
6 *An desinat esse mutuum, si reddatur res diuersi generis.*
7 *Argumentum ab Etymologia vocabuli, quando valeat.*
8 *Quomodo dignoscatur mutuum ab alijs contractib.*
9 *Quæ actio oriatur ex mutuo.*

QVIBVS MODIS RE CONTRAHITVR obligatio. Tit. XV.

In principium tituli, & §. 1.

1 HActenus de contractibus in genere dictum est, superest nunc, vt ad specialem vniuscuiusque tractationem descendamus, & in primis ad eos, qui re contrahuntur, inter quos primum locum obtinet mutuum, vt hic in princ. tit.

Quid sit mutuum.

MVtuum est contractus nominatus, stricti iuris, quo res datur, quæ pondere, numero, & mensura constat, cum spe recipiendi
2 tantundem in genere suo eiusdem bonitatis, & qualitatis, lex est hic in §. 1. & in l. 2. in princ. §. mutui, & §. appellata. ff. si cert. pet. vbi Bart. & alij notant.

Quæ requirantur ad hoc, vt contrahatur mutuum.

REquiritur, & primo, quòd contrahentium animus sit, non idem corpus quod traditur
3 restitui, sed aliud, nam si eadem species redderetur, transiret in aliam speciem contractus, veluti, cōmodati, depositi, aut pignoris, hic quæri pôt, an sit mutuū, si volente creditore eadē res, quæ fuit mutuata, reddatur in specie, Accurs. hic inclinat in partē affirmatiuā, & eius opinio probatur.

Primo, quia sufficit à principio seruare ea, quæ sunt de natura contractus l. sed an vitro. §. 1. ff. de negoc. gest.

4 Secundo, quia contractus non sortitur nomen à solutione, quia per eam cōtractus extinguitur, non autem in esse deducitor l. legata inutiliter. ff. de adimen. leg. ergo quod fuit mutuum, non desinit esse mutuum, licet reddatur eadem res, quæ fuit mutuata, maior est difficultas, an inuito creditore possit mutuatarius restituere eandem rem in specie; Lancellotus Decius tenet in d. l. 2. ff. si cert. pet. quòd non, & hoc per tex. hic in §. 1. & in d. l. 2. contraria opinio est verior.

5 Primo, quia illud quod non restituatur eadem res, sed alia inductū est in fauorem illius, qui mutuum recepit, & nō in fauorē illius, qui mutuum dedit, ergo fauori suo poterit renūciare, dando eandem rem, argū. l. quod fauoré. C. de legib.

Secundo, quia si potest dare rem eiusdem generis, multo magis poterit dare rē, quæ fuit mutuata, cum nihil possit esse æquè bonum, quam res ipsa mutuata, nec obstant contraria, nam respond. quòd talis est intentio contrahentium à principio, quod sufficit, nec attenditur quod postea eueniat d. l. sed an vitro. ff. de negoc. gest. fallit, quādo res mutuata esset deteriorata, quia debet esse eiusdem bonitatis l. cum quid. ff. si cert. pet. & res deteriorata non dicitur eadem l. 3. §. si reddita. ff. commodat. secundo requiritur, ad hoc, vt mutuum contrahatur, quòd illud quod redditur sit eiusdem generis, nam si in genere diuerso, veluti, pecunia pro vino, vel vinum pro tritico, esset potius venditio, vel permutatio d. l. 2. §. mutui. ff. si cert. pet. hic quæri potest, an desinat esse mutuum si reddatur res diuersi generis consentiente creditore, nam eo inuito clarum est, quod
6 aliud solui non potest, Paulus I.C. in d. l. 2. innuere videtur quod non sit mutuum, resolutio tamē est, quod si à principio intentio contrahentium est, quod reddatur res eiusdem generis, licet postea reddatur diuersi generis, non desinit esse mutuum l. si pro mutua. C. si cert. pet. vbi si pro pecunia credita detur species æstimata, non desinit esse mutuum.

Tertio requiritur, vt res in quo mutuum contrahitur, numero pondere, vel mensura constet, §. 1. hoc tit.

Quartò requiritur, quòd res efficiatur accipiētis, & hac de causa etiā dicitur mutuum, quia ex meo. fit tuum d. §. 1. hinc est, quòd in pecunia aliena mutuum consistere non potest l. si socius. ff. si cert. pet. inferunt Doct. ex hoc validum esse argumentum ab Etymologia vocabuli, intelligite vos negatiuè, non affirmatiuè, hoc est, non fit de
7 meo tuum, ergo non est mutuum, non autem è contra, fit de meo tuum, ergo est mutuum, nam potest esse donatio, emptio, aut similia.

Quomodo cognoscatur mutuum ab alijs contractibus.

AD hoc, vt cognoscamus quomodo contractus mutui differat ab alijs contractibus: duo capita sunt à nobis constituenda.

Primum caput erit, quoties datur res, vt eadem nobis reddatur, secundum quoties datur res, vt nobis alia reddatur.

In primo capite, quando datur res, vt eadem reddatur est distinguendum, nam aut transfertur dominium, aut non.

Primo casu, si non transfertur, aut datur causa custodiæ, & tunc est depositum l. 1. ff. deposit. aut
8 ad vsum determinatum, & est commodatum l. in commodato. §. sicut. ff. cōmodat. aut ad vsum indeterminatū, & est precarium l. 1. ff. de precario.

Secundo casu, si agitur, vt transferatur dominium, tunc est contractus innominatus argumēto l. 5. §. 1. ff. de præscript. verbor.

In secundo capite, quando datur res, vt alia reddatur, similiter distinguendū est, nam aut agitur, vt reddatur alia res in specie, sed eiusdem generis, & tunc est mutuū, vt hic, aut agitur, vt reddatur alia in genere, & sic in totum diuersa, & tunc aut reddenda est species pro specie, & est contractus permutationis l. 1. ff. de rer. permut. & ibi glo. aut reddi debet genus pro genere, vel genus pro specie, & tunc est contractus innominatus l. 1. & 2. ff. de rer. permutat. aut est dāda pecunia pro re in specie, & tunc, aut agitur, vt ab vna parte detur pecunia, & ab altera tradat res, & est emptio, & venditio l. ex empto. ff. de actio. empt. aut agitur, vt ab vtraq; parte detur, & tunc est cōtractus innominatus l. si. ff. de condict. caus. dat.

Quæ actio oriatur ex mutuo.

EX hoc contractu oritur actio secundum tex. hic in §. 1. quæ appellatur certi condictio, & duplex est, certi generalis, & certi specialis, condictio certi generalis datur ex omni contractu, & omnibus obligationibus puris, vbi certum petitur l. certi condictio. ff. si cert. pet. quando autem contractus certum continere dicantur, declarat Iurisconsul. in l. vbi autem. ff. de verb. oblig. condictio verò certi specialis datur tantum pro mutuo ad repetendum, id quod mutuo datum est l. certi condictio, & ibi glo. ff. si cert. pet. §. sequens infra de actionibus.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit indebitum.*
3 *Indebitum quare dicatur contractus.*
4 *Quotuplex sit indebitum.*
5 *Quod nam sit indebitum naturaliter, & ciuiliter debitum.*
6 *Indebitum ciuiliter, & naturaliter debitum, quod sit, & eius exempla.*
7 *Quod sit, & naturaliter, & ciuiliter indebitum.*
8 *Indebitum per exceptionem.*
9 *Quæ indebita repeti possint.*
10 *Exceptionum variæ sunt species.*
11 *Qua actione indebitum repetatur.*

DE INDEBITO.

§. Is quoque.

1 SEcundo loco inter contractus, qui re contrahuntur ponitur indebitū ab Imperatore hic, & concordat tit. ff. & C. de condict. indeb.

Quid sit indebitum.

INdebitū est contractus, seu quasi contractus, in quo res non debita per errorem soluitur §. is quoque hoc tit. §. item is cui infra de oblig.
2 quæ ex quasi contract. l. 1. & tot. tit. ff. & C. eod. numeraturq; inter contractus, qui re fiunt, indebitum, & contractus dicitur respectu rei, quæ re vera intercedit, & creditori traditur, vnde & re contrahi obligatio dicitur.

3 Quasi vero contractus, dicitur respectu consensus, qui in indebito nō verus, & expressus, sed tacitus tātum, & præsumptus extra id quod agitur habetur d. §. item is cui infra de oblig. quę ex quasi contract. & l. si is qui. §. fin. ff. commodat. dici etiam potest distractus indebitum respectu voluntatis contrahentium, quæ tendit potius ad dissoluendam, & distrahēdam obligationē, quām contrahendam d. §. is quoque hoc tit. & d. §. item cui infra de obligat. quæ ex quasi contract.

Quotuplex sit indebitum.

4 INdebitum multis modis dicitur, aliud enim est naturaliter indebitum, sed ciuiliter debitū, aliud indebitum ciuiliter, sed naturaliter debitū, aliud & naturaliter, & ciuiliter indebitum, aliud per exceptionem indebitum.

Quod sit indebitum naturaliter, & ciuiliter debitum.

NAturaliter indebitum, & ciuiliter debitum dicitur quando quis ciuiliter tantum, sed non naturaliter debet, exempla huius rei sunt.

5 Primo eius, quod debetur ex obligatione literarū §. 1. inf. de liter. oblig. l. generaliter, & ibi glo. C. de non num. pecu. alterum eius quod debetur ab eo cui pactū de non petendo factum est l. stichum. §. naturaliter. ff. de solut. l. si vnus. §. pactus ne peteret, & ibi glo. ff. de pact. tertiū eius, quod debetur ex sententia iudicis, ex qua quis ciuiliter obligatur, quāuis re vera naturaliter debitor nō sit l. Iulianus cum ibi notatis. ff. de cōdict. indeb. quartum eius, quod debetur ab eo, qui iurauit ex delatione, se non debere l. fin. ff. de iureiur.

Quod sit indebitum ciuiliter, & naturaliter debitum.

CIuiliter indebitum, & naturaliter debitum dicitur illud quod re vera debetur, sed tamen ciuili iure non est munitum, cuius rei etiam plura afferri possunt exempla.

Et

6 Et primo eius quod debetur nudo pacto l. 1. & l. iurisgentium. §. sed cum nulla. ff. de pact. alterum eius quod debetur, & promittitur à pupillo pubertati proximo l. 1. §. fin. ff. de nouation. & §. pupillus infra de inutilib. stipulat.

Tertium eius, quod soluitur ex testamento minus solemni l. 1. & 2. C. de fideicommiss.

Quartum est eius, quod seruus Domino, pater filio, frater fratri quádiu in potestate sunt debet §. item inutilis infra de inutilib. stipulat. l. si id qđ & l. frater à fratre. ff. de condict. indeb.

Quintū est eius, quod debetur ab eo, qui malè absoluitur à Iudice, nā sententia auctoritate iuris ciuilis rescindit quidem vinculum ciuile l. si. ff. de iust. & iur. naturalē tamē obligationem intactam relinquit l. Iulianus. ff. de condict. indeb. Bart. in l. cum quis. C. de iur. & fact. ignoran.

Quod sit naturaliter, & ciuiliter indebitum.

NAturaliter, & ciuiliter simul indebitum, dicitur quoties quid nullo iure, nec naturaliter, nec ciuiliter debetur, & exempla sunt.

Primo, quando nulla debendi causa præcessit, 7 neque contractus, neque quasi, neque delictum, neque quasi delictum, neque aliud quidlibet l. si non sortem §. indebitum. ff. de condict. indeb.

Secundū eius, quod desijt deberi, vel solutione, vel acceptilatione §. 1. inst. quib. mod. tollit oblig.

Tertium eius, quod à pupillo infante furioso, aut mente capto promittitur §. pupillus infra de inutil. stipul. l. quod pupillus. ff. de condict. indeb. & l. furiosi. ff. de reg. iur.

Quod sit indebitum per exceptionem.

8 INdebitum per exceptionem, seu ope exceptionis est, quoties alicui ciuiliter, & naturaliter obligato competit exceptio, qua obligationem perimere potest.

Quæ indebita repeti possint.

QVia varia sunt indebita, ideo vario modo etiam repetitio eius, quod indebitè solutum est procedit, nos igitur, vt omnia facilius percipiātur, particulariter de vnoquoq; videbimus.

Et primo de indebito naturaliter, & ciuiliter debito, in quo pro regula dicendum est tale indebitum quocunq; errore semper repeti posse glo. & Doct. in l. 1. ff. de condict. indeb. solut.

9 Secundo in indebito ciuiliter, & naturaliter debito, distinguendum est, nam aut tale indebitum soluitur per errorem iuris, aut per errorem facti, si per errorem iuris repeti nō potest l. cum quis. C. de iur. & fact. ignorant. nisi sit minor, vel alius, quem ignorantia iuris excusat secundū glo. & Doct. in d. l. cum quis, si per errorem facti pōtest repeti l. fideicommissum. C. de cōdict. indeb. & l. error. C. de iur. & fact. ignoran.

In tertio, & naturaliter, & ciuiliter indebito, ipsum quocunq; errore solutū repeti potest l. 1. l. si non sortem, & l. quod indebitū. ff. de condict. indeb. idque propter regulam l. nam hoc natura. ff. de cond. indeb. & cap. non debet de reg. iur. in 6.

In quarto, & vltimo indebito ope exceptionis, distinguendum est, nam plures etiam sunt exceptionum species.

10 Et primo si exceptio sit temporalis repeti non potest, exempli gratia, Titius debet mihi decem ad Kal. Maij, si soluat ante illud tempus, repetere non potest l. in diem. ff. de condict. indeb.

Secundo si exceptio sit perpetua, tunc distinguendum est, nam aut huiusmodi exceptio est fauorabilis, vt in S. C. Velleiano, & tunc solutum repeti potest, & hoc siue soluerit errore iuris, siue facti l. qui exceptionem. ff. de cōdict. indeb. aut est odiosa, vt in S. C. Macedoniano, & tunc si soluerit, quocunque errore solutio facta sit, repetere non potest d. l. qui exceptionem.

Tertio si exceptio sit dubia, vt si promitto tibi decem sub condictione, in hoc casu si soluam antequā adueniat condictio, repetere possum, quia dubium est, an sit debitum, verum bene est, quod condictione extante repetere non possum l. sub condictione. ff. de condict. indeb.

Quarto si exceptio inducta sit ad rigorem iuris conseruandum, vt est exceptio epistolæ Diui Adriani, quæ fideiussoribus succurrit in hoc casu si vnus conueniatur in solidum, & soluerit, non potest amplius repetere ope illius exceptionis, sed solum alios fideiussores conuenire pro ea parte, quæ ipsis competebat Bart. in l. 1. ff. ad Macedon.

Qua actione indebitum repetatur.

ACtio per quam indebitum repetitur, appellatur condictio indebiti, quæ ad hoc, vt cōpetat, duo principaliter requiruntur.

11. Primò, quòd solutio interueniat.

Secundò, quòd per errorem facta sit, nam si scienter videretur donatio, & consequenter cessaret repetitio l. 1. in fine. ff. de condict. indeb. & l. cuius per errorem. ff. de reg. iur.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit commodatum.*
2 *Quæ requirantur.*
3 *In quibus rebus consistat commodatum.*
4 *Ad quid teneatur commodatarius.*
5 *Quæ actio oriatur ex eo.*

DE COMMODATO.

§. Item is cui, & §. commodata.

TErtius contractus, qui re contrahitur, dicitur commodatum, de quo tractat Imper. hic in §. is cui, & concordat tit. ff. & C. commodat.

Quid sit commodatum.

1 Commodatum nihil aliud est, quàm alicuius rei in certum vsum gratuita concessio, vt eadem species expleto certo tempore reddatur §. item is cui hoc tit. sic dictum commodatum, quasi ad commodum vtentis datum d. §. item is cui, & tot. tit. ff. & C. eod.

Quæ requirantur.

Ad commodatum constituendum plura requiruntur.

Et primò, quòd res concedatur ad certum, & expressum vsum, & tempus, quia si ad non certũ vsum, vel ad incertum tempus detur, erit potius
2 Precarium, quod reuocari potest quãdocunque, non sic in commodato, quod reuocari non potest, nisi expleto tempore l. in commodato. §. sicut. ff. commodat.

Secundò requiritur, quòd sit gratuitum, quia si merces pro vsu in pecunia daretur esset locatio, & si in alia re, esset contractus innominatus, veluti, facio, vt des. §. commodata hoc tit. & l. 1. §. si quis seruum. ff. deposit.

In quibus rebus consistat commodatum.

3 Commodatum consistit in rebus mobilibus, tam corporalibus, quam incorporalibus, dummodo non sint res, quæ vsu consumantur l. 3. §. fin. ff. commodat.

Ad quid teneatur commodatarius.

Regulariter tenetur commodatarius de leuissima culpa, non tamen de casu fortuito d. §. item is cui hoc tit. & l. in rebus. ff. eod. quandoq.
4 tamen tenetur etiam de casu fortuito, veluti, si inter partes conuentum sit de præstando casu l. 1. §. si conueniat. ff. depos.

Secundò, si commodatarius interpellatus, rem commodatam restituere differat, tunc enim propter moram tenetur cap. vnico extra eod.

Tertiò, quando culpa ipsius commodatarij præcessit casum d. §. item is cui versic. alioqui.

Quæ actiones oriantur ex commodato.

Ex commodato duæ oriuntur actiones, directa, & contraria: directa datur commodanti, & eius hæredibus contra commodatarium, & ipsius hæredes ad restitutionem rei commodatæ finito vsu, ad æstimationem pecij, si res non extet, & dolo, vel culpa perijt, ad interesse si res de-
5 terior facta sit l. sed mihi. §. si reddita. ff. eodem. contraria datur cõmodatario ad repetendas magnas expensas in re commodata factas, & ad restaurationem damni si fortè commodans vasa vitiosa præstauit l. in rebus. §. possunt. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit depositum.*
2 *Quæ requirantur.*
3 *In quibus rebus consistat.*
4 *Quibus priuilegijs gaudeat.*
5 *Ad quid teneatur depositarius.*
6 *Quæ actiones oriantur ex eo.*

DE DEPOSITO.

§. Præterea.

Quartus contractus, qui re contrahitur dicitur depositum, & proponitur ab Imperatore hic in §. præterea cum quo concordat tit. ff. & C. depositi.

Quid sit depositum.

1 Depositum est contractus quo quis rem aliquam penes amicum custodiendi causa tantum deponit §. præterea hoc tit. & l. 1. ff. eod. sic dictum depositum ex eo quod ponitur d. §. præterea, & d. l. 1.

Quæ requirantur.

Ad hoc, vt depositum constituatur, multa requiruntur.

Et primò, quod deponens vsus sit verbo, depono, commendo, serues, custodias, & similibus Castr. in l. 1. ff. eod.

Secundò, quod contrahentes id agant, vt eadem res in specie reddatur, quia si alia species,
2 esset contractus innominatus do, vt des l. 1. §. si vestimenta. ff. eod.

Tertiò, quod ipsa res custodiæ causa tradatur, quia si ad certum vsum concederetur, esset commodatum, vt supra diximus, si ad incertum esset Precarium.

Quartò requiritur, quod pro custodia nulla merces interueniat, quia si præstaretur merces in pecunia numerata esset locatio.

In quibus consistat depositum.

3 Depositum simplex consistit in rebus mobilibus in immobilib. non, nisi sit sequestrũ, nec refert an certa species detur, vel quantitas l. 1. §. cista. l. si sacculum, & l. Lucius. ff. eod.

Quibus priuilegijs gaudeat depositum.

Huiusmodi cõtractus depositi propter exuberantiam fidei, quam deponens præstat, multa in se priuilegia continet.

Et primum est, quod in eo compensatio non admittitur, ideo si deponam apud te rem aliquã, &

& eam mihi restitui petam, etiamsi aequivalen-
4 tem summam tibi debeam, per hoc exceptionem compensationis opponere non potero, sed rem restituere, & postea agere debebo l.fin.C.de compensat.cap.fin.extra eod.

Secundum, in deposito nō potest opponi exceptio dominij, ideo si apud te deposui equum, & repetam, quamuis tuus esset equus, non poteris opponere exceptionem dominij, sed restituere debes equum, & postea agere rei vendicatione l.penult. & ibi Bart. C.eod.quinimo, & latroni spolia deposita sunt restituenda l.1.§.si praedo, & l.bona fides.ff.deposit.

Ad quid teneatur depositarius.

Depositarius tenetur de dolo, & lata culpa, quae dolo aequiparatur tex. est in l. quod
5 nerua.ff.deposit. ideo si res dolo, vel lata culpa depositarij perierit, tenetur depositarius ipse aequiualentem rei valorem restituere §.praeterea. hoc tit. at si leui, vel leuissima culpa res perijt, in hoc casu depositarius non tenetur, sibi enim imputet deponens, qui negligenti amico rem custodiendam tradidit §.praeterea.

Quae actiones oriantur ex deposito.

EX contractu depositi duae oriuntur actiones, vna appellatur actio depositi directa, alia
6 actio depositi contraria, directa datur deponēti, & eius haeredibus da.§.haec actio.ff.eod. contra depositarium, & eius haeredes l.ex deposito.ff.de actio.& obligat. contraria datur depositario, & eius haeredibus contra deponentem, & ipsius haeredes, vel ad recuperandas expensas, si quae factae fuerunt, vel ad consequendum interesse, & damnum, vt si deponens sciens seruum furem esse deposuerit, & depositarius ab eo damnum passus fuerit, Azo in sua summa C.eod. in fine.

SVMMARIVM.

DE PIGNORE.

§.Creditor quoque.

VLtimus contractus, qui re contrahitur dicitur pignus, de quo tradit Imperator hic in §.creditor quoque, & concordat tit.ff.de pignor. action.de pignoribus, & plures alij.

Quid sit pignus.

Pignus est contractus, quo res à debitore
1 pro debito cautionis, & securitatis causa datur, & accipitur detinenda quousque sibi satisfactum sit §.creditor quoque hoc tit.l.1.& l.si rē. ff.de pignorat.action. dictum sic pignus à pugno, seu manu, cum res quae pignori datur, manu detur l.plebs.§.pignus.ff.de verb.signific.

Quae res pignori obligari possint.

EXtat de hac re tit.ff.& C. quae res pignori obligari possunt, vnde constituenda est regula, quod omnia, quae in bonis nostris sunt, expresse obligari possunt l.qui praedium.C.si aliena res pignori data sit, nec solum praesentes, sed etiā
2 futurae res, vt fructus pendentes, partus ancillarum, & foetus pecorum l.& quę nondum.ff.de pignoribus, & non solum corporales, sed etiam incorporales, vt sunt instrumenta debitorum l.nomen.C.quae res pignori obligari possunt, vsus, & vsusfructus, hoc est facultas vtendi, & fruendi, l.si is qui.§.vsusfructus.ff.de pignorib. similiter, & res communis pro parte sua obligari potest l.vnica.C.si res communis pignori data sit.

Quae actio nascatur ex pignore.

ACtio, quae ex hoc contractu oritur, duplex est, directa, & contraria; directa competit
3 debitori contra creditorem ad repetendum pignus §.creditor hoc tit. contraria competit creditori contra debitorem ad repetendos sumptus necessarios factos in ipso pignore conseruando, l.creditor la 2.C.de pignorat.action.

Ad quid teneatur creditor pignoris.

PIgnus in ea qualitate restituendū est, in qua erat tempore, quo traditum fuit, ideo si creditor redderet pignus deterius, dolo eius, vel culpa lata, aut leui factū, tenetur pignoratitia actione l.creditor la 2.C.de pignorat. actio. non sic si leuissima culpa, vel casu fortuito deterius factū
4 sit, nam cum pignus vtriusque, tam debitoris, quàm creditoris gratia detur, consequens etiam est exactam sufficere diligentiam d.§.creditor in fine, verum bene est, quod creditor casum fortuitum, manifestis probationib. probare debet, maximè si contingat casus, qui sine ipsius culpa praesumatur l.creditor. C.de pignorib. casu igitur fortuito pignore amisso, denuo creditor debitū petere potest l.quae fortuitis.C.de pignorat.action.

SVMMARIVM.

In principium tituli.

DE

DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS. Titulus XVI.

IN præcedenti titulo actum est de contracti-
bus, qui re contrahuntur, nunc de ijs, qui ver-
1 bis fiunt, & sic de verb. obligat. & concordat tit.
ff. de verb. oblig. & C. de contrah. & committen.
stipul. hæc verborum obligatio, stipulatio appel-
lari solet, diciturq. verborum obligatio, quia in
huiusmodi cōtractu certa verborum solemnitas
requiritur, quę consistit in interrogatione, & res-
ponsione, & sic, sicut in contractibus, qui re con-
trahūtur, res ipsa actualiter interuenire debet, ita
in hoc contractu aliqua verborum solemnitas.

Quid sit Stipulatio.

2 STipulatio est contractus iuris ciuilis nomina-
tus, qui ex quadam verborum conceptione
constat per quæ ille, qui est interrogatus respon-
det, se facturum id, de quo interrogatur. §. 1. hoc
3 tit. & l. 5. stipulatio. ff. eod. dictaque est stipulatio
tanquam quid firmum, cum stipulum apud ve-
teres firmum appelletur d. §. 1.

Quæ actio oriatur ex stipulatione.

ACtiones, quæ ex ipsa stipulatione oriuntur
duæ sunt, cōdictio certi cum certa est sti-
4 pulatio, & actio ex stipulatu, si incerta sit stipula-
tio d. §. 1. hoc tit. & sic stipulatio alia certa, & alia
incerta dici potest, certa cum continet aliquid
certi in substantia, quantitate, & qualitate l. stipu-
lationum la 2. & l. vbi autem. ff. eod. incerta cum
nihil horum in se habet.

SVMMARIVM.

1 *Qualis olim esset stipulationis solemnitas.*
2 *Hodie quæ sit.*

§. In hac re.

OLim in stipulatione stricta solēnitas obser-
uata fuit, eisdē. n. verbis quib. fiebat inter-
1 rogatio, fieri etiā oportebat responsio, nec aliter
facta valebat, etiā si per æquipolentia verba facta
2 fuisset, hodie tñ secus est, nam quibuscūq; verbis
aptis ad interrogationem, & responsionem fieri
potest, dummodo interrogatio prius præcedat,
adeo quod etiam vnus lingua Græca, & alter La-
tina stipulationē concipere possunt, si per se, vel
per interpretē se intelligant §. in hac re hoc tit. l.
1. §. fin. ff. eod. l. omnes. C. de contrah. stipul.

SVMMARIVM.

1 *Stipulatio quotuplex sit.*
2 *Quæ stipulatio dicatur pura.*
3 *Stipulatio in diem.*
4 *Conditionalis stipulatio.*
5 *Quot sint conditionum species.*
6 *Necessaria conditio quæ.*
7 *Impossibilis conditio.*
8 *Possibilis conditio quæ dicatur.*
9 *Possibilis conditio triplex est.*
10 *Sub qua conditione fieri possit stipulatio.*

§. Omnis cum aliquot sequentibus.

Quotuplex sit stipulatio.

1 QVoniam stipulatio pluribus modis fieri so-
let, aut purè, aut in diem, aut sub condi-
tione, ideo etiam alia pura, alia in diem, & alia
conditionalis dicitur.

Quæ dicatur pura stipulatio.

PVra stipulatio appellatur illa, quæ nullo ad-
iecto die, & nulla conditione apposita, sed
2 purè facta est, veluti, si dicam promittis mihi da-
re centum ex causa mutui, & tu respondeas pro-
mitto, statim absque eo quod dies aliqua expe-
ctetur, nata est obligatio, & eadem die centum
debentur l. in omnibus. ff. de reg. iur.

Quæ stipulatio in diem dicatur.

STipulatio in diem dicitur, quando adiecto
die quo pecunia soluendo est, fit stipulatio,
veluti, promittis mihi dare centum ad Kalend. 2
Maij, & tunc licet statim nata sit obligatio, ta-
3 men ante diem illum centum petere non pos-
sum §. omnis stipulatio hoc tit. & l. hoc anno. ff.
eodem, sed quæro hic, quid si aliquis stipuletur,
sibi decem aureos annuos dari, quoad viuit, an
sit stipulatio in diem, respondet Imper. hic in §.
at si ita, quòd est pura, & perpetuatur donec vi-
uit, ad hęredes tamen non transit, quia per exce-
ptionem pacti repelli possunt d. §. at si ita.

Quæ sit conditionalis stipulatio.

4 COnditionalis stipulatio dicitur illa in qua
conditio aliqua adijcitur, quarum conditio-
num, quia multę, et varię sunt species, nec sub v-
naquaque stipulatio facta valet, ideo prius varias
conditionum species, et postea sub qua stipula-
tio fieri possit demonstrabimus.

Quot sint conditionum species.

5 COnditionum multę sunt species, alię enim
sunt necessarię, alię impossibiles, & alię
possibiles.

Quæ dicantur conditiones necessariæ.

NEcessariæ conditiones dicuntur illæ, quæ
omnino euenturæ sunt, & ex ijs aliæ sunt
in

6 in quibus cõstat de die, veluti, si Sol cras oriatur, aliæ in quibus non constat, veluti, si Titius moriatur, licet enim certa sit mors l. publia, & ibi glo. ff. deposit. dies tamen incertus est l. 1. ff. de condit. & demonstrat.

Quæ dicantur impossibiles conditiones.

IMpossibiles conditiones dicuntur illæ, quæ existere non possunt, & hæ in triplici differentia sunt, nam aliæ natura impossibiles sunt, aliæ de iure, & aliæ de facto, natura, vt si quis dicat,
7 si digito cœlum attigeris, idem, si quis Patauij degens, dicat, hodie Romæ dare spódes, licet enim dare sit res possibilis natura, tamen intra tantillum temporis spatium dare, hoc omnino natura vetat §. loca infra eod. de iure, vt quæ sunt cõtra bonos mores, quando quidem ea nos tantum facere posse dicimur, quæ de iure possumus l. nepos. ff. eod. de facto, quæ nullo modo adimpleri possunt, propter maximam impotentiam, vt si seruo, qui nihil habet, concedam libertatem hac adiecta conditione, si mille aureos hæredi soluerit l. cum hæres. ff. de statu liberis, hoc enim ei facto omnino impossibilis est, cum nihil habeat vnde soluere possit.

Quæ dicatur possibilis conditio.

8 POssibilis conditio dicitur illa, quæ euenire, & non euenire potest, & hæc triplex est, casualis, potestatiua, & mixta: casualis appellatur illa, cuius euentus à casu, & fortuna pendet, veluti, si dicatur si Titius Consul erit, decem dabis, si nauis ex Asia venerit, & similia: potestatiua dicitur cuius euentus pendet ex voluntate alicuius, veluti, si dicatur hoc modo, si decem dedero fundum mihi dabis, vel si domum ædificabo, dabis mihi centum: mixta dicitur, quæ partim à fortuna, & partim ex alterius volútate pendet, vt si dicatur, si in patriam rediero decem dare spondes, hoc enim, & à fortuna, & à mea voluntate pendet.

Sub qua conditione stipulatio fieri possit.

EXplicatis varijs conditionum speciebus nunc sub qua códitione stipulatio ipsa fieri possit videamus, qua in re illud ante omnia sciendum est, sub conditione impossibili stipulationẽ fieri minime posse, vt si quis diceret promitto dare tibi centum, si hominẽ occideris, si parentes non alueris, si eos ab hostib. nõ redemeris l. si plagij. ff. de verb. oblig. & l. filius. ff. de cõdit. institution.
9 sub conditione verò necessaria, aut possibili, bene fieri potest, sed illud quod stipulatur, neque debetur, neque peti potest, antequam conditio extet §. sub conditione hoc tit. & l. cedere diem. ff. de verb. signific. & sic ex conditionali stipulatione spes tantum est debitum iri, quam etiam ad hæredes transmittimus §. ex conditionali hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Loca stipulationi inserta in tempus puram stipulationem differunt.*
2 *Cum stipulor id quod est in vtero, similiter stipulatio in tempus differtur.*
3 *Conditio ad præteritum, vel præsens tempus stipulationem non differt.*
4 *Etiam facta in stipulationem deduci possunt.*

§. Loca cum aliquot seqq.

QVia diximus supra ex pura stipulatione statim agi posse, declarat Imperator hic, hoc verum esse, nisi re ipsa, & mente cõtra-
1 hentium differatur in tempus, id quod contingit, quoties loca stipulationi inseruntur, vt si cũ Romę essem, ita stipulatus sim, Carthagini dare spõdes, in huiusmodi enim stipulatione tacitè tẽpus inest, quo Carthaginẽ perueniri possit §. loca hoc tit. & l. 73. ff. de verb. oblig. similiter differtur stipulatio in tẽpus, cùm stipulor mihi dari id quod
2 est in vtero, vel ędificari domum l. si ita stipulatus essem, & l. si insulam. ff. de verb. oblig. & quia diximus etiam, quòd conditio differt obligationem, intellige, & hoc verum, si sit conditio in futurum, secus si ad præsens, vel præteritum tempus, nam
3 tunc non differt obligationem, sed aut statim valet, aut non, exempli gratia, si dicatur, si Titius Consul fuit, vel si Meuius viuit dare spondes.

Prima ex ijs est in præteritũ, altera in præsens, ideo si Titius Cõsul fuit, dare debes, & si Meuius similiter viuit, pariter debes, & sic non differtur obligatio tex. est in §. conditiones hoc tit. aduertendum tamen est, quòd non solum in stipulatio-
4 nem res deducuntur, sed etiam facta, quo casu, & pœnam subijcere optimum est, quæ qualiter adhibeatur, docet Imperator hic in fin. tit. nostri.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Qui sint rei stipulandi.*
3 *Rei promittendi, qui dicantur.*
4 *Effectus obligationis duorum reorum.*
5 *Quid olim, & quid hodie in pluribus reis debendi obseruetur.*

DE DVOBVS REIS STIPVLANDI, & promittendi. Tit. XVII.

SVprà dictum est de stipulationibus, quæ inter singulos, nunc de ijs, quæ inter plures contrahuntur, videndum est, & sic ponitur tit.
1 iste de duobus reis stipulandi, & promittendi, cum quo concordat tit. ff. C. & Auth. de duobus reis stipulan. & promitten.

Qui

Qui rei stipulandi dicantur.

Rei stipulandi dicuntur illi, qui interrogant, & sibi dari stipulantur, exempli gratia, ego dico, promittis mihi decem aureos, & Sempro-
2 nius similiter dicit, decem aureos mihi dabis, in hoc casu, si tu respondeas, vtrique vestrum dare spondeo, illi, duo rei stipulandi dicuntur, quia ambo sibi dari stipulati sunt.

Qui dicantur rei promittendi.

Rei promittendi sunt, qui interrogati alteri date promittunt, exempli gratia, si dicam Meuio, centum aureos dare spondes, & Seio pa-
3 riter dicam, eadem centum promittis mihi, quæ à Meuio stipulatus sum, in hoc casu si Meuius separatim respondeat, qd' sic, & postea etiam Seius ipse de per se respōdeat, quod promittit, illi duo Meuius, & Caius duo rei promittendi dicuntur tex. est in §. 1. hoc tit. & in l. 2. C. eod.

Effectus obligationis duorum reorum.

Effectus obligationis duorum reorum is est, vt qui duobus reis stipulandi promittit, singulis in solidum obligatus manet, & singulis decem debet, semel tamen tantum ista decem de-
4 bet, & non amplius, ideo si promissor vni ex duobus reis stipulandi soluat, ab altero etiam liberatus censetur §. ex huiusmodi hoc tit. & l. 2. ff. eod. eodem modo cum duo rei promittendi decem promiserunt, singuli in solidum obligati manēt, & singuli decem debent, semel tantum, & ipsi, & non amplius, ideo si vnus ex eis decem soluerit, alter etiam liberatus remanet, hoc est, quod voluit Iustinianus in d. §. ex huiusmodi, dum dicit, & vel alter debitum accipiendo, vel alter soluendo omnium perimit obligationem, & omnes liberat, & hęc, quia olim erat in electione creditoris, quem ex pluribus reis debendi conuenire in solidum vellet, ita quod ab vno, & solo, totum petere poterat l. 1. C. eod. hodie tamen ex noua Iustiniani constitutione, de qua in Auth. de duo-
5 bus reis stipulandi, creditor non potest vnum solum conuenire, sed omnes simul, adeo quod quilibet pro sua rata tantum conueniri potest, exceptis tribus casibus notatis in d. Auth.

Primus est, quando reus esset absens.

Secundus, quando non esset soluendo.

Tertius, quando per partes huiusmodi beneficio renunciatum fuisset d. Auth. de duobus reis, illud omittendum nō est, quòd si ex duobus reis promittendi, vnus purè, alter in diem, vel sub conditione promiserit, nec conditio, nec dies impedimento est, quominus ab eo, qui purè obligatus est petatur §. fin. hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Serui ex persona domini ius stipulandi habent.*
3 *Filij stipulando patri acquirunt.*
4 *Seruus acquirit domino, quæ sunt iuris, & quæ sunt facti.*

DE STIPVLATIONES SERVORVM.
Titulus XVIII.

1 Dictum est, quomodo liberi stipulentur, nūc quemadmodum serui, & concordat tit. ff. de stipulat. seruor. non solum igitur liberi homines, sed etiam serui stipulari possunt, qui licet ex persona sua non habeant ius stipulandi, cum stipulatio sit contractus iuris ciuilis, & ipsi de iure ciuili pro nullis habeantur l. quod attinet. ff. de reg. iur. tamen ex persona domini, hoc habent,
2 non solum viuentis, sed etiam defuncti, quo casu hæreditati iacenti stipulantur, & acquirunt §. 1. hoc tit. & l. hæreditas. ff. de acquir. rer. domin. nec refert, an verba stipulationis concipiat seruus in personam domini, vel suam, aut cōserui sui, nam semper domino acquirit §. siue autem hoc tit. & l. siue mihi. ff. eodem, idem dicēdum est de liberis existētibus in patria potestate, vt scilicet, per sti-
3 pulationem patri acquirant, exceptis tamen casibus, in quibus filius patri non acquirit, de quibus supra in tit. per quas person. nobis acquiritur §. idem iuris hoc tit. illud omittendum non est, quòd seruus acquirit domino ea, quæ sunt iuris, nō autem ea, quæ sunt facti, vt si seruus stipuletur sibi ire agere licere, in hoc enim casu, ipse
4 solus potest ire, non autem dominus §. sed cum factum, & ibi glo. hoc tit. & si seruus sit communis duorum stipulando vnicuique dominorum pro portione dominij acquirit §. fin. hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quot sint stipulationum species.*
3 *Stipulationes iudiciales quæ nam dicantur.*
4 *Quæ stipulationes Prætoriæ dicantur.*
5 *Quæ sint conuentionales stipulationes.*
6 *Quæ sint communes.*

DE DIVISIONE STIPVLATIONVM.
Titulus XIX.

1 Postquam expositum est, quid nam sit stipulatio, & quam variè contrahatur, commodè nunc subijcitur stipulationum diuisio.

Quot sint stipulationum species.

Stipulationum variæ, & multæ sunt species, aliæ enim sunt iudiciales, aliæ Prætoriæ, aliæ conuen-

conuentionales,& aliȩ communes,tam Prętoriȩ,
quam iudiciales, ita Imperator hic in princ.tit.& Iurisconf.in l.5.ff.de verborum oblig.

Quæ sint iudiciales stipulationum.

IVdiciales stipulationes dicuntur omnes illæ, quæ à iure ciuili inuentæ sunt,& per officiũ iudicis viuentis exercentur vbicunque ei æquum visum fuerit,& sic vbicunque ęquitas suadet cautionem esse præstandam,quamuis simus in casu à lege non prouiso, iudex ex arbitrio a legib. sibi concesso, eam interponi facere poterit secundũ Castren.in d.l.5.ff.de verbor.oblig. exempli gratia, de dolo cautio est iudicialis stipulatio, quia cum agitur actione in rem,vel metus causa, aut ex stipulatu, iudex in restituenda re, de qua agitur caueri iubet,dolum malum abesse l.preterea, & l.si homo.ff.de rei vindicat.l.metum.§.item Iulianus,& §.ex hoc.ff.quod met.caus.sic iudicialis est stipulatio,cautio de persequendo seruum,qñ quis per metũ ab aliquo seruũ extorquet,qui postea aufugit,tenetur.n.metum inferens cauere de persequendo seruo,& si eum restituere non possit, de restituenda æstimatione §.1.hoc tit.

Quæ stipulationes prætoriæ dicantur.

PRætoriæ stipulationes dicuntur illæ,quę per Prętorem mortuum in suis edictis adinuentæ sunt,& per iudicem viuum exiguntur, ideo si eueniat casus super quo in edictis ab ipso Prætore prouisum sit, iudex iubere debet cautionem à iure Prætorio introductam, præstari debere,dicitur q. prætoria,etiam si à iudice interponatur,inspecta origine vnde ortum habet,vt est cautio de damno infecto, si enim ædes vicini mei ruinosæ essent, possum petere à iudice, vt aliquẽ mittat, q debeat inspicere, qualiter ædes vicini mei, ædibus meis ruinã minantur, & petere,vt ipse iudex faciat præstari cautionem ab ipso vicino de dãno infecto, vt si quid damni ædibus meis inferatur, resarcire teneatur tot.tit.ff.de damno infecto.

Quæ sint conuentionales stipulationes.

STipulationes conuentionales dicuntur illæ, quæ nec ex iure ciuili, nec prætorio introductæ sunt,sed ex conuentione partium ortum habent, quarum tot possunt esse genera, quot sunt contractus, cum in omnib. contractib. stipulatio interuenire possit §. conuentionales hoc tit.

Quæ communes dicantur.

COmmunes stipulationes sunt, quæ partim prætoriæ, & partim iudiciales sunt, exemplum habemus in cautione pupilli rem saluam fore,Prætor enim in datione tutorum introduxit hanc cautionem, vt per totum tit.ff.rem pupilli saluam fore,& ideo prætoria dicitur aliquando verò est iudicialis,vt cũ sunt plures tutores vnius pupilli,& alter alteri cautionem offert,hæc enim iudicialis cautio dicitur §.fin.hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio,& concordantes tituli.*
2 *Quæ res in stipulationem deduci possint.*
3 *Stipulatio multis modis vitiatur, & primo ratione rei, quæ propter impossibilitatem naturæ præstari non potest.*
4 *Vitiatur stipulatio etiam ratione rei, quæ propter impossibilitatem iuris præstari non potest.*
5 *Quomodo ratione promissionis vitietur stipulatio.*
6 *Stipulatio facta pro altero non valet.*
7 *Stipulatio ratione dissensus inducti ex diuersitate interrogationis,et respõsionis,qualiter vitietur.*
8 *Stipulatio inter patrem, & filium, item inter dominum, & seruum nulla est.*
9 *Stipulari non possunt,nec mutus,nec surdus,nec furiosus, nec pupillus.*
10 *Impossibilis conditio naturæ,vel iuris affirmatiuè adiecta, vitiat stipulationem.*
11 *Inter absentes stipulatio fieri non potest.*
12 *Multi sunt modi,quibus olim stipulatio non valebat,& hodie valet.*
13 *Ratione turpis causæ stipulatio non valet.*

DE INVTILIBVS STIPVLATIONIBVS.
Titulus XX.

HActenus dictũ est,quid sit stipulatio,quotuplex sit,& qualiter fiat,verum quia multis modis inutiliter fieri solet, quo casu nullius
1 valoris est,nec ex ea agi potest, ideo Imperator hunc titulum subijcit, qui habet concordantem tit. C.de inutilibus stipulát.

Quæ res in stipulationem deduci possint.

IN principio tituli nostri proponitur generalis conclusio ab Imperatore hic, quòd omnes
2 res, siue mobiles, siue immobiles, quæ dominio nostro subijci possunt, etiam in stipulationem deduci possunt.

Qualiter vitiatur stipulatio.

STipulatio multis, & varijs modis vitiari potest, & primò vitiatur stipulatio ratione rei, quæ propter impossibilitatẽ naturæ præstari non
3 potest,veluti,si stipuletur Hipocentaurus,aut homo mortuus, qui in rerum natura non sunt, nec esse possunt §.1.hoc tit.dixi,nec esse possunt,quia si possent esse in rerum natura,valeret stipulatio, vt si stipulentur fructus nasciturі in fundo l.inter stipulantem §.sacram. ff.de verb.oblig.

Secundò vitiatur stipulatio ratione rei, quæ propter impossibilitatem iuris præstari non potest,

test, vt sunt res sacræ, religiosę, & sanctę, Reipub. & liberi homines §. idem iuris hoc tit. qui quidē
4 liberi homines, etiam in euentum, quando serui erunt, stipulari non possunt §. item cōtra hoc tit. fortunam enim liberi hominis spectari, neque ciuile, neque naturale est l. inter stipulantem. §. sacram. ff. de verb. oblig. sic nec rem suam propriā, quis stipulari potest, cum res mea amplius mea fieri non possit d. §. idem iuris, & l. & an eandem §. actiones in fi. ff. de exceptio. rei iudic.

Tertiò vitiatur stipulatio ratione promissionis, vt cum quis promittit, rem, aut factum alterius, dicēdo, quòd ille dabit, vel faciet §. si quis alium
5 hoc tit. verum si promittat se facturum, & curaturum, quòd alius dabit valet quidem stipulatio, quia in hoc casu non alienum factum, sed suum proprium promittit d. §. si quis sic si quis stipuletur, vt sibi, aut alteri detur, similiter valet stipulatio §. planè solutio hoc tit.

6 Quarto vitiatur stipulatio, cum aliquis stipulatur pro altero cuius iuri subiectus non est, & sic sicut promissio alieni facti non valet eodem modo, nec stipulatio §. quòd si quis alij hoc tit. dixi cuius iuri subiectus non est, quia seruus pro Domino, & filius pro patre rectè stipulari possunt d. §. quòd si quis, illud aduertendum est, quod si quis stipuletur sibi, & extraneo copulatiuè, tunc sibi acquirit pro media parte, extraneo vero nihil d. §. quod si quis.

Quinto vitiatur stipulatio ratione dissensus inducti ex diuersitate interrogationis, & respōsionis §. præterea hoc tit. & l. fin. §. si quis. ff. eod. circa hoc tamen tres casus sunt considerandi, nam aut iste dissensus versatur circa qualitatem, aut circa speciem, aut circa quantitatem: primo casu nulla est stipulatio, nā si aliquis stipuletur, sub conditione, vel in diem, & alter respōdeat purè, vel è contra, non valet stipulatio, si tamen promissor simpliciter respondeat, promitto, valet, quia in his omnibus de quibus stipulator interrogauit, consensisse videtur d. §. præterea hoc tit.
7 Secundo casu, quando adest dissensus circa speciem, vt si quis stipuletur bouē, & alter promittat equum, similiter non valet stipulatio §. si de alia hoc tit. tertio casu, quando adest dissensus circa quantitatem, vt si stipulanti decem quis promittat quinque, aut è cōtra stipulanti quinque promittat decem, in hoc casu vitiatur quidem stipulatio, sed in eo tantum in quo non conueniunt, in reliquo valet, ideo si stipulor decem, & tu promittis quinque, valet stipulatio quoad illa quinque sic si præcessit interrogatio de minori summa, & sequitur responsio de maiori, non contrahitur obligatio vltra summā de qua præcessit interrogatio, ita intelligi debet tex. in d. §. præterea in primo exēplo, vt ibi etiam animaduertit glo.

Sexto vitiatur stipulatio, si contrahatur inter patrem, & filium, vel inter Dominum, & seruum, quia tunc idem est, ac si inter seipsum facta esset,
8 cum quicquid acquirit filius acquirat patri, & seruus Domino §. item inutilis hoc tit. differentia tamen est, inter filium, & seruum, quia seruus non solum Domino suo obligari non potest, sed nec etiam vlli alij, filius vero familias alij obligari potest d. §. item inutilis in fine.

Septimo stipulari non possunt, nec mutus, nec surdus, nec infans, cum in stipulatione verbis opus sit §. mutum hoc titu. nec furiosus cum non
9 intelligat quid agat §. furiosus hoc tit. idem, & de prodigo dicendum est, vt ibi glo. notat.

Octauo, nec pupillus quoad sui incommodum sine tutoris auctoritate, sed bene qui ad sui commodum alterum sibi obligatum facere potest §. pupillus hoc tit. nisi sit in potestate patris, quia si esset, nec ipso consentiente patre obligari posset §. sed quod diximus hoc tit.

Nono vitiatur propter impossibilem cōditionem naturæ, vel iuris adiectam affirmatiuè, veluti, si digito cęlum attigero dare spondes §. im-
10 possibilis hoc tit. ratio est, quia promittens sub conditione impossibili non videtur habere voluntatem se obligandi, ideo contractus tanquā consensu euacuatus, nullus est l. non solū. ff. de actio. & obligat. dixi affirmatiuè adiectam, quia si negatiue concepta sit, idem est, ac si pure concepta esset stipulatio d. §. impossibilis.

Decimo vitiatur stipulatio ratione absentiæ, quia inter absentes, nec per epistolam, nec per nuncium fieri potest §. item verborum hoc tit. &
11 ratio est, quia qui stipulationem contrahunt, se inuicem exaudire debent l. 1. ff. de verb. signific. & si in testamento dicatur negocium inter pręsentes actum fuisse, creditur instrumento, nisi per idoneos testes, alter probet, se, vel aduersarium suum, toto illo die, quo insttrumentum cōditum fuit, in alijs locis fuisse d. §. item verborum, & l. pen. C. de contrah. & committen. stipulat.

Stipulatio quæ olim valebat, qualiter hodie valeat.

Stipulatio olim post mortem stipulatoris, vel promissoris concepta non valebat, hodie tamen valet, & ad hæredes transit, & hoc siue facta sit mentio hæredum, siue non, quia quilibet sibi, & suis hæredibus prospicere intelligitur §. post mortem §. ita autem hoc tit. l. veteres. C. de contrah. stipulat. similiter olim præpostera stipulatio
12 non valebat, sed hodie ita valet, præpostera stipulatio dicitur, cum quis ita stipulatur, si nat[a] ex Asia venerit, hodie decem dare spondes dicitur enim prępostera, quia datio prior est conditione §. itē si quis hoc tit. debentur tamen decem, non statim, sed tunc cum existit conditio l. præposteri. C. de testam. & quia etiam diximus, quod creditur instrumento in quo scriptum est aliquē præsentem fuisse, nunc in §. si scriptura, docet, quòd si in instrumēto scriptum sit aliquem promisisse, perinde est, ac si interrogatione præcedente, respōsum esset, & si stipulator interroget de pluribus,

rebus, & promissor simpliciter respondeat, promitto, tunc in omnibus illis obligatur §.quoties plures hoc tit. & quia etiam dictum fuit, stipulationem non valere, si quis alteri stipuletur, nunc in §.alteri hoc tit. Imperator docet modū, quo alteri stipulari possimus, scilicet, si adijciamus pœnam nobis soluendam, & quia etiam diximus stipulationem rei suæ non valere, addit Imperator in §.item nemo hoc tit. non valere etiam qs si stipuletur rem alienā in casu quo sua erit, item potest quis stipulari pro altero, si sua intersit, vt si tutor, qui tutelę administrationem contutori suo cessit, petat cautionem rem pupilli saluam fore, vel quis procuratori, aut creditori suo dari stipuletur §.sed si quis, & §.ergo hoc tit.

Vndecimo, & vltimo vitiatur stipulatio ratione turpis causæ, vt si quis stipuletur, se homicidiū facturum §. quod turpi hoc tit. & si quis sub aliqua conditione stipulatus fuerit, licet ante conditionem decedat, hæres ipsius nihilominus petere potest §.cum quis hoc tit. & si quis hoc an-
3 no, aut mense dari stipulatus sit, non potest petere, nisi transacto anno, vel mense §. qui hoc anno hoc tit. illud pro complemento adnotādum est, quòd qui stipulatus est fundum, aut aliud cōtinuo agere non potest, nisi tantum spatium prǽterierit, quo traditio fieri possit §.fin. hoc tit.

SVMMARIVM.

Continuatio, & concordantes tituli.
Quis sit fideiussor.
In quibus rebus detur.
Qualiter obligari possit fideiussor.

DE FIDEIVSSORIBVS. Titulus XXI.

HActenus tractatum est de stipulationibus, & quia fideiussoria obligatio communiter per stipulationem fieri solet, ideo subijcitur titulus iste de fideiussoribus cum quo concordat titulus ff.de fideiussor. C.de fideiussor. & Auth. de fideiussor.

Quid sit fideiussor.

FIdeiussor secundum Imperator. in principio tituli nostri, est ille, qui pro eo, qui promittit obligatur, & qui ideo accipitur, vt melius nobis cautum sit.

In quibus rebus detur fideiussor.

DAri potest fideiussor non solum in verborum obligationibus, sed etiam in omnibus alijs contractibus, siue re, siue literis, siue consensu contrahantur §.in omnibus hoc tit. & l.1.ff.eodem, dummodo adsit aliqua obligatio, vel ciuilis, vel naturalis d.§. in omnibus, ideo &

Thadæi Pisonis Comment.

pro seruo fideiussor intercedere potest, cum seruus naturaliter obligetur d.§.in omnibus, & non solum fideiussor ipse obligatus remanet in casu quo pro alio fideiubet, sed etiam eius hæredes §. fideiussor hoc tit. nec refert an præcedat, vel sequatur obligationem ipse fideiussor, vt ibidem Iustinianus tradit, item an confestim, vel ex interuallo adhibeatur l.amissi §.penult. ff.eod. & si plures sint fideiussores, qui pro aliquo interuenerint, singuli in solidum tenentur §.si plures hoc tit. ex epistola tamen D.Hadriani compelli potest creditor à singulis partem petere l.inter fideiussores ff. eod. verum bene est, quòd si vnus ex pluribus fideiussoribus non opponat huiusmodi exceptionem de epistola D.Hadriani, & soluat totum debitum, non potest amplius id quod soluit ab ipso creditore repetere, quia cum quilibet ipso iure insolidum sit obligatus, sibi imputare debet, quod huiusmodi beneficio vsus nō sit d.§. si plures, sed solum alios suos cōfideiussores pro rata, & portione, quæ eis competit, conuenire debet l.vt fideiussor.ff.eod.

Qualiter obligari possit fideiussor.

FIdeiussor non potest obligari in plus, quàm ipse principalis §. fideiussores hoc tit. quatuorque modis quis in plus obligari dicitur.s.re,
4 tempore, loco, & causa §.non solum hoc tit. & §. plus autem intra de action. & si fideiussor pro principali soluat, omne id quod soluit, ab ipso principali repetere, & recuperare potest §. si qd autem hoc tit. illud demum nos admonet Imperator hic in fine tituli, quòd si quis scripserit se fideiussisse, absque alio valet fideiussio, quia omnia etiam solenniter facta censentur.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit literarum obligatio.*
3 *Quæ requirantur ad hoc vt contrahatur.*
4 *Quæ obligatio oriatur, ex ea.*
5 *Quæ actio detur.*

DE LITERARVM OBLIGATIONIBVS. Titulus XXII.

DIctum fuit supra in tit. de obligationibus, quatuor esse obligationum species, expeditis igitur duabus prioribus, quæ re, scilicet, & verbis contrahuntur, rectè nunc sequitur tertia
1 species, quæ literis contrahitur, & sic titulus de literarum obligationibus incipit, cum quo concordat tit.C.de non numer.pecunia.

Quid sit literarum obligatio.

LIterarum obligatio est contractus, quo quis sub spe futuræ numerationis, scripto, & li-

S teris

teris confitetur, se ex causa mutui certam pecu-
2 niæ summam accepisse, cum tamen in rei veritate nihil acceperit l. si quasi, & l. si ex cautione. C. de non numerata pecunia.

Quæ requirantur ad substantiam huius contractus.

PRimo, & principaliter requiritur, quòd confessio ex causa mutui facta sit, quia si ex alia causa, puta, venditionis, depositi, aut similium, non pareret hanc literarum obligationem, & consequenter nec etiam exceptionem non nu-
3 meratæ pecuniæ, sed tantum faceret probationē obligationis ex ea causa contractæ l. aduersus, & l. generaliter. C. de non nume. pecun. & ratio specialitatis in causa mutui est, quia homines anxietate consequendi pecuniam ducti, facilius inclinare solent ad confitendum in hoc contractu, quàm in alijs, si quidem indigens pecunia, non semel tantum, sed millies etiam, modo esset spes consequendæ pecuniæ, confessionem cōficeret.

Secundo requiritur etiam, quòd confessio ob spem futuræ numerationis facta sit l. qui pecuniā versic. accepturus. ff. si cert. pet. quia si numeratio confessionem ipsam præcederet, aut in ipsa confessione interueniret, non hæc literarum obligatio, sed verum, & naturale mutuum contraheretur, vt Alciatus notat in d. l. qui pecuniam.

Tertio requiritur scriptura §. 1. hoc tit. ibi scriptura obligatur, & ideo etiam literarum obligatio dicitur, huiusmodi contractus, quia literis cōtrahitur, idque speciale est in hoc contractu, cum regulariter scriptura non sit de substantia contractus, sed facilioris probationis causa, non obligationis contrahendæ exigatur l. contractus ff. de pignorib. l. pactum, qui bona fide. C. de pact.

Quæ obligatio oriatur ex hoc contractu.

ORitur ex contractu literarum ciuilis obligatio tantùm propter authoritatem iuris ciuilis secundum glo. hic naturalis autem non oritur, cum desit consensus, scribens enim eate-
4 nus soluit se obligare, quatenus sibi pecunia numeretur, nec naturalis æquitas suadet, vt restituatur id, quod nunquam acceptum est, & hoc intelligite ante biennium, nam post biennium ex præsumptione iuris oritur, & ciuilis, & naturalis, quo fit, vt ante biennium actio sit inefficax aduersus confitentem opposita exceptione non numeratæ pecuniæ l. si ex cautione, & l. in contractibus. C. de non numerat. pecun. post biennium verò è contra fit efficax nimirum cessante exceptione nō numeratæ pecuniæ, propter præsumptionem numerationis intra biennium factæ d. l. in contractibus.

Quæ actio detur ex hoc contractu.

EX literarum obligatione oritur actio, quæ dicitur condictio ex lege tex. est hic in §. 1. iuncta glo. & in l. 1. vbi Bart. ff. de condict. ex lege, hæc tamen actio intra bienninm per exceptionē non numeratæ pecuniæ eliditur, quæ quidem exceptio onus probandi in creditorem transfert, vt docere debeat, re vera pecuniam numeratā fuisse l. ex cautione. C. de non numer. pecun. cęterum si biennium iam effluxerit, non habet amplius locum hæc exceptio, cum non sit verisimile, debitorem tam negligentem fuisse, vt intra biennium pecuniam non exegerit, aut certè chirographum a se datum non reperierit, si pecunia numerata non fuisset §. 1. & 2. hoc tit. & l. in contractib. C. de non numer. pecun. aduertendum tamen est, quòd per hoc non tollitur, quin etiam post biennium huiusmodi exceptio opponi possit, sed differentia hæc est, quòd ante biennium creditor tenetur probare pecuniam fuisse numeratam, nō obstante confessione, at post biennium debitor probare debet, non fuisse numeratam d. l. si ex cautione. C. de non numer. pecunia.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quot sint contractus qui solo consensu fiunt.*
3 *Differentia inter contractus qui solo consensu contrahuntur, & alios qui re, verbis, & literis constant.*

DE OBLIGATIONIBVS EX CONSENSV. Titulus XXIII.

1 EXpeditis contractibus qui re, verbis, & literis contrahuntur, sequitur nunc quarta species eorum, qui solo consensu fiunt.

Quot sint contractus qui solo consensu fiunt.

2 QVatuor sunt contractus, qui solo consensu constant, scilicet, emptio, & venditio, locatio, & conductio, societas, & mandatum, tex. est hic in principio tituli, ideo autem hi contractus consensu fieri dicuntur, non quia in alijs consensus interuenire non debeat, quandoquidē in omni contractu semper consensus adesse debet, vt glo. & Doctor. tradunt in l. 1. ff. de pact. sed quia in ijs solus cōsensus obligationem, & actionem parit § ideo autem hoc titulo, quod in alijs contractibus non obtinet, in quibus vltra consensum, aut interuentus rei requiritur, vt in mutuo, & alijs, qui re contrahuntur, aut præsentia, & solemnia verba, vt in stipulatione, aut scriptura, vt
3 in literarum obligatione dict. §. ideo autem, & sic hæc est prima differentia, per quam hic contractus ab alijs secernitur, differt etiam, quia in alijs supra

supra enumeratis, principaliter obligatur vnus tantum, vt in mutuo mutuatarius, in stipulatione promissor. in ijs autem vterque alteri obligatur §. fin. hoc tit. ité in stipulatione, & alijs contractib. stricti iuris, nihil venit, nisi de quo actum est, vt in ijs, qui consensu fiunt, cum maximè sint bonæ fidei ex æquo, & bono multa præstantur de quibus expresse conuentum non est d. §. fin. & l. consensu in fine. ff. de action. & obligation.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Emptionis, & venditionis origo.*
3 *Quid sit emptio, & venditio.*
4 *Qualiter celebrari soleat.*

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE. Titulus XXIV.

In principium tit. & aliquot §§. sequentes.

1 INter contractus, qui consensu contrahuntur supra ab Imperatore, primo loco proposita fuit emptio, & venditio, ideo inchoat etiam primo loco titulum de emptione, & venditione cum quo concordat titulus ff. & C. de contrahenda emptione, & venditione.

Origo emptionis, & venditionis.

ORiginem istius cótractus explicat iuris cósultus in l. 1. ff. de contrahenda emptione,
2 & venditione, olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium, sed vnusquisq; secundum necessitatem temporum, & rerum, rem rebus permutabat, cum plerumque eueniret soleat, vt quod alteri superest, alteri desit, sed quia non semper neque facile concurrebat, vt tu haberes quod ego desiderarem, ideo electa materia fuit, cuius publica, ac perpetua æstimatione difficultatibus permutationum subueniretur.

Quid sit emptio, & venditio.

3 EMptio, & venditio est contractus nominatus bonæ fidei consensu initus, in quo emptor venditori ad dandum pretium in pecunia numerata obligatur, & vicissim venditor ipsi emptori ad tradendum mercem tenetur, vt per totum hunc titulum nostrum.

Qualiter emptio, & venditio celebrari soleat.

EMptio, & venditio, dupliciter celebrari solet secundum Imperatorem hic in §. 1. hoc tit.
4 scilicet, sine scriptis, & in scriptis, sine scriptis celebrata dicitur cum partes inter se contrahunt nullius scripturæ métione facta, quo casu statim, atque de pretio, & merce constiterit, licet nec traditio rei, nec pretij, nec arrharum interuenerit, perfecta nihilominus est, adeo vt in ea amplius pœnitentiæ locus non sit §. 1. hoc tit. l. sicut. C. de actionib. & obligationib. in scriptis vero celebrari emptio, & venditio dicitur, cum in ea expresse de scriptura conficienda cauetur, id quod sæpè inter formidolosos obseruari, qui contrahendo metuunt, ne verbis decipiantur, affirmat Faber hic, quo casu nondum absoluta scriptura non valet emptio, sed pœnitentiæ locus est, & impune à contractu recedere licet, dummodo aliquid arrharum nomine datum non sit, nam tunc emptor si recedat perdit arrhas, quas dedit, venditor vero duplicatas emptori restituere cogitur §. 1. §. donec enim hoc tit. l. contractus. C. de fide instrumentorum, absoluta autem esse intelligitur scriptura quoties fuerit à contrahentibus scripta, vel subscripta d. §. 1. & si per notarium cóficiatur omnib. partib. absoluta esse intelligitur, si cóplementum habuerit d. §. 1. item emptio, & véditio purè, & conditionaliter celebrari potest, pura est quæ simpliciter sine adiectione códitionis contrahitur, conditionalis cum adijcitur conditio, veluti, si iste equus infra octo dies tibi placuerit, sit tibi emptus denarijs decem §. emptio hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Tria sunt substantialia huius contractus.*
2 *Res qualiter necessaria sit in emptione, & venditione.*
3 *Pretium debet esse certum, & in pecunia numerata consistere.*
4 *Consensus adeo necessarius vt sine eo emptio consistere non possit.*

§. Pretium cum duobus seqq.

Quæ requirantur ad emptionem, & venditionem.

1 TRia sunt substantialia huius contractus emptionis, & venditionis, scilicet, res, pretium, & consensus.
2 Primo necessaria est res quæ venditur, sine qua tanquam sine materia, nec emptio, nec venditio consistere potest l. nec emptio. ff. eodem, rei nomine, spem, fructus futuros, & partum cóplectimur l. si iactum retis ff. de action. emption. l. spem. C. de donat.

Secundo necessarium est pretium §. pretium hoc tit. & l. 2. ff. eod. quod pretium, certum esse debet d. §. pretium, an autem pretium sit certú, si in alterius arbitrium conferatur, dicendum est, quod sic, si ille tertius sit certus, & specifice nominatus d. §. pretium vbi glo. in verbo nominatus, & l. fin. C. eod. & hoc casu venditio non dicitur pura, sed conditionalis, veluti, si Titius fuerit arbitratus, vnde si pretium definierit, perfecta est emptio, emptorique datur actio empti, & venditori

actio venditi, sed si nō declaret pretium, aut quia noluit, aut quia non potuit, venditio nulla est, vtputa conditione non extante d.§. pretium in fine, & d.l.fin. C.eod. item pretium in pecunia
3 numerata consistere debet §. item pretium hoc titulo, & hoc non, vt emptio irrita fiat, si pretium non numeretur, hoc enim est falsum cum non pretij numeratio, sed cōuentio perficiat emptionem, & venditionem l.2.ff.eodem, sed ad hoc, vt differat à permutatione, in qua res pro re datur d.§.item pretium hoc tit.
4 Tertio necessarius est consensus, sine quo contractus iste consistere non posset §.1. hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Ad quem spectet periculum, & commodum rei vendita.*
2 *Perfecta venditione, & commodum, & incommodum ad emptorem pertinet.*
3 *Fallit in nonnullis casibus.*

§. Cum autem emptio, & §. sed & si post.

Ad quem spectet periculum, & commodum rei vendita.

1 CVm hoc §. conuenit tit. ff. & C. de pericul. & commod. rei venditæ, sæpissimè enim queri solet, si res vendita perierit, aut deterior facta fuerit post cōtractam venditionem quis sustineat periculum venditor, an emptor, ideo Imperator hic in §. cum autem, ponit regulam quod perfecta venditione tam commodum, quam incom-
2 modum rei venditæ pertinet ad emptorem, etiā si res tradita non sit, nec pretium solutum, dummodo sine culpa, aut dolo venditoris contingat d.§. cum autem hoc tit. l. necessario. ff. eod. & l. 1. C. eodem, item dummodo venditor in se custodiam non receperit vsque ad traditionem, nam tunc periculum ad venditorem spectat, si culpa
3 etiam leui incommodum sequutum sit, secus tamen si casu fortuito, de ipso enim non tenetur nisi etiam casum fortuitum in se susceperit glo. & Doct. hic post tex. in §. sed & si.

SVMMARIVM.

1 *Ante traditionē ille qui rē emit Dominus nō est.*
2 *Rei vindicatio non datur nisi Domino.*
3 *Venditor tenetur cedere emptori suas actiones, si res empta ante traditionē furto subtracta fuerit.*

§. Vtique tamen.

1 QVoniam, qui rem emit ante traditionem Dominus non est iuxta tex. in l. 2. traditionibus. C. de pact. ideo si interim res empta furto subtrahatur sine dolo, & culpa venditoris, non potest eam vindicare neque condicere, cum vindi-
2 catio non detur nisi Domino l. in rem. ff. de rei
3 vindic. & similiter condictio l. 1. ff. de condict. furtiua, propterea isto casu venditor tenetur cedere emptori rei vindicationem, & condictionem furtiuam §. vtique tamen hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Omnes res vendi possunt nisi à lege expresse sint prohibita.*
2 *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi imputare debet.*

§. Fin.

Quæ res vendi nōn possint.

EXtat hac de re titulus C. quæ res vendi non possunt, dicamus ergo omnes res mobiles, & immobiles siue sint propriæ, siue alienæ l. rem
1 alienam. ff. eod. regulariter vendi possunt, nisi expressè à lege sint prohibitæ, vt sunt res quæ non sunt in commercio hominum, sacræ, religiosæ, sā-ctæ, & publicæ §. fin. hoc tit. item liberi homines d.§. fin. & l. liberi hominis. ff. eod. adeo quod emēs ignoranter rem, quæ non est in commercio hominum potest agere contra venditorem ad interesse d.§. fin. & l. qui officij. ff. eod. secus si sciens emerit, nam tunc ei dici potest damnum quod
2 tua culpa sentis tibi ipsi, & non alijs imputare debes cap. damnum de regulis iuris in sexto.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit locatio.*
3 *Quæ requirantur ad eam.*
4 *In quibus conueniant emptio, & conductio.*

DE LOCATIONE, & conductione. Tit. XXV.

CVm in tit. præcedenti de emptione, & venditione dictū sit, nunc de locatione, & con-
1 ductione, quæ ad eius similitudinem contrahitur subijcit Imperator, & cōcordat tit. ff. & C. locati, & in iure Canonico etiam de locato, & cōducto.

Quid sit locatio.

LOcatio est contractus nominatus bonę fidei, in quo res, siue mobilis, siue immobilis, aut
2 persona pro certa mercede in numerata pecunia conductori ad certum tempus vtenda cōceditur.

Quæ requirantur ad locationem, & conductionem.

TRia sunt substantialia huius contractus, primo consensus l. 1. ff. eodem, secundo mer-
3 ces, siue pensio l. 2. ff. eodē, nam si sine mercede alicuius

alicuius rei ad certum vsum fieret concessio esset commodatum, vt supra suo loco diximus, tertio res quæ locatur l. ex conducto ff. eod.

In quibus casibus conueniant emptio, & conductio.

IN principio huius tit. Imperator ex Caio iuris Consulto in l. 1. ff. eod. docet locationem, conductionem proximam esse emptioni, & venditioni iisdemq. iuris regulis cōsistere sicut enim emptio, ita locatio consensu contrahitur, vt hic in princ. tit. & in l. 1. ff. eod.

Secundo, sicut in emptione necesse est constet de pretio, ita in locatione, textus est hic, & in l. 2. ff. eodem.

Tertio, sicut in emptione, & venditione pretium debet esse certum, nec valet emptio hoc modo facto quanti Titius arbitratus fuerit, Titio pretium non definiente, ita in locatione, & conductione certa merces constitui debet, nec valet locatio mercede in arbitrium Titij collata, Titio mercedem non statuente, vt hic, & in §. pretium
4 supra de emptione, & venditione, & in l. fin. C. de contrahenda emptione, inde cōsequenter sequitur locationem, & conductionem non esse si fulloni polienda curandave, aut sarcinatori sarcienda vestimenta dedi nulla mercede cōstituta, sed postea eam mercedem daturus, de qua inter nos conuenerit, sed contractum innominatum Do, vt facias, ideo non actione locati, sed præscriptis verbis tunc agitur, vt hic.

Quarto sicut in emptione pretium in pecunia numerata consistere debet, ita in locatione merces §. 1. hoc tit. & l. 1. §. si quis seruum ff. depositi, si enim in specie constitueretur, non esset locatio, sed contractus innominatus facio, vt facias, ideo non actio locati, sed præscriptis verbis competit d. §. 1. & l. si gratuitam. §. si cum virum. ff. de præscriptis verbis.

SVMMARIVM.

1 *Locatio duplex est.*
2 *Emphyteusis quid.*
3 *Differentia inter locationem, & emphyteusim.*
4 *Qualiter emphyteusis celebrari possit.*
5 *Quotuplex sit emphyteusis.*
6 *Ad quem spectet periculum rei emphyteuticæ.*
7 *Ex quibus causis emphyteuta priuari possit.*

Quotuplex sit locatio.

1 LOcatio duplex est, temporalis, quæ fit ad certum tempus, & perpetua, seu ad longū tempus, quæ in aliud nomen transit, & emphyteusis dicitur, de qua extat tit. in C. de iure em-
2 phyteutico, definiturq. quod sit locatio rei immobilis facta in perpetuum pro annua pensione, ea lege, vt quādiu pensio soluatur non possit auferri ab emphyteuta l. 1. ff. si ager vectigalis, vel emphyteuticarius petatur, & dicitur emphyteusis melioratio, quia ab initio tantū steriles agri concedebantur colonis, vt eos colerent, & redderent meliores, & fertiles, & inde quotannis pensionē soluerent, hodie autem non tantum steriles, sed etiam fertiles agri dātur in emphyteusim, vt glo. hic tradit, & sic differt à locatione emphyteusis.
3 Primò, quia locatio etiam rei mobilis fieri potest, sed emphyteusis tantummodo immobilis.

Secundò dominium rei locatæ non transfertur in conductorem l. non solet. ff. eod. sed in emphyteusi vtile dominium transfertur in emphyteutā l. 1. & ibi glo. & Doct. ff. si ager vectigalis.

Tertio in locatione pensio constitui debet in pecunia numerata, sed in emphyteusi etiam in specie, vel quantitate veluti vino, vel frumento, pensio constitui potest secundum glo. hic.

Qualiter emphyteusis celebrari possit.

EMphyteusis tripliciter celebrari potest secundum glo. hic in verbo auferre.
4 Primò ad certum tempus, veluti ad decē annos. Secundò in tertiam, vel quartam generationem. Tertiò in perpetuum, vt quandiu pensio soluitur, non possit auferri ab emphyteuta, nec eius hæredibus, vt hic in principio §. nostri.

Quotuplex sit emphyteusis.

EMphyteusis duplex est, secundum Ostiensē in sua summa extra locati, priuata quando aliquis priuatus, & laicus cōcedit rem propriam
5 in emphyteusim, & ecclesiastica, quā do res ecclesiastica immobilis cum causæ cognitione emphyteuticatur, vt notatur i Auth. si quas ruinas. C. de sacrosanctis ecclesijs, & in c. potuit extra locati.

Ad quem spectet periculum rei emphyteuticæ.

AVt conuentum est, cuius debeat esse periculum, & stabitur pacto, aut non est conuen-
6 tum, & tunc si tota res perit, domino perit, si vero particulare est damnum ad ipsum emphyteuta spectat §. adeo autem in fine hoc tit.

Ex quibus causis emphyteuta priuari possit.

SI emphyteusis est ecclesiastica non soluens canonem infra biennium amittit eam cap.
7 potuit de locato, & conducto, si verò est priuata, cessans soluere per triennium priuatur l. 2. C. de iure emphyteutico.

SVMMARIVM.

1 *Differentia inter venditionem, & locationem.*

§. Item quæritur.

Ponitur hic differentia inter venditionem, & locationem, quoniam si res fabricatur ex materia artificis, & soluitur pretium in pecunia numerata est vēditio, si verò ex materia perētis, & soluitur merces dicit locatio l.2.§.adeo.ff.eod.

SVMMARIVM.

1 *Pacta, & quæ de natura contractus sunt, semper seruari debent.*
2 *Quid præstetur in hoc contractu locationis, & conductionis.*
3 *An conductio ad hæredes transeat.*

§. Fin.

In hoc contractu sunt seruanda pacta, & omnia alia, quæ veniunt ex natura contractus,
1 est enim bonæ fidei, in quo venit omne id quod æquum, & bonum est, licet expressum non fuerit §.fin.hoc tit. & l.præses.C.eod.

Quid præstetur in hoc contractu.

Ex natura huius contractus præstatur dolus, lata, & leuis culpa l.in iudicio.C.eod. non autem leuissima cum vtriusq. gratia celebretur ex regula l.si vt certo §.nunc videndum. ff.com-
2 modat. propterea verbum illud, diligentissimus positum in textu nostro, pro diligenti exponi debet, nec rarò accidit hoc, vt superlatiuus positiui significationem referat, vt Alciat. tradit in l.proximus.ff.de verb.signific. vnde, & multo magis de casu fortuito teneri nō debet, vt habemus etiam hic in textu nostro, id enim in omnibus contractibus regulare est, vt fortuitus casus non prçstetur l.si fundus.ff.cod.l.1. ff.deposit.

An conductio ad hæredes transeat.

3 Morte conductoris locationis contractus non finitur, sed hæres succedit, & hoc siue locatio temporalis, siue perpetua sit d.§.fin, hoc tit. & l.viam veritatis. C.eod.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit societas.*
3 *Quotuplex sit.*
4 *Inter socios lucrum, & damnum quale esse debeat.*

DE SOCIETATE.
Titulus XXVI.

In principium tituli, & aliquot §§.sequentes.

Tertio loco inter contractus, qui solo consensu fiunt, superius in tit. de obligat. ex consensu, societas posita fuit, ideo cum iam de emption. & vendit. location. & conduct. dictum
1 sit, rectè sequitur nunc de societate, & concordat tit. ff. & C. pro socio.

Quid sit societas.

Societas secundum glo. in rubr.tit. nostri, est conuentio duorū plurium ve honeste ad vbe-
2 riorē quæstum, & cōmodiorem vsum contracta.

Quotuplex sit societas.

Societas quadruplex est, prima est omnium bonorum §.1.hoc tit. in qua communicantur omnia bona, quæ tempore societatis à socijs possidentur l.1.ff.eodem, quorum dominium, & possessio statim ipso iure transit de vno in alium pro æqualibus portionibus, & absque aliqua traditione l.2.ff.eod. indeque communia etiam efficiuntur omnia bona, quæ quocunque modo acquiruntur tam ex industria, quam à fortuna, tam
3 ex contractibus, quam vltimis voluntatibus l.3. §.1.ff.eod. dummodo sint quęsita ex honesta causa, secus si ex inhonesta, delictorum enim turpis, & fœda est communio l. quod autem cum quatuor sequentibus. ff.eodem.

Secunda est societas simplex, quando simpliciter facimus societatem non expresso certo genere negotiationis, nec etiam omnium bonorū, & tunc talis societas intelligitur contracta tantummodo respectu eius, quod ex quæstu, seu opera personali non ex fortuna, & vltimis voluntatibus acquiritur l.coire cum sex legibus sequētibus.ff.eodem.

Tertia est societas vnius rei tantum, vt in vno equo emendo l.societas. ff.eod.

Quarta est societas alicuius specialis negotiationis, vt vini, frumenti, lanæ, & similium, & in hac societate communicanda sunt omnia, quę ex illa negotiatione veniunt, aliunde autem quæsita non communicantur §.1. hoc tit.l. cum duobus §.fin. ff.eodem.

Inter socios lucrum, & damnum quale esse debeat.

Si inter socios expressa conuentio facta non sit de partibus lucri, & damni, tunc omne lucrum, & damnum æquale debet esse inter ipsos §.1.hoc tit.l.si non fuerint l.plane, & l.cum duobus §.damna in fine ff.eodem, sed si inter socios conuentum sit, vt plus lucri, vel damni sentiat alter, ita quod ad vnum duæ partes lucri, & vna
4 damni pertineat, conuentio illa obseruari debet d.§.1.in fine hoc tit.& l.si non fuerint.ff.eodem, quod est verum quando quis etiam plus rei, vel operæ contulit, aliàs non valeret conuentio d.l. si non fuerint, similiter si conuentum sit, vt ad vnum lucri duæ partes pertineant, & damni tertia, ad alium damni duæ partes, & lucri, tertia,

valet

valet conuentio §.de illa hoc tit.nec mirum cum quorundam,ita preciosa opera fit, vt eos iustum sit conditione meliori in societatem admitti,immo valet societas, vt alter pecuniam conferat, alter non, & tamen lucrum commune sit, cum sæpe opera alicuius pro pecunia valeat §. seruus hoc tit. similiter conueniri potest, vt alter sociorum totum damnum sustineat, alter verò nihil de damno sentiat, & partem lucri habeat, quod tamen est intelligendum hoc pacto,vt si aliqua in re lucrum, in alia damnum allatum sit, compensatione facta lucri, & damni, solum quod superest, intelligatur lucri esse deducto, scilicet, omni damno d.§.seruius in fine, & l.mutius.ff. eodem, verum si inter partes conuentum sit de altero tantum, veluti de lucro, ita quod de altero damno, scilicet, mentio nulla facta sit, aut è contra, conuentio de vno facta intelligitur etiam de alio,ita vt pars,quæ in lucro expressa est, eadem,& in damno adiecta esse censeatur,& è contra §.illud hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatione soluitur societas.*
2 *Renunciatio malitiosè facta non valet.*
3 *Societas morte finitur.*
4 *Finito negocio cuius causa contracta est societas, finitur, & ipsa.*
5 *Publicatione bonorum soluitur societas.*
6 *Item & bonorum cessione.*

§.Manet autem.

Quot modis dissoluatur societas.

Finitur societas primo loco renunciatione, sicut enim consensu contrahitur,ita dissensu
1 soluitur §.manet autem hoc tit. l.actione §.diximus ff.eod. quæstaq. post renunciationem,non sunt amplius communia, sed acquirentis, vt hic in fine §.nostri,& in d.l.actione §.diximus,dummodo bona fide renunciatio facta sit,nam si cal-
2 lide, & malitiosè quis renunciaret societati, vt hæreditatem solus lucrifaceret,non valet renunciatio quoad damnum alterius, sed solum valet quoad damnum renunciantis, ita quod hanc patitur pœnam,vt omne damnum inde secutum, sit ipsius renunciantis, commodum vero inde perceptum sit commune, omneq. lucrum quod acquirit ille,cui societas renūciata est,suum proprium facit,damnum vero commune d.§.manet autem hoc tit. & d.l.actione §.diximus, & l. sed & socius.§.si absenti.ff.eodem.

3 Secundo, soluitur societas morte vnius ex socijs, etiam si plures sint, nisi conuenerint, quod vno decedente societas inter superstites duret §. soluitur hoc tit.l.actione §.morte.ff.eodem.

4 Tertio, soluitur finito negotio cuius causa contracta est societas §.item alicuius hoc tit.

Quarto, publicatione bonorum, quando scilicet bona ob delictum confiscatur, tunc enim,
5 quia fiscus in eius locum succedit, habetur pro mortuo ciuiliter, & societas soluitur d.§.item si alicuius hoc tit. & d.l.actione.§.publicat. ff.eod.

Quinto finitur cessione bonorum, quando socius ære alieno grauatus cedit bonis d.§.item si
6 alicuius,& cessio bonorum prodest ad hoc, ne cedens bonis in carcerem detrudatur l.1. C. de cessione bonorum,non quod à debito liberetur, ideo si peruenerit ad pinguiorem fortunam creditoribus satisfacere cogitur, vt notatur per tex. in cap.Odoardus extra de solutionibus.

Sexto finitur, si res, in qua societas contracta est perimitur l.verum.§.penult.ff.eod.

SVMMARIVM.

1 *Socius socio tenetur de dolo, lata, & leui culpa tantum.*
2 *Quando inter socios damni, & lucri compensatio non fiat.*

§.Fin.

Ad quid socius socio teneatur.

Socius socio, de dolo, lata, & leui culpa non autem leuissima, & multo minus de casu
1 fortuito tenetur,sufficit igitur, vt adhibeat talem diligentiam socius in rebus omnibus, qualem in rebus suis adhibere solitus est, si aliquid igitur perit casu fortuito, aut leuissima culpa socij, in commune perit, sibi enim imputare debet, qui parum diligentem socium sibi assumit tex. est in §.final. hoc tit. sed si dolo,aut culpa lata,vel leui damnum contingat, tūc ipse solus, cuius culpa, vel dolo accidit, illud ferre cogitur, nec in commune petit d.§.fin.& l.non ob eam eum l.seq. & l.cum duobus §.1.& l.socius.ff.eod. sicq. si vnus facit lucrum in vna re,& in alia ipsius culpa dam-
2 num contingat, non fit compensatio lucri, & damni d.l.non ob eam.ff.eod.cum l.seq.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit mandatum.*
3 *Qualiter contrahatur.*
4 *Quot modis fiat.*
5 *Quibus verbis.*

DE MANDATO. Titulus XXVII.

In principium tit.& aliquot §§.sequentes.

Quatuor contractus, qui consensu contrahuntur, superius ab Imperatore nostro
1 enumerati fuerunt, vnde cū iam de tribus actum sit, rectè sequitur nunc, vt de quarto, & vltimo videa-

videamus, & sic de mandato cum quo concordat tit. ff. & C. mandat.

Quid sit mandatum.

MAndatum est contractus, quo quis officii honestum, & lege permissum gratuito,
2 tacite, aut expresse exequendum suscipit, dico officium, quia hic contractus est beneuolentiæ, quam reddit amicus amico, originem ab officio, & amicitia trahens l. 1. C. mãdat. diui honestum, quia in rebus inhonestis, & turpibus mandatum obligatorium non est §. illud quoque hoc tit. addidi, & lege permissum, quia quamuis mandatum esset honestum, tamen si cõtra non valeret, exempli gratia, si quis mandet filiofamilias mutuo pecuniam dari, inutile mandatum erit, repugnante Senatusconsf. Macedoniano, adieci gratuito, quia si interuenitet merces, non mandatum, sed operarum locatio esset §. fin. hoc tit. & ratio quare gratuitum esse debeat, ea est, quia hic contractus potissimum inter amicos fieri solet, cuius amicitiæ violatio maxima esset, si merces pro officio acciperetur, verum bene est, quod non definit esse mandatum, si remunerationis gratia aliquid accipiatur l. si remunerandi. ff. eod. apposui demum in definitione, verba illa, tacitè, aut expresse, quia non solum expressis verbis, sed etiam tacitè mandatum contrahitur, veluti, cum quis præsens patitur alterum negotia sua gerere, nam etiam tunc mandare videtur l. si vero §. si passus. ff. eodem.

Mandatum qualiter contrahatur.

3 MAndatum contrahi potest, vt iam vidimus expresse, & tacitè, item purè, in diem, & sub conditione §. mandatum el 2. hoc tit. & l. 1. §. penult. ff. eodem.

Mandatum quot modis contrahatur.

QVinque modis mandatum contrahi potest secundum Imperatorem hic in princ. tit.

Primo mea tantum gratia, vt si tibi mandem, quod negotia mea geras, fundum mihi emas, iudicium meo nomine suscipias, aut similia §. 1. hoc tit.

Secundo aliena tantum gratia, vt si tibi mandem, quòd Titij negotia geras, fundum ei emas, pro eo fideiubeas, & similia §. aliena hoc tit.

Tertio mea, & aliena gratia, vt si tibi mandem, quòd mea, & Titij negotia geras, mihi, & Titio fundum emas pro me, & Titio fideiubeas, & alia huiusmodi d. §. aliena.

Quarto contrahitur tua, & mea gratia, si tibi
4 mandem, vt sub vsuris credas ei, qui rem meam mutuatur §. 1. hoc tit.

Quinto tua, & aliena gratia contrahitur mandatum, si tibi mandem, vt sub vsuris credas Titio d. §. aliena, quòd si sine vsuris mandauero aliena tantum gratia erit mandatum d. §. aliena, si tua autem tantum gratia interuenit mandatum, veluti, si tibi mandem, vt pecunias tuas potius in emptiones prædiorum colloces, quàm fœnerides, vel ex aduerso potius fœnerides, propriè mandatum non erit, sed potius consilium, ideo non est obligatorium, quia nemo ex consilio obligatur, etiamsi non expediat ei, cui datur, quia liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium, vel non §. tua hoc tit. l. 2. & l. Quintus Mutius. ff. eod. loco igitur illius glo. addit alium, & sic sextum modum quo contrahitur mandatum, scilicet, tua, mea, & aliena gratia, vt si tibi mandem, quòd pro me fundum emas pro te, & pro Titio.

Mandatum quibus verbis fiat.

INter absentes etiam per Nuncium, & epistolam mandatum suscipi potest l. 1. ff. eod. nec interest quibus verbis fiat, potest enim fieri per verbum rogo, supplico, mando, volo, peto, &
5 per quæcunque similia verba d. l. 1. & ibi glo. ff. eodem, per verba autem commendatoria non inducitur mandatum, veluti, si quis mihi commendaret Titium, vt ipsum commendatum haberem, & ego illi mutuarem pecuniam, certè non competeret mihi actio mandati contra commendantem l. si verò §. cum quidam. ff. eodem, & l. fin. C. quo cum eo.

SVMMARIVM.

1 *Diligenter mandati fines sunt custodiendi.*
2 *In maiori summa inest, & minor.*

§. Is qui exequitur.

DIligenter mandati fines ab ipso mandatario custodiri debent, adeo quòd si exces-
1 serit fines mandati, non habet mãdati actionem contra mandantem, etiam si vtiliter negocium gesserit §. is qui hoc tit. l. diligenter. ff. eodem, & l. mandati. C. eod. si verò minus impenderit, & sic excesserit fines in eo quod est minus, habet nihilominus mandati actioné, cum in maiori sum-
2 ma insit, & minor §. sed diuersæ scholæ hoc tit. & d. l. diligenter. ff. eodem.

SVMMARIVM.

1 *Re integra per reuocationem finitur mandatum.*
2 *Item & morte tam mandantis, quam mandatarij.*
3 *Finitur etiam renunciatione mandatarij.*
4 *Quæ requirantur ad hoc, vt renunciatio valeat.*

§. Rectè quoque cum aliquot sequentib.

Mandatum quot modis finiatur.

MAndatũ finitur reuocatione, quoties mandans re adhuc integra mandatum reuocat

cat

cat §. rectè quoque hoc titu. quando autem res dicatur integra declarat glo. hic in verbo item si
2 adhuc, secundo finitur morte tam mãdantis, quã mandatarij re integra similiter d. §. rectè. l. inter causas, ff. eod. l. mandatum. C. eod. verum si mandatarius ignorans dominum esse mortuum, mãdatum exequutus fuerit, succurritur ei ex æquitate, vt actionem mãdati habeat, ne sit in damno ex iusta, & probabili ignorantia d. §. rectè hoc tit. & l. inter causas. ff. eod. sic in simili, si dispensator ignorãs se manumissum à domino exegerit à debitoribus pecuniam, debitores summo iure non essent liberati, quia immutato serui statu mãdatum soluitur, tamen propter probabilem ignorãtiam veniam merẽtur, & eis succurritur §. & huic simile hoc tit. dispensator est seruus, qui fœnori dare pecuniam domini solet, & etiam à debitoribus exigere l. dispensatori. ff. de solutionibus, tertio finitur mandatum renunciatione manda-
3 tarij re integra §. mandatum el 1. hoc titu. licet enim ab initio liberum sit mandatum suscipere, ita postquam cęptum est omnino exequi debet d. §. mandatum hoc tit. l. si mandauero. §. fin. & l. si quis alicui. §. qui suscepit. ff. eod. ad hoc tamen, vt huiusmodi renunciatio valeat requiritur.

Quæ requirantur ad hoc, vt renunciatio mandati valeat.

Requiritur ad hoc, vt valeat mandati renunciatio, quod facta sit ipsa renunciatio, re integra, & ita tempestiuè, vt mandans possit sibi
4 æquè bene prouidere, nisi aliqua iusta causa excusetur, vt propter aduersam valetudinem, vel superuenientes capitales inimicitias, de quib. in l. si mandauero. §. fin. cum tribus legib. seqq. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quid sit quasi contractus.*

DE OBLIGATIONIBVS, quæ ex quasi contractu nascuntur. Titulus XXVIII.

In principium tituli.

Supra in § fin. de obligat. dictum fuit, omnes obligationes, aut ex contractu, vel quasi, aut ex delicto, vel quasi originem trahere, cum igitur
1 hactenus de ijs, quæ ex contractu nascuntur dictum sit, rectè nunc sequitur de ijs, quæ ex quasi contractu veniunt.

Quid sit quasi contractus.

Quasi contractus est obligatio, quæ neque ex contractu propriè nascitur, neque ex ma-
2 leficio, sed ex æquitate quadam originem habet, in qua non solum præsentes, & scientes, vt in proprijs contractibus, sed etiã absentes, & ignorantes obligantur, vt hic in principio tit. & in l. 2. ff. de negoc. gest.

SVMMARIVM.

1 *Quot sint species quasi contractuum.*
2 *Prima species quasi contractus est negociorum gestio.*
3 *Actio negociorum gestorum, quando locũ habeat.*
4 *Ad quid teneatur negociorum gestor.*

§. Igitur, & §. sicut autem.

Quot sint species quasi contractuum.

Sex sunt species quasi contractuum, quas Iustinianus hoc in tit. ordine proponit, scilicet,
1 negociorum gestio. tutelæ administratio. rerum communio. actio familiæ erciscund. hæreditatis aditio, & indebiti solutio.

Quæ sit prima quasi contractuum species.

Prima species, quasi contractuum est negociorum gestio, quæ est, quando quis aliena
2 negocia in alterius absentia sponte, & sine mandato vtiliter gerit, quo casu actiones negociorũ gestorum nascuntur, directa, quæ datur domino rei gestæ aduersus eum qui gessit, & contraria, quæ datur negociorum gestori §. igitur hoc titu. & tot. titu. ff. & C. de negoc. gest. idque vtilitatis causa receptum est, ad hoc ne absentium deserantur negocia, quod sine dubio contingeret si de eo quod quisque impendisset, nullam actionẽ habiturus esset d. §. igitur in fine, & l. 1. ff. de negoc. gest. dixi, has negociorum gestorum actiones oriri, cum sine mandato, & in alterius absentia quis negocia gerit, quia si interueniente man
3 dato, non hæc actio, sed mandati locum haberet l. ex mandato in fine. ff. mandat. & si in præsentia similiter ex tacito mandato gerere videretur l. si vero. §. si passus. ff. mandat.

Ad quid negociorum gestor teneatur.

Regulariter tenetur solũ de dolo, lata, & leui culpa l. tutori. C. de negoc. gest. aliquando
4 tamen etiam de leuissima culpa tenetur, veluti si alius diligentior eo commodius administraturus negocia fuisset §. sicut autem hoc tit. & interdum etiam tenetur tantum de dolo, & lata culpa, quãdo scilicet, accepit negocia deserta l. 3. §. interdum, & ibi glo. ff. de negoc. gest.

SVMMARIVM.

1 *Secunda species quasi contractuum est tutela.*
2 *Tutelæ actio.*

§. Tuto-

§. Tutores quoque.

Quæ sit secunda quasi contractus species.

SEcunda species quasi contractus est tutela in qua tutor, & pupillus inuicem obligantur,
1 non quidem ex cōtractu, cum nullum negocium inter tutorem, & pupillum contrahatur, sed ex quasi contractu, cum quasi inuicem contrahere videantur, ideo etiam duplex actio tutelæ oritur, directa, & contraria; directa datur pupillo cōtra
2 tutorem, vt reddat rationem suæ administrationis, & restituat res, quæ apud ipsum extant, & de hac loquitur tit. C. arbitrium tutelæ: contraria datur tutori contra pupillum ad repetendum id quod de suo impendit in rebus, & negocijs pupilli §. tutores quoque hoc tit. vide quid dicam in §. actionum infra de actionibus.

SVMMARIVM.

1 *Tertia species quasi contractus est cōmunio rerū.*
2 *Actio communi diuidundo.*

§. Item si.

Quæ sit tertia quasi contractuum species.

TErtia, quasi contractus species est, rerum communio, quasi enim contrahere videtur,
1 qui rem aliquam communem, non ex societate, quidem, sed ex accidenti, & præter spem habent, exempli gratia, Caio, & Seio simul eadem res legata, aut donata est, Caius solus ex illa fructus colligit, vel solus Seius impensas necessarias in eam rem fecit, hoc casu Caius actione communi diuidundo Seio tenetur, obligatusque est, ad di-
2 uidendum rem communem, & diuidendos fructus inde perceptos, nec non ad expensarum refusionem §. item si hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Actio familiæ erciscundæ inter cohæredes locum habet.*
2 *Ex hæreditatis communione, quadam societas inter cohæredes contrahi videtur.*

§. Idem iuris.

Quæ sit quarta quasi contractus species.

QVarta species, quasi contractus est, actio familiæ erciscundæ, quæ inter cohæredes
1 volentes à communione discedere pro diuisione hæreditatis datur, ideo si vnus solus fructus percepit, vel impensas fecit, manet alteri obligatus
2 ex quasi contractu, nam ex hæreditatis communione quasi societatem inter se cohæredes contraxisse videntur §. idem iuris hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Aditio hæreditatis est quinta quasi contractus species.*
2 *Legatarius actione in personam ab hærede legatum petit.*

§. Hæres quoque.

Quæ sit quinta quasi contractus species.

1 QVinta species quasi cōtractus est, aditio hæreditatis, quoties enim quis hæreditatem adit, cum legatarijs, & creditoribus quasi contrahere videtur l. 3. §. fin. ff. ex quib. caus. in possessio-
2 nem eatur, ideo & legatarij ab hærede actione in personam legatum petere possunt, quasi cum eo contraxerint §. hæres quoque hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sit sexta, quasi contractus species.*
2 *Multi sunt casus in quibus solutum per errorem repeti non potest.*

§. Item is cui per errorem.

Quæ sit sexta species quasi contractus.

1 SExta, & vltima species quasi contractus est, indebiti solutio, soluens enim indebitū ignoranter, licet magis faciat, animo dissoluendi obligationem quam subesse putat, tamen quia facere aliquid dicitur, obligatur recipiens, ac si ei mutuū daretur, ideo prodita est actio, quæ dicitur conditio indebiti §. item is hoc tit. nonnulli tamen casus sunt, in quibus solutum per errorem repeti non potest, vt si aliquid indebitè solutum sit ex
2 causa, quæ per inficiationem crescit, veluti in actione l. Aquiliæ, in actione ex legato pijs locis, aut ad pias causas relicto §. fin. hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio tituli.*
2 *Differentia inter hunc titulum, & titulum per quas personas nobis acquiritur.*
3 *Per quas personas nobis acquiratur obligatio.*

PER QVAS PERSONAS NOBIS obligatio acquiritur. Tit. XXIX.

VT supra lib. 2. post enumeratos modos acquirendi per se dominij, subijcitur titu. in quo ostenditur quo pacto etiam per alios domi-
1 nium nobis acquiratur, ita & hoc in loco, postquam expositum est de obligationibus, quæ ex contractu cuiusque, vel quasi contrahuntur subijcitur tit. in quo demonstratur, & qualiter etiam per alios nobis obligatio acquiratur, differt tamen

men tit. iste à tit. per quas personas nobis acqui-
2 ritur secundum glo. hic, quia ibi agitur, qualiter per alios rerum dominia nobis acquirantur, hic qualiter obligationes, differt etiam à tit. de stipulatione seruorum, quia ibi tractatur qualiter per alios nobis acquiratur obligatio ex stipulatione tantum, hic ex omni obligatione.

Obligatio per quas personas nobis acquiratur.

ACquiritur nobis obligatio, primo per nosmetipsos §. 1. hoc titu. secundo per filios nostræ potestati subiectos, & hoc quidem in totum quantum ad peculium profectitium, in vsufructu quantum ad aduentitium, in nihilo verò quoad Castrēse, vel quasi d. §. 1. hoc tit. & l. cum oportet. C. de bonis quæ liber.

3 Tertio, per seruos nostros, & in totum d. §. 1. Quarto, per liberos homines, & seruos alienos à nobis bona fide possessos, in duobus casibus tātum. s. quando ex re domini, & ex operis suis acquirunt §. item per liberos homines hoc tit.

Quinto, per seruos in quibus vsumfructum, vel vsum habemus, & eodem modo in dictis duobus casibus tantum d. §. item per liberos homines.

Sexto, per seruos communes pro parte domini §. fin. hoc tit. & hoc quando simpliciter acquirit, sed si nominatim nomine, aut iussu vnius cōtrahat, in hoc casu ei tantum, & non alijs acquirit d. §. fin. si etiam singulorum nomina in contrahēdo exprimat, non pro parte dominij in hoc casu, sed pro virilibus cuique acquirit §. fin. hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Solutione eius quod debetur tollitur oīs obligatio.*

QVIBVS MODIS OBLIGATIO TOLLITVR. Titulus XXX.

In principium tituli.

IN ciuilibus rebus naturæ rationem haberi oportet, qua monemur nihil tam naturale esse, quam eodem modo vnumquodque dissolui, quo colligatum est l. nihil tam naturale. ff. de reg. iur.
1 cum igitur hactenus de constituendis obligationibus tam ex contractu, quam ex quasi contractu actum sit, meritò sequitur nunc, vt de eorum resolutione agatur, & concordat tit. ff. de solutio. item. ff. & C. de nouationibus.

Quot modis tollatur obligatio.

OMnis obligatio tollitur solutione eius, quod debetur, dico quod debetur, quia aliud pro alio inuito credito resolui non potest, vt hic in
2 princ. tit. & in l. 2. ff. si cert. pet. nec refert, an is qui debet, an alius pro eo soluat, item an sciat, vel ignoret, nam nihilominus liberatur, vt hic, & in l. si pro me, & l. soluere. ff. de solut. sic si reus soluat liberatur fideiussor, & è contra §. item si hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Tollitur obligatio per acceptilationem tam pura, quam conditionalis.*
2 *Quæ obligationes acceptilatione non tollantur.*

§. Item per acceptilationem, & §. Est autem.

SEcundo tollitur obligatio per acceptilationem, quæ imaginaria solutio dicitur §. item per acceptilationem hoc tit. nec tantum præsēs, sed etiam præterita, & futura, pura, & conditionalis tollitur d. §. item per acceptilationem, & §.
1 est autem hoc titu. verum non omnis obligatio acceptilatione tollitur, sed solum quæ verbis cōtracta est, & hoc, quia prout quisque contractus initus est, ita & solui debet d. §. per acceptilationem, & l. prout quisque. ff. de solutio. ideo cęterę
2 obligationes re, literis, aut consensu contractæ per acceptilationem minimè tollentur, vt tradit glo. hic in verbo cæteræ, nisi in stipulationem Aquilianam deducantur, tunc enim tolli in totum, aut pro parte possunt per acceptilationem d. §. Est autem.

SVMMARIVM.

1 *Per nouationem tollitur obligatio.*
2 *Nouatio vnde nomen habeat.*
3 *Quæ requirantur ad hoc, vt nouatio teneat.*

§. Præterea, & §. Non idem iuris.

1 TErtio tollitur obligatio nouatione, quæ est prioris debiti in aliam obligationem, vel naturalem, vel ciuilem transfusio, atque translatio §. Præterea hoc tit. nouatio enim à nouando
2 nomen accepit, & à noua obligatione l. 1. ff. de nouationibus.

Quæ requirantur ad hoc, vt nouatio valeat.

REquiritur, & primo, quod sequens obligatio naturaliter, aut ciuiliter teneat d. l. 1. §. fin. ff. de nouat. si enim neutro modo teneret, inutilis nouatio esset, propterea si cum infante, aut seruo celebrata sit, ita quod promiserit seruus, aut infans, soluere id quod alius debebat, talis nouatio non tenet, quia neuter eorum, nec ciuiliter, nec naturaliter obligari potest §. non idem iuris, & ibi glo. & Doct. notant hoc tit. cū pupillo
3 autem, quia etiam sine tutoris auctoritate obligari potest, rectè nouatio fieri valet, adeo quod per talem nouationem liberatur prior debitor, & si posterior obligatio nulla, ac inefficax sit, cum naturalis obligatio actionem non producat §. præterea hoc tit.

Secundo

Secundo requiritur, quod fiat nouatio per stipulationem d.§. præterea in princ. & ibi glo. l. 1. & 2. ff. de nouationibus.

Tertio requiritur, quod hoc expresè agatur, vt nouetur obligatio, aliàs remanet prior obligatio, & posterior loco incrementi accedit d. §. non idem iuris in fine, & l. fin. C. de nouationibus.

SVMMARIVM.

1 *Obligationes consensu contractæ, dissensu dissoluuntur.*
2 *Per compensationem tollitur obligatio.*
3 *Quæ requirantur ad hoc, vt fieri possit cõpensatio.*
4 *Obligatio qualiter per confusionem tollatur.*
5 *Oblatione rei debitæ tollitur obligatio, si etiam fuerit deposita.*
6 *Interitu rei debitæ tollitur obligatio.*
7 *Per chirographi redditionem.*
8 *Creditor restituendo pignus non liberatur.*
9 *Diuersitatis ratio inter restitutionem instrumenti, & restitutionem pignoris.*
10 *Si non constet de instrumenti redditione, & debitor habeat chirographum, quid dicendum.*

§. Hoc amplius.

QVarto obligationes, quę solo consensu contrahuntur, re integra contrario dissensu
1 dissoluuntur §. hoc amplius hoc tit. & §. rectè supra mandati, dixi, re integra, quia si védita sit res, eaque tradita, aut pretium solutum in totum, vel pro parte, simplici contraria voluntate non tollitur obligatio, quæ ex emptione procedit, sed necesse est vltra dissensum, vt restituatur pretiũ, & res vendita retro tradatur l. 1. C. quãdo liceat ab emption. disced. sed an datio arrharum faciat desinere rem esse integram, dicendum est, quod non, quando arrha simpliciter data est, vt sit argumentum, & probatio emptionis, secus si loco pretij data sit, nam tunc, & arrha retro tradi debet l. 2. vbi glo. & Doct. C. quando liceat ab emption. discedere. & hi sunt modi quos refert Imperator hic per quos tollitur obligatio, vltra quos modos plures alios refert glo. hic, quibus similiter obligatio ipso iure tollitur, & sic.

Quinto tollitur obligatio per compensationẽ, quæ est debiti, & crediti inter se contributio l. 1. ff. de cõpensationibus, ideoq. introducta est, quia
2 nostra potius interest nõ soluere, quam solutum repetere l. 3. ff. de compensationib. ad hoc tamen, vt compensatio valeat plura requiruntur.

Quæ requirantur ad hoc, vt compensatio fieri possit.

PRimò requiritur, quod creditum sit liquidũ, aut de proximo liquidandum, aliàs iniquum esset ab ea parte, quæ iam verè debitrix est compensationem opponi, quandoquidem sic mora-
3 torijs ambagibus spes propinquæ condemnationis facile excludi posset, vt inquit Imperator in l. fin. C. de compensationibus.

Sexto, confusione tollitur obligatio, quoties, scilicet, debitor creditoris, aut creditor debitoris hæres efficitur, in hoc enim casu cum hæres,
4 & defunctus vna, & eadem persona esse censeantur, vt in Authen. de iureiur. à moriente præstito, eorum bona etiam confunduntur obligationesq. quæ antea inter eos contractæ erant, consequẽter tolluntur l. debitori. C. de pact.

Septimo, per oblationem, simul cum cõsignatione, ac depositione rei debitę obligatio tollitur,
5 ita quod debitor liberatur; ab indeq. omne periculum spectat ad creditorem l. obsignatam. C. de solutionibus, & l. acceptam. C. de vsuris.

Octauo, interitu rei debitæ sine culpa debito-
6 ris tollitur obligatio l. si ex legati causa. ff. de verborum obligation.

Nono tollitur obligatio per redditionem chi-
7 rographi, creditor enim restituendo debitori chirographum, videtur facere pactum de non peten-
8 do l. 2. ff. de pact. secus tamen est in restitutione pignoris, quia creditor restituendo pignus non videtur remittere debitum l. 3. ff. de pactis, ratio
9 diuersitatis est, nam restitutio instrumenti non potest importare aliam commoditatem, quam remissionem debiti, quod secus est in pignore secundum glo. & Doct. in d. l. 3. sed si non constet
10 de redditione, & debitor habeat chirographum, quid dicendum? distinctione res efficitur clara, nam aut debitor est domesticus creditoris, ita, quod facilè ab eo instrumentum auferre potuit, & in hoc casu non præsumitur solutio, aut non erat domesticus, & præsumitur liberatus per solutionem, quia facta solutione regulariter chirographum debitori reddi solet, l. si chirographum. ff. de probationibus.

Finis Libri Tertij.

THA.

THADAEI PISONIS SOACII, GVERINI FILII I.V.D. COMMENTARIA,

In Librum quartum Institutionum Domini Iustiniani.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quæ obligatio ex delicto nascatur.*
3 *Quotuplicia sint delicta, et eorum discretia quæ sit.*
4 *Quot modis in delictorum persecutione agi possit.*

DE OBLIGATIONIBVS, quæ ex delicto nascuntur. Titulus Primus.

In principium Tituli.

CVM iam superiori libro à titulo de obligationib. vsque ad finem libri tertij, de duabus causis ex quibus obligationes nascuntur, scilicet, de contractibus, & quasi contractibus satis, superque dictum sit, rectè sequitur nunc de reliquis duabus delictis, scilicet, & quasi delictis.

Quæ obligatio ex delicto nascatur.

DOctores communiter tenent, vtramq. obligationem oriri naturalem. s. & ciuilē simul iūctam, de ciuili nemo dubitat, cū leges expressè statuant delicta, & maleficia puniri l. ita vulneratus. ff. ad l. Aquil. p̄teréq. & nomina delictorum à lege ciuili inuenta sint, vt furtum, rapina, homicidium, parricidium, peculatus, & similia, de naturali verò maior est dubitatio, negat. n. glo. in §. ius autem gentium, versic. penè sup. de iur. nat. gent. & ciuil. nasci ex maleficio obligationem naturalē in delinquente, cum sine dubio in eo desit consensus ad pœnam, ex quo cōsensu regulariter naturalis obligatio oritur, eius tamen opinio vno ferè omnium Doctorum ore reprobatur, tū quia naturalis obligatio non solum oritur ex cōsensu, sed etiam ex naturali æquitate, ita vt licet deficiat consensus, si tamen naturalis æquitas suadet aliquem obligari, nascitur obligatio naturalis secundum tex. in l. cum amplius. §. is natura. ff. de reg. iur. quam ad hoc notat, & commendat Castren. in l. ex hoc iure. ff. de iust. & iur. hinc in l. si à reo. §. id quod. ff. de fideiussor. dicitur, pœnas ob maleficia solui, magna ratio suadet, tum etiam, quia consensum inesse in delinquēte dicere possumus, quandoquidem scit delinquens pœnas à legib. delictis impositas esse, vnde, & delinquendo se ad pœnā delicti obligare videtur tex. est in l. Imper. ff. de iur. fisci, ibi, te huic pœnæ subdidisti.

Quotuplicia sint delicta.

DElicta duplicia sunt, alia publica, & alia priuata, publica ad dissipationem totius Republ. vel communis vtilitatis vergunt, vt sunt
3 crimen læsæ maiestatis, parricidium, homicidiū, adulterium, stuprum, seditio, falsitas, ambitus, peculatus, & alia de quibus est titulus vltimus huius libri, magis ex abundanti additus, quàm necessariò, si quidem Iustinianus in §. vlt. supra de iusti. & iur. se de priuato tantum iure acturū, pollicitus fuit, de his etiā habemus in lib. 48. Digestorum, & nonum Codicis, priuata dicuntur, quæ principaliter ad incommodum vitæ priuatæ tendunt, qualia sunt, furtum, rapina, damnum, & iniuria, de quibus agitur in hoc titulo, cum tribus sequentibus, & in lib. 47. Digestorum, differentia inter publica, & priuata delicta, ea præcipuè esse videtur, quod in publicis, cuilibet de populo accusatio competit, in priuatis non sic, sed ei duntaxat, ad quem res pertinet Clar. lib. 5. sent. §. 1. in principio, hinc Duarenus in tit. ff. de priuat. delict. delicta priuata esse dixit, ex quibus proditæ sunt priuatæ forensesq. actiones, nec publicè legibus vindicātur, cum quo etiam sentit Cuiacius in suis Paratilis in eod. tit. de priuat. delict. & nouissimè Vulteius hic, maximi ingenij, & eminentis doctrinæ vir. illud aduertendum est, publicum iudicium aliquādo dici omne iudicium criminale, licet criminis accusatio non cuiuis permittatur, vt in l. interdum 4. ff. de public. iudic. idq. ad differētiam iudicij ciuilis, & priuati, in quo de re familiari, & priuata agitur rursus delicta, alia sunt capitalia, alia non capitalia; capitalia sunt, quæ pœna mortis, aut exilij vindicantur, non capitalia, quorum pœna, aut pecuniaria est, aut coercitio quædam corporalis l. 2. ff. de public. iudic. item alia sunt ordinaria, & alia extraordinaria, ordinaria

maria sunt in quibus certa, & ordinaria pœna à legibus statuta est, extraordinaria in quibus imponitur pœna pro modo delicti ex arbitrio iudicantis l. 1. ff. de effractor. & expilator.

Quot modis in delictorum persecutione agi possit.

IN prosequendis delictis dupliciter agi potest, ciuiliter, & criminaliter tex. est in l. fin. & ibi Bart. not. ff. de priuat. delict. ciuiliter agitur, quãdo intentatur actio ad cõmodum iniuriati, & læsi,
4 vt pœna ei applicetur, criminaliter quando agitur ad vindictam delicti, & ad pœnam applicandam fisco glo. in l. 3. ff. de sepulchro violato.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit furtum.*
2 *Quæ requirantur ad hoc vt furtum dicatur.*
3 *Animus furandi in furto requiritur.*
4 *Furtum vnde dictum.*

§. Furtum.

Quid sit furtum.

FVrtum est contrectatio fraudolosa, rei alienę mobilis, & corporalis inuito domino, lucri
1 faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius possessionisve facta §. furtum hoc tit. & l. 1. §. fin. ff. eod. & sic non solum rei furtum committitur, sed etiam vsus, veluti, si creditor vtatur pignore, depositarius re deposita, & commodatarius rem ad certum vsum sibi accommodatam in alium vsum transferat §. furtum autem, infra eod. item non solum rei, & vsus, sed etiam possessionis, vt si debitor rem pignori datam creditori surripiat, qui pignus possidet §. aliquando inf. eod.

Quæ requirantur ad hoc, vt furtum dicatur.

AD hoc, vt furtum dicatur, requiritur primo contrectatio rei, vt scilicet, amoueat rem de loco ad locum, contrectare enim nil aliud est, quam loco mouere l. 3. §. si rem apud te deposi. tam ff. de acquir. possess.
2 Secundò requiritur, quòd contrectatio sit fraudolosa, & sic adsit dolus, & fraus, nam furtum sine dolo, & animo furandi fieri non dicitur, ideo si quis errore ductus, putet id sibi licere, aut quia suam rem, aut dominum facilè permissurum credat, furti non obstringitur §. placuit infra eodem omnia enim delicta mente, & voluntate distinguuntur, ijsque tanquam præcipuis, & interioribus suis causis principaliter diiudicantur l. 1. ff. ad leg.
3 Cornel. de sicar. l. qui iniuriæ. ff. de furt. & l. fœdissimam C. ad leg. Iul. de adulter.
Tertiò requiritur, quòd cõtrectatio sit rei alienæ mobilis, & corporalis alienæ, quia in rebus proprijs furtum cadere non potest sin glo. hic in verbo rei, nisi ratione possessionis, vt de debitore subtrahẽte creditori rem oppignoratam, diximus supra ex §. aliquãdo hoc tit. mobilis, quia in rebus immobilib. propriè furtum nõ cõmittitur l. quam rem. ff. de vsucapion. & §. quod autẽ sup. de vsucapion. corporalis, quia in incorporalibus cum tangi, & contrectari nõ possint, furtum etiã fieri non potest, vt notat Accurs. hic.
Quartò requiritur, quod contrectatio facta sit inuito domino, vel quasi, vel eo cuius interest §. furti autẽ actio inf. eod. & l. 1. & ibi glo. ff. de furt. in rebus igitur quæ dominũ non habent, vt sunt res, quæ pro derelicto habentur, furtum non cõmittitur, neque enim furtum fieri potest, nisi sit cui fiat l. falsus. §. qui alienam. ff. de fur.
Quintò requiritur, qđ talis contrectatio lucrifaciẽdi gratia facta sit, nã si iniutię causa rẽ alienã contrectẽ furti nõ tẽneor l. qui iniuriæ. ff. de furt.

Vnde dictum sit furtum.

FVrtum secundum Imperatorem hic dicitur à furuo, idest, nigro, eo quod clam, & obscure, ac plerunque noctu fiat, cum fures per obscu-
4 ras noctes, atque atras, commodius faciliusque rebus nostris insidientur, vel etiam, vt idemmet Imperator voluit à fraude, aut à ferendo, idest, auferẽdo, hinc sumpta occasione Doct. hic de argumento ab ethymologia vocabuli tradunt de quo, & nos alibi diximus, videlicet, supra in tit. de his, qui sunt sui, vel alien. iur. ideo hic non repeto, ne recoctam crambem, vt est in prouerbio ad mensam reponere videar.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex sit furtum.*
2 *Quid Publicum.*
3 *Priuatum duplex, manifestum, & non manifestũ.*
4 *Quid sit furtum manifestum.*
5 *Quid nec manifestum.*
6 *Conceptum furtum quid.*
7 *Qui magistratibus ministrabant, licio transuerso cincti esse solebant.*
8 *Quid sit furtum oblatum.*
9 *Furti prohibiti, et nõ exhibiti actione qui teneãt.*
10 *Vrgentibus indicijs etiam hodie in aliena domo furti inquisitio fieri potest.*

§. Furtorum tum duob. §§. seqq.

Quotuplex sit furtum.

FVrtum duplex est, quoddam publicum, & di-
citur peculatus, cum, scilicet, quis defraudat
1 erarium publicum, vel rem sacram, aut religiosam aufert, vel intercipit, in remque suam vertit,
2 aut prædam ab hostibus captam surripit §. item lex Iulia peculatus infra de public. iudic. & l. 1. ff. ad l. Iul. pecula. quoddam priuatum, & hoc rursus duplex

3 duplex eſt, manifeſtum, & nec manifeſtum §. fur-
torum, hoc tit. & l. 2. ff. eod. diciturque nec mani-
feſtum pro non manifeſto, formula loquendi leg.
12. tab. vſitata, qua nec pro non, accipitur, exem-
plum habemus apud Ciceronem in libris de le-
gibus ex duodecim tabulis, illis verbis Senatori
qui nec aderit, aut cauſa aut culpa eſto.

Quid ſit furtum manifeſtum.

MAnifeſtum furtum eſt, cum quis in ipſo
furto, vel in loco in quo furtum commit
titur, aut etiam in alio antequam tamen ad deſti-
4 natum locum cum re furtiua perueniat, à Domi-
no, vel ab alio depræhenditur, aut ſi non depræ-
henditur, ſaltem conſpicitur, & acclamatur d. §.
furtorum, & l. 3. 4. 5. 6. & 7. ff. eod. & hoc etiamſi
abiecto furto aufugerit, d. l. 7. Hinc Vergilius.

Non ego te vidi Damonis peſſime caprum
Excipere inſidijs multum latrante lycisca?

Manifeſti furticium arguit, inquit Seruius ibi, di-
cendo vidi, & quia poſtea ſtatim ſubdit,

Et cum clamarem, quo nunc ſe proripit ille?

Inde Cuiacius obſeruat, libro 11. capit. 38. colli-
git, furē viſum non aliter pro manifeſto haberi,
quā ſi Dominus qui vidit, viſo acclamet. Hinc in
d. l. 7. ff. eo. dicitur, quod ſi Dominus ſe occultaſ-
ſet, licet furē vidiſſet, non per hoc manifeſtū dici.

Quid ſit furtum nec manifeſtum.

5 NEc manifeſtum furtum eſt, quando quis cū
re furto ſubtracta peruenit ad locum in
quem ſe recipere conſtituit, tunc enim etiamſi
depræhendatur, manifeſtus tamen fur non dici-
tur d. §. furtorum hoc tit. & d. l. 5. ff. eodem erant
olim, & alia duo furtorum genera, conceptum,
ſcilicet, & oblatum, conceptum furtum diceba-
6 tur quando res furtiua teſtibus præſentibus apud
aliquem queſita, & inuenta erat, magna enim ob
ſeruatione fieri ſolebat, nec ſolū teſtibus præſen-
tibus, vt diximus, ſed etiā, vt refert Gellius noct.
att. lib. 11. c. vlt. per lancē, & licium, quia qui fur-
tum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus
intrabat, vt illam inquiſitionem auctoritate magi
ſtratus fieri ſignificaret, qui enim magiſtratib. mi
niſtrabant, licio tranſuerſo cincti eſſe ſolebant vt
7 idem Gellius lib. 12. cap. 13. tradit: lancemq. ante
oculos tenebat propter matrum familias aut vir-
ginum præſentiam, & ſi inuentæ erant res furti-
uæ, furta per lancem liciumq. concepta diceban-
tur Gellius d. loco oblatum vero dicebatur, quo-
ties quis rem furtiuam alij obtulerat, ne apud ſe
8 inueniretur tex. eſt in §. conceptum, & in §. obla-
tum hoc tit. verum, conceptum, & oblatum po-
tius ſunt ſpecies actionis furto cohærentes quā
genera furtorum, cū furto iam commiſſo acce-
dāt d. §. præterea hoc tit. ſic ſpecies actionis fur-
to cohærentes ſunt furtum prohibitum, & non
exhibitum, furti prohibiti actione tenetur, qui
9 furtum quærere volentem teſtibus præſentibus
prohibuit, nō exhibiti, qui furtiuam rem apud ſe
quæſitam, & inuentam non exhibuit d. §. præte-
rea, hodie tamen omnia hæc in deſuetudinem
abierūt, neq. perſcrutatio aut requiſitio rei furti-
uæ in domo aliena amplius permiſſa eſt d. §. præ-
terea, ne ſub hoc prætextu cunctorum curioſita-
ti ſeruiant ædes noſtræ, quæ tutiſſimum refugiū
nobis præbere debent l. plerique ff. de in ius vo-
cand. intereſt enim patris familias ne ſecreta do-
mus ſuæ pandantur, ne vel diuitiæ inuidiæ ſubij-
ciantur l. 2. verſiculo quid enim tam durum. C.
quādo, & quibus quarta pars lib. 10. eod. intelli-
10 ge hoc verum, dummodo non adſint vrgētia in-
dicia, quod res ſit in aliqua domo, quia tunc po-
teſt implorari officium iudicis, & eius auctorita-
te inquiſitio fieri, vt ab interpretibus noſtris hic
traditum eſt, & ſatis ex hoc §. noſtro conſtat, nec
enim Imperator ſimpliciter affirmat, hodie inq-
ſitiones rerum furtiuarum non fieri, ſed dicit, ho-
die non fieri ſecundum veterem obſeruationem,
adeo quod poſſunt etiam hodie fieri, ſed non ſe-
cundum veterem obſeruationem, quinimo ſi qs
ſuſcipiat furtiuam rem, & celet, & ipſe actione
furti tenetur d. §. præterea, & l. eos. C. eod.

SVMMARIVM.

1 *Quæ pœna ab Athenienſibus in fures conſtituta
eſſet.*
2 *Pœna legis 12. tab.*
3 *Hodie pœna furti manifeſti eſt quadrupli, non ma-
nifeſti dupli.*

§. Pœna.

Quæ ſit furti pœna.

VAriæ apud varias gentes in omni tempore
fuerunt furti pœnæ, Athenienſes enim quē-
cunque furem, ſiue manifeſtum, ſiue non mani-
feſtum ex Draconis ſanctione, qui primus Athe-
nienſib. leges dedit, capitis ſupplicio afficiebāt,
quæ pœna, vt nimis dura (fuerūt enim Draconis
leges nimis ſeueræ, ita vt ſanguine humano ſcri-
ptæ viderentur) Solonis perſuaſu mitigata, ac in
pecuniariam pœnam conuerſa fuit, vt fures non
amplius mortis, ſed dupli pœna punirentur, &
hoc ſimiliter ſiue manifeſtū, ſiue non manifeſtum
furtū eſſet, modo Romani qui leges ſuas ab Athe
nienſib. & Lacedæmonijs acceperunt, neque pari
ſeueritate in puniendis omniū generū furtis, ne-
que remiſſa nimis lenitate vſi ſunt, etenim decem
viri, qui corrigendi, addendi, & minuēdi facultatē
habuerūt, furem manifeſtū tunc demum occidi
permiſerunt, ſi aut, cū faceret furtū, nox eſſet, aut
interdiu cū deprehenderetur, ſe telo defenderet,
cuiuſmodi etiam ſententia eſt in l. ſi pignore. §.
furem. ff. de furt. cæterum ſi nec noctu, nec ſe te-
lo defendens, tunc manifeſtum furem, ſi liber ho-
2 mo ſit verberari, addiciq. ei iuſſerunt, cui furtum

factum esset, si seruus, verberibus affectum è saxo præcipitari, si puer impubes, Prætoris arbitratu verberari, noxamq. ab eo factam resarciri voluerunt, sed non manifestos fures, dupli pœna affecerunt, qua soluta, liberi erant, nondū vero soluta operas suas interim dabāt ei, cui furtū fecerant, Gell. lib. 11. c. vlt. Verba l. 12. tab. erant hæc:

Qui noctu furtum faxit, aut interdiu se telo defenderit, Domino cum clamore testificanti, eum occidere ius esto.

Si neque noctu, neque se telo defendens prahendatur, virgis caesus ei cui furtum est addicitor.

Seruus verberibus affectus de saxo deijcitor.

Impubes arbitratu Pratoris verberator.

At qui nec manifesti furti damnatus erit duplum soluito.

Interea nexus cui addictus erit, operas dato.

Et hoc erat pœna furti lege 12. tab. verū quia pęna furti manifesti, adhuc aliquanto seuior esse videbatur, exolenit, & in eius locum Prætores quadrupli pęnā substituerunt, & hoc siue seruus fuerit deprehensus in furto manifesto, siue liber homo §. pęna hoc titu. qua pęna tenetur etiam Dominus serui in manifesto furto deprehensi, si seruū noxæ nō dederit tot. tit. infra de noxalib. actionibus, & sic pęna furti manifesti est quadrupli, nec manifesti dupli, manifesti tamē furti pęna

3 prætoria est, §. furti infra de perpet. & temporal. action. nec manifesti ciuilis ex l. 12. tab. descēdēs Accur. in l. 55. ff. de administr. tutor. Cuiac. in suis Paratilis, ff. de furt. Contius lib. 1. lect. c. 2. Aret. in §. vlt. hoc tit. Viteius hic in principio tit. nu. 55.

SVMMARIVM.

1 *Furtum in quibus rebus consistat.*
2 *De alieno largiri species furti est.*
3 *Etiam hominis liberi furtum fieri potest.*

§. furtum autem fit, cum multis sequentibus.

In quibus rebus furtum consistat.

DEclarat Imperator id quod diximus in definitione, scilicet, furtum consistere nō solum in cōtractatione rei alienę, sed etiam vsus, &

1 possessionis inuito Domino facta, veluti cum creditor vtitur pignore, depositarius re deposita, & commodatarius re commodata ad alium vsum, quam ad quod commodata fuit, vel alteri com-

2 modet, quia de alieno largiri species furti est, vt tradit glo. hic in verbo perduxisset, duplicaturq. in hoc casu non ipsa proprietas rei, sed vsus, seu Domini interesse concernens vsum glo. supra in §. 1. verfic. vsus, intellige semper dummodo furādi animus non desit, nā si desit, vt quia putet Dominum permissurum furtum fieri non dicitur §. placuit hoc tit. sicut nec furtum fieri dicitur, si cōmodatarius rem commodatam volēte Domino contractet, etiamsi, nec se inuito Domino facere credat, quandoquidem propria furti natura est, vt inuito Domino fiat §. sed etsi hoc tit. & l. inter omnes §. recte. ff. de furt. verum bene est, quod si quis suadeat seruo, vt Domino suo aliquas res surripiat, & ad ipsum deferat, licet seruus hoc faciat voluntate Domini, forte permittentis, vt suadentem in delicto deprehendat, attamen suadens non solū de furto tenetur, sed etiam de seruo corrupto, & hoc propter malū consiliū in perniciem pbitatis serui inductū, licet seruus deterior factus non sit, ad hoc, vt pœna vnius sit metus aliorū, & ne ex huiusmodi impunitate in alium seruū, qui facile corrumpi posset, hoc idem quis facere tentet d. §. sed, & si hoc tit. l. 1. C. ad l. iul. repet. & l. si quis seruo. C. de furt. nec solū in seruo hoc locū habet, secundum glo. in d. §. si quis seruo, sed etiā in filio, cui similiter persuasum sit, vt res patri surripiat l. vt tantum. §. 1. ff. de seruo corrupt.

Secundo, etiam hominis liberi, veluti filiorum in potestate existētium furtum fieri potest, adeo

3 qd patri datur actio furti contra furē §. interdū hoc tit. & l. eum qui. §. filius. ff. de furt. matri vero cum filium in potestatē nō habeat, nec filius matri ad operas teneatur, furti actio nō competit l. mater ff. de furt. sic nec. fratri secundum Doct. hic.

Tertio etiam possessionis furtum fieri potest, vt in debitore subtrahente creditori rē oppignoratam diximus supra, & habemus hic in §. aliquādo, & in l. actione. §. qui rem pignori. ff. eod. dupli caturque in hoc casu ius possessionis, quanti interest creditoris rem furto subtractam non fuisse, non autem ipsa res l. creditori. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Non solum qui furtum facit actione furti tenetur, sed etiam qui opem, & consilium præstat.*
2 *Filius surripiens res patris, actione furti tenetur.*
3 *Impubes non tenetur actione furti, si pubertati proximus non sit.*

§. Interdum quoque furti tenetur, & §. in summa.

Qui teneantur actione furti.

NOn solum ille, qui furtū fecit, actione furti tenetur, sed etiam ille, qui cōsilium, & opē

1 ad ipsum furtum committendum præstat, in quo numero est, q. tibi nummos data opera excussit, vt alius eos raperet, aut tibi obstitit, vt alius rem tuā acciperet, aut oues tuas, vel boues fugauit, vt alius eas exciperet §. interdū hoc tit. l. 34. & 51 ff. eod. & hoc veteres scripserūt de eo, q pāno rubro fugauit armentū, Tauri. n. rubros pānos ferre non possunt, vt apud Ouid. lib. 12. Metamorph.

Haud secus exarsit, quàm circo Taurus aperto. Cum sua terribili petit irritamina cornu, Phœniceas vestes.

Dixi data opera, quia si per lasciuiam quis nummos excutiat, aut boues, & armenta fuget, non

non tenetur actione furti, sed tãtummodo actione in factum ad interesse, ne impunitus tã perniciosus lusus maneat, d. §. interdum, & l. in furti actione, §. fin. ff. de furt. dixi etiam, pręstans consilium, & opem, quia tantum consilium præstans non tenetur furti, nec enim qui alicui malũ cõsilium dedit furtum facit, d. §. interdum, nisi ex cõsilio sequatur factum, quod alias factum nõ fuisset, l. 53. §. nec verbo, & ibi glo. ff. eod. filius autẽ, licet surripiens res patris, furtum faciat, actione
2 tamen furti non tenetur, d. §. interdum, & l. 16. ff. eod. idem in vxore dicendũ est, furtum in rebus mariti committente, l. 53. ff. eod. si quis tamen fi-
3 lio, vel vxori opem ferat, tenetur ipse quidẽ furti, licet ipsi non teneantur, d. l. 53. eodem modo, nec impubes actione furti tenetur, si pubertati proximus non sit, §. in summa hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Furti actio quibus competat.*
2 *Interesse alicuius quot modis consideretur.*

§. Furti autem actio, & §. item si fullo.

Quibus competat actio furti.

1 Fvrti actio competit nõ solum Domino rei, sed cuilibet cuius interest, §. furti autem actio hoc tit. l. fin. C. eod. l. 10. 11. 12. & 87. ff. eod. interesse autem consideratur multis modis.
2 Et primo ratione Dominij.

Secundo ratione quasi Dominij, l. creditores. ff. eodem.

Tertio ratione possessionis, l. itaque, §. sed si res, ff. eod.

Quarto ratione custodiæ: ideo fulloni, & sarcinatori ratione custodiæ quam præstare tenentur contra furem actio furti competit, & non Domino cuius non interest, cum per actionem locati suum consequi possit, leg. 12. & 92. ff. eod. & hoc quando fullo, & sarcinator in totum sunt soluendo, alias si soluendo nõ sint, ad Dominum actio redit, cuius tunc interest, quia qui non habet, qđ reddat, eius periculo nihil esse potest, §. itẽ si fullo hoc tit. & d. l. 12. ff. eod. & sic cõstat, qđ quando alicuius nõ interest, etiã si sit Dominus, tamẽ actio furti non competit, dict. §. furti autẽ actio.

SVMMARIVM.

1 ***Commodans electionem habet, an velit agere contra commodatarium, vel furem.***
2 ***Depositarius, cui res leui, aut leuissima culpa surrepta est, agere contra furem non potest.***

§. Quæ cum aliquot sequentibus.

Qvæ de fullone, & sarcinatore circa furti actionem dicta sunt olim, & ad commodatariũ veteres transferebant, §. quæ hoc tit. Imperator tamẽ noster in l. fina. C. eod. vt meminit hic in §. sed nostra, emendando statuit, quod in electione Domini maneat, an agere velit actione commodati contra commodatarium, cui res commodata culpa sua subtracta sit, vel actione
1 furti contra furem, nulla distinctione habita, an cõmodatarius sit soluendo, nec ne electione tamen facta vnius actionis, ad aliam redire non potest, si sciens vtranq; sibi cõpetere, vnã elegit, secus si ignorans, vel dubitans d. §. sed nostra, & d. l. fin. C. eod. depositarius verò, cum teneatur tantũ de dolo, & lata culpa, si ei res deposita leui, aut leuis-
2 sima culpa subtracta sit, aduersus furem agere nõ poterit, cum eius nihil intersit, quippe qui nec restituendæ rei, depositi nomine hoc casu teneatur §. sed is hoc tit. ideo Domin⁹ ipse agere debebit.

SVMMARIVM.

1 *Ex furto, & ciuiliter, & criminaliter agi potest.*
2 *Ciuiliter agendo quatuor actiones competunt.*
3 *Quando criminaliter agitur ex furto, quæ sit pœna.*

§. Fin.

Quæ actiones ex furto competant.

Ex furto dupliciter agi potest, sicut ex omni delicto. s. ciuiliter, & criminaliter: ciuiliter
1 agendo quatuor actiones contra furem competunt l. 7. §. furti actio. ff. de condict. furti.

Prima est actio ad exhibendum, quæ est præparatoria rei vindicationis de qua videbimus in §. præterea infra de action.

Secunda est rei vindicatio, & hæc competit tãtum Domino, & eius hæredibus, non alijs quorũ interest l. 1. & ibi Doct. ff. de condict. furt. daturq; non solum contra furem, sed etiam cõtra quemcumque possessorem rei, ad rem. s. simpliciter recuperãdam, non autem ad pœnam §. fin. hoc tit. nec refert, an possidens bona, vel mala fide possideat, vt notatur in §. omnium inf. de action.

Tertia est condictio furtiua, quæ similiter non pęnam, sed rem persequitur, adeo quod si res extet cum omni interesse condici potest l. 3. ff. de
2 condict. furt. si non extet, æstimatio rei peti l. 8. ff. de condict. furt. hæc etiam soli Domino, aut eius hæredibus competit l. 1. & 2. ff. de condict. furt. contra furem, & eius hæredes d. §. fin. & l. 7. ff. de condict. fur. §. fin. non tamen contra tertium possessorem, & in hoc differt à rei vindicatione, quæ etiam contra tertium possessorem datur.

Quarta est actio furti, & in hac vltra rem furto subtractam, dupli, aut quadrupli pęnam persequimur, nec enim res furtiua in duplo, aut quadruplo venit d. §. fin. hoc tit. hodie tamen hæc pęna dupli, & quadrupli, amplius in vsu non est, vt tradit Clar. in §. furtum nu. 16. sed ciuiliter agendo, solã tantummodo rem furto subtractam persequi-

sequimur, non abrepta nobis postea occasione criminaliter agendi, & hoc quando ciuiliter agimus, quando vero criminaliter ex furto agitur, regulariter, & iure communi pœna est, vel pecuniaria, vel corporalis, non tamen mortis, aut amputationis membri, sed fustium castigatio Auth. sed nouo iure C. de seruis fugit. Doct. in §. ex maleficijs inf. de action. & licet in cap. 1. §. si quis de
3 Pace tenenda in vsib. feud. videatur statutum, qđ pro furto quinque solidorum, quis debeat suspédi, tamen illud erat, quia cum furto concurrebat etiam violatio pacis, scias tamen, quòd ex cõsuetudine, hodie famosi fures, pluribus furtis infamati laqueo suspenduntur Clat. d. loco num. 8. & hoc, vt pœna vnius sit metus multorum.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Quid sit rapina.*
3 *Quotuplex sit rapina.*
4 *Furtum & rapina in quibus conueniãt, & in quibus differant.*

DE VI BONORVM RAPTORVM. Titulus III.

In principium tituli.

1 SVperiori titulo quatuor species priuatorum delictorum à Iustiniano Imperatore nostro, propositæ fuerunt, scilicet, furtum, rapina, damnum, & iniuria, de prima specie, furto, scilicet, iam dictum est, nunc secunda species sequitur, quæ rapina dicitur, & sic incipit titulus de vi bonorum raptorum, cum quo concordat tit. ff. & C. Vi bonorum raptorum.

Quid sit rapina.

2 RApina est contrectatio fraudolosa rei alienæ mobilis, & corporalis vi, & dolo malo studiose facta §. 1. & 2. hoc tit.

Quotuplex sit rapina.

3 RApina duplex est, nam aut contingit circa personas, & tunc raptus propriè dicitur de quo habemus tit. C. de rapt. virgin. & extra de raptor. aut contingit circa res, & tunc propriè rapina dicitur, quæ etiam si committatur circa res ecclesiasticas dicitur sacrilegium, cuius pœna capitalis est l. sacrilegij. ff. ad l. Iuliam peculat.

Furtum, & rapina in quo conueniant, & differant.

4 DIfferunt furtum, & rapina, primo, quia rapere est vi auferre animo non occultandi, furari vero est animo occultãdi subtrahere ignorante sæpè Domino.

Secundo pœna furti interdum est dupli, interdum quadrupli, rapinæ pœna semper est tripli.

Tertio furti actio interdum ciuilis est, interdũ prætoria, rapina semper prætoria est.

Quarto furti actio ꝑpetua est, rapinę est annua.

Quinto raptor præter actionem rapinæ tenetur etiam furti, fur simplex viciſsim actione rapinæ non tenetur, nam rapina furtũ quoque est, sed non è contra furtum semper rapina est, conueniunt autem furtum, & rapina.

Et primo, quia sicut in furto requiritur dolus, vt in l. in furti. §. penult. ff. de furt. ita & in rapina, vt infra videbimus.

Secundo, sicut furtum fit in rebus mobilibus tantum, vt superiori titulo diximus, ita & rapina, vt infra videbimus.

Tertio, sicut actio vi bonorum raptorum etiam pro re minima datur, vt hic in principio tituli, ita furti quoque actio pro re minima competit, vt in §. Gallinarum supra de rer. diuision.

SVMMARIVM.

1 *Quæ actio detur contra raptorem.*
2 *Raptor quando dicatur fur manifestus, & quando non:*
3 *Actio vi bonorum raptorum proprie pertinet ad raptorem nec manifestum.*
4 *Concursus actionis vi bonorum raptorum cum actione furti quando locum habeat.*
5 *Actio vi bonorum raptorum intra annum est dupli, post annum quadrupli.*
6 *Quando agitur actione vi bonorum raptorum semper pœna est tripli, siue deprehendatur raptor in ipso delicto, siue non.*

§. Primo.

Quæ actio detur contra raptorem.

1 PRimo datur actio furti, raptor enim improbus fur dicitur, vt hic in principio tituli, & in l. 2. ff. eod. sed an furti manifesti, vel non manifesti, magna est altercatio apud Doct. tu dic secũdum glo. hic in verbo compræhendatur, quod licet videatur dicendum, ipsum semper furti manifesti teneri, cum rapere sit de manu auferre, tamen non sic est, sed raptor ita demum manifestus fur intelligitur, si solus, vel coadunatis hominibus palam rapiat rem præsenti, resistenti, & reclamanti Domino ne tenetur l. 82. §. cum raptor ff. de furt. vbi glo. & Bart. & tunc etiam furti manifesti actio secus si non reperiat personam, à qua violenter rapiat, sed armatus, aut coadunatis hominibus, alienas ædes ingrediatur, & nemine ibi existente res aliquas auferat, nam tunc etiam si constet eum non clam furari, sed apertè rapere voluisse, ex quo iuit armatus, aut cũ hominibus, & cum intentione violenter auferendi, si resisten-
2 tem inuenisset, tamen quia re vera neminem inuenit, nemo eũ vidit, aut acclamauit, ideo in hoc

casu

casu proprie raptor, aut manifestus fur dici non
potest, sed solum non manifestus, & quia huius-
modi furto adiunctum est consilium auferendi,
quod ex delatione armorũ colligitur, ex qua ma-
lus semp præsumitur animus, vt tradit glo. in §.
mercator de pace tenenda in vsibus feud. vnde
si quis stet armatus cũ occisoribus alicuius, præ-
sumitur eis opem ferre secundum Innoc. in cap.
continentiam de clerico percussore, ideo Prętor
in hoc casu propriã huius delicti nomine actionẽ
introduxit, quæ appellatur vi bonorum raptorũ,
cum talis plus quã fur sit, idque significare voluit
Imperator dum dixit, etiam si raptor non com-
præhendatur, locum esse actioni vi bonorum ra-
ptorum, quæ longè grauior est, quam furti non
manifesti, vt infra videbimus, & sic actio vi bono-
3 rum raptorum propriè pertinet ad raptorẽ, nec
manifestum, nõ autem ad manifestum, sed is cõ-
præhenditur sub actione furti manifesti, noluit. n.
Prætor, qui sub actione furti manifesti compræ-
henderat raptorem, vt furem improbum manife
stum, eundem comprẹhendere sub actione vi bo-
norum raptorum, si quis tamen in raptorem ma-
nifestum malit experiri actione vi bonorum ra-
ptorum nõ prohibetur, vt indicat tex. noster, sed
id ex voluntate actoris, non ex edicto Prætoris
pendet, verum bene est, quòd si quis egerit furti
manifesti, tollitur actio vi bonorum raptorum,
& è contra, non sic si occulti, nam cum illa ad du
4 plum competat, potest actione vi bonorum ra-
ptorum residuum consequi l. 1. ff. eod.

Secũdo datur actio vi bonorũ raptorũ quæ in
tra annũ est quadrupli, post annũ simplici, d. §. 1.
5 & per annum intelligimus annum vtilem, vt tunc
primum currere incipiat, cum de ea re experiun
di potestas fuit, l. 2. ff. eod. l. vlt. C. eod. Qua-
druplum autẽ, nõ totum pœna est, sicut in actio-
ne furti manifesti, sed in quadruplo inest, & rei
persecutio, ita vt pęna tãtũ sit tripli, d. §. 1. & hoc
siue deprẹhẽdatur raptor in ipso delicto, siue nõ,
nil enim refert cum actione vi bonorum raptorũ
agitur, sed quæ sit ratio, cur raptor tantum triplũ
soluat pænæ nomine, cum fur soluat vel quadru-
plũ, vel duplum, & tamẽ dicatur ridiculũ esse, vt
lenioris cõditionis sit is, qui rapuit, quã qui clam
furatur. Varias Doctor. afferunt rationes, vt vide
re est apud Hermanũ Vulteium hic, vera ratio,
quam idẽ Vulteius approbat, & mihi magis pro-
batur, est, quòd nimirũ vi bonorũ raptorũ actio
propriè locũ habeat, vt supra quoque diximus, in
casu rapinæ non manifestæ factæ, cum qua con-
currit actio furti nec manifesti, cuius pæna sine
dubio leuior est. Et si dicatur adhuc, si raptor nec
manifestus grauius punitur, quàm fur non mani
festus, ergo eodem modo, raptor manifestus gra
uius puniri deberet, quàm fur manifestus. Respõ
deo ꝙ nõ est inconueniens vt ciuiliter agẽdo sic
puniatur. quandoquidẽ criminaliter, vbi vis ma-
xime consideratur, grauius postea punitur, nã si
fiat rapina per vim priuatam sine armis scilicet,
punitur raptor in amissione tertiæ partis bono-
rum, si per vim publicam, cum armis scilicet, de-
portatur, & si sequatur homicidium capite puni-
tur, l. quoniam, & ibi Doctor. not. C. ad l. Iul. de
vi public. non sic est in furto, cuius pęna de iure,
ff. & C. regulariter est pecuniaria, & arbitraria,
vt in Auth. sed nouo iure, C. de seruis fugitiuis.

SVMMARIVM.

1 *Res mobilis esse debet, vt rapina dicatur.*
2 *Dolus, & vis etiam interuenire debet.*
3 *Rapina etiam absque dolo commissa hodie punitur.*
4 *Auferens rem ab eo qui non possidet, non incidit in pœnam, l. si quis in tantam.*
5 *Inuasor auferens rem debitam, vel pignoratam, an incidat in hanc pœnam.*

§. Ita tamen.

Quæ requirantur ad hoc vt actio vi bonorum raptorum locum habeat.

1 AD hoc vt actioni vi bonorum raptorum lo
cus sit, plura requiruntur.

Et primo quod res sit mobilis, nam immobi-
libus rapina proprie fieri non dicitur, sed inuasio
appellatur, §. ita tamen, hoc tit.

Secundo requiritur vis, quia si clam, & absque
vi auferetur, potius furtum esset.

Tertio requiritur dolus: nec enim vis sine do-
lo sufficit, d. §. ita tamen hoc tit l. 2. ff. eod. Ideo
2 si quis errore ductus, rem suam esse putet, & im-
prudens iuris, eo animo rapiat, quasi Domino li
ceat, etiam per vim rem suam à possessoribus au-
ferre, actione vi bonorum raptorum non tene-
tur, d. §. ita tamen, & d. l. 2. ff. eod. Verum ne sub
hoc prætextu aperiatur via auaritiæ raptorum,
constituerunt Imperatores, ne cuiquam vi rape
re liceat, rem mobilem, vel violenter inuadere
possessionem rei immobilis, siue suam siue alie-
nam esse credat, transgressori constituta pæna a-
3 missionis Dominij rei, si ipsius erat, si alterius, pæ
na restitutionis, cum eiusdẽ rei ęstimationis prę-
statione, d. §. ita tamen hoc tit. & l. si quis in tan-
tam, C. vnde vi, & hoc verum est, quando ille,
cui res aufertur, possidet, secus si non possideat,
vt hic, & in d. l. si quis in tantam, ideo auferens
rem ab eo cui cõmodauit, locauit, aut apud quẽ
deposuit, in hanc pœnam non incidit, cum com-
modatarius, conductor, & depositarius nõ pos-
4 sidere, sed tantummodo detinere dicantur l. rei
commodatæ ff. commodat. l. licet. §. rei. ff. depo-
sit. & l. mala. C. de præscript. 30. vel 40. ann. sed
an d. pœna locum habeat in inuasore, cui res de-
bita, aut iure pignoris obligata erat, quæritur, &
Doct. communiter post glo. in d. l. si quis in tan-
tam cõcludunt quod sic, nisi hoc faciat ex pacto,
5 vel iudicis auctoritate l. 3. C. de pignor. l. iuste
possidet. ff. de acquir. possess.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Actio vi bonorum raptorum datur non solum Dominuo, sed omni cuius interest.*
2 *Quando actio vi bonorum raptorum competit et cuius interest, agitur non ad quadruplum rei, sed eius interesse.*
3 *Datur etiam contra eum qui rapuit, vel cuius dolo id factum est.*

§. Fin.

Actio vi bonorum raptorum cui detur, & aduersus quem.

Quemadmodum furti actio omnibus datur, quorum interest rem non surripi, ita actio vi bonorum raptorum omnibus datur, quorum
1 interest rem per vim non auferri §. fin. hoc tit. & l. 2. ff. eod. quadruplicaturque in hoc casu non ip-
2 sa res, sed eius interesse, vt hic, daturque tam cõtra eum, qui ipsemet dolo malo rapuit, quàm etiam contra eum, qui licet manu sua non rapue-
3 rit, rapinæ tamen causam dolo malo dedit d. l. 2. §. si quis. ff. eodem.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes tituli.*
2 *Damnum dupliciter accipitur.*
3 *In quo differat titulus iste à superioribus.*
4 *Quot sint legis Aquiliæ capita.*

DE LEGE AQVILIA. Titulus IV.

In principium tituli.

Prosequitur Imperator tertiam speciem priuatorum delictorum, damnum scilicet iniuria datum, pro quo actio legis Aquiliæ compe-
1 tit, ab Aquilio tribuno plebis rogata, & concordat titulus ff. ad l. Aquil. damnum licet largè, & generaliter sumptum quamcunque patrimonij diminutionem significet, vt in l. 3. ff. de damn. infect. & sic furtum, & rapinam comprætendat,
2 specialiter tamen, & strictè corruptionem, & rei deteriorationem significat secũdum glo. in l. qui occidit. §. in hac. ff. eod. & ita accipitur hic in tit. nostro, differtque à superioribus, quia furti, & vi
3 bonorum raptorum actio, tunc datur cum rem meam tecum aufers, legis vero Aquiliæ tunc demum cum eam destruis, aut occidis.

Quot sint legis Aquiliæ capita.

Olim tria fuerunt legis Aquiliæ capita, quorum secundum recessit ab aula vtpotè sub aliis satis comprætensum, ideo hodie duo tantummodo sunt, vnũ qđ punit damno afficientem res alterius perimendo seruos, aut animalia, quę pecudum numero sunt, alterum quod punit, non occidentem, sed vulnerantem, vel alio modo læ-
4 dentem seruum, aut animal quod pecudum numero sit, vel occidentem quidem animal, sed non pecudum numero contentum, item & inferẽtem damnum in alijs quibuscunque rebus, quę anima carent, de quibus omnibus infra videbimus.

SVMMARIVM.

1 *Quando detur, leg. Aquiliæ actio ex primo capite.*
2 *Ad quid detur, cui, & contra quem.*
3 *Quæ requirantur ad hoc vt locum habeat.*
4 *Iniuria qualiter in hoc tit. accipiatur.*
5 *An casu occidens teneatur, l. Aquilia.*
6 *Medicus suscipiens ægrotum, & postea deserens, ad quid teneatur.*
7 *Imperitia annumeratur culpæ.*
8 *Infirmitas annumeratur culpæ.*

§. 1. & §. iniuria cum §§. seqq.

Quando detur actio ex primo, l. Aquiliæ capite.

Actio ex primo l. Aquilię capite tunc demum datur, cum quis iniustè occidit seruum alie-
1 num, alienamve quadrupedem, quæ pecudum numero sit §. 1. hoc tit. & l. 2. ff. eod. & sic seruum Aquilius pecudi comparat, quia quoad ius ciuile attinet, seruus pro nullo habetur l. quod attinet. ff. de reg. iur. de alienoque loquitur, quia proprium seruum olim Dominus occidere poterat, vt supra in primo libro est expositum.

Ad quid detur.

Actio l. Aquiliæ ex primo capite descendens datur ad id quanti plurimi valuit seruus, vel animal infra annum retrorsus computandum ex quo seruus, vel animal occisum est d. §. 1. hoc tit. & d. l. 2. & 21. ff. eod. ideo si seruus, tempore quo occisus est, sit claudus manus, aut luscus, & ob id parui pretij, qui tamen eo anno fuit integer, & pretiosus, fiet æstimatio, non quãti hodie est, sed quanti eo anno plurimi fuit §. his autem verbis hoc tit. & l. 2. ff. eod. atque ita alterius æstimationis est l. Aquiliæ actio, alterius cõdictio ex causa furtiua, quæ nõ egreditur retrorsus iudicij accipiendi tẽpus l. 2. ff. de priuat. delict. quinimo non solum occisi corporis æstimatio, quanti plurimi fiet, sed etiam eius quod interest nostra, seruum occisum nõ esse, veluti si quis seruum meum hæredem institutum iniuria occidat, antequã iussu meo hæreditatem adeat, non solum æstimabitur quanti plurimi eo anno seruus fuit, sed etiam a-
2 missæ hæreditatis ratio habebitur §. illud non ex verbis hoc tit. & d. l. 21. 22. & 23. ff. eod. & hoc nõ ex l. Aquilia, sed ex prudentum interpretatione,

vt

vt in d. §. illud non ex verbis, sic si habeo quadri-
gam equorum, aut par mularũ, & tu ex quadri-
ga equorum vnum, aut ex pari mularum vnam
iniuria occidas condemnaberis ex l. Aquilia quã-
ti plurimi equus, aut mula in eo anno fuit, secun-
dum communem æstimationem, non singularẽ
affectionem leg. si seruum meum ff. eod. gloss. hic
in verbo plurimi fieri, & hoc amplius ex interpre
tatione prudentum, quanti depretiati sunt equi,
qui supersunt, aut quãti depretiata est mula, quæ
superest d. §. illud non ex verbis, & d. l. 22. ff. eod.

Cui, & contra quem detur.

Legis Aquiliæ actio datur ei, qui damnum §.
hanc actionẽ, & 44. ff. eod. iniuria passus est,
ac etiã eius hæredi, & successorib. l. 23. sed in hæ-
redem, vel cæteros non datur, cum sit pœnalis, &
pœnales actiones ad hæredes non transeant, nisi
lis fuerit cum defuncto inchoata l. omnes pęnales
ff. de action. & obligat. vel hæres ex damno locu-
pletior factus d. l. 23. §. hanc actionem pœnalem
autem hanc actionem ex eo esse cõstat, vt inquit
Imperator hic, ꝙ non solum tanti quisque obli-
gatur, quantum damni dedit, sed aliquãdo longe
pluris, quando scilicet animal intra annum pluris
valuit, quam quo tempore interfectum est, vnde
licet quandoq. non competat in plus, vt si fortè
res perempta toto anno non pluris valuit, quàm
tempore occisionis, tamen per hoc non desinit
esse pęnalis, quia inspicitur eius origo, & qđ apta
nata sit esse pœnalis, præterea dici etiam potest
pœnalis, quia per inficiationem crescit in duplũ,
vt videbimus in §. ex maleficijs inf. de action.

Quæ requirantur ad hoc, vt locum habeat.

AD hoc, vt hæc actio l. Aquiliæ ex primo ca-
pite locum habeat.

Requiritur, & primò, ꝙ quis occidat, nã si vul-
neret, vel alio modo lædat, nõ ex hoc, sed ex ter-
tio l. Aquiliæ capite agi debet, vt inf. videbimus.
3 Secundò requiritur, quod occidatur seruus, vel
animal pecudum numero contentum d. §. 1. hoc
tit. & d. l. 2. ff. eod. dicuntur autem pecudes, om-
nia animalia, quæ gregatim pascuntur, vt oues,
equi, muli, boues, sues, & similia d. §. 1. & d. l. 2. &
l. legatis seruis. §. pecoribus. ff. de leg. 3. qui igitur
feras bestias, vel canem occidit, cum nõ sint ani-
malia pecudum numero contenta, non tenetur
ex hoc primo capite, sed ex tertio, vt infra vide-
bimus, nisi sint animalia fera, quæ operam iumẽ-
torum pręstent, vt cameli, nam tunc pro mansue-
tis habentur d. l. 2. §. fin. ff. eod.

Tertiò requiritur, quod iniuria occidat, nec. n.
sufficit seruum occisum esse, nisi etiam iniuria id
sit factum l. 3. ff. eod. iniuriam hic non accipimus
pro contumelia, vt in tit. proximè seq. de iniu. sed
4 pro culpa, & pro eo quod non iure fit, vt inf. tit.
proximo in princ. & in l. 5. §. iniuriam, & 45. ff. eo.

cui igitur dolus, aut culpa saltem leuissima impu-
tari nõ potest, nec l. Aquilia tenetur d. l. 45. ideo
furiosus, & infans cum non habeant animi iudi-
cium l. Aquilia nõ tenentur d. l. 5. §. igitur iniuriã,
& animalia irrationabilia, cum in eis non cadat
iniuria, non propriè damnum, sed pauperiem fa-
cere dicuntur, sicq. eorum dominus non actione
l. Aquiliæ, sed de pauperie tenetur d. l. 5. similiter
qui latronem, aut insidiatorem occidit, cũ id iure
permittente faciat l. Aquilia non tenetur si aliter
periculum effugere non poterat d. §. iniuria hoc
tit. & l. 4. ff. eod. sed nec is quidẽ tenetur, qui casu
occidit, si nulla culpa ei imputari potest, vt puta,
quia dans operam rei licitæ, omnia obseruauit,
quæ erant circa talem actũ obseruanda d. §. iniu-
ria, tunc. n. propriè dr̃ casus fortuitus, qui iustissi-
mam excusationẽ, & impunitatis rationẽ habet,
cum præuideri non possit l. quæ fortuitis. C. de pi
5 gnorat. actio. secus tamen est, si culpa eius casus
venerit, nam tunc tenetur etiã si casu occidat, vt
si quis attem iaculatoriã in loco minus consueto
exercens prætereuntem traiecerit d. §. iniuria. itẽ
si putator deijciens ramos, vel aliquid aliud in viã
publicam prætereuntem oppresserit, non edito
clamore, quo is casum euitare posset §. item si pu
tator hoc tit. & l. si putator. ff. eod. vel etiam in viã
priuatam, si per eam frequens sit transitus d. l. si
putator. not. Fab. & Ang. hic, sic si medicus exitio
fuerit ægrotanti propter desertam curationem ab
eo prius susceptam l. Aquilia tenetur §. præterea
6 hoc tit. & l. 8. ff. eo. & hoc, sine gratis ipsum ab ini-
tio curandum susceperit, secundum glo. in d. l. 8.
siue etiam non gratis, nec. n. in hoc casu ob solu-
tionis defectum eum deserere potest, sed curare,
& postea pro suo salario agere debet l. archiatri,
& ibi Bar. C. de professor. & Medic. lib. 10. idẽ est,
si propter imperitiam ęgrotum medicus male se-
cuerit, vel perperam medicamẽtũ ei dederit d. §.
præterea, & d. l. 8. imperitia. n. culpæ adsimilatur,
7 vt hic, & in d. l. 8. proceduntq. hæc omnia non so-
lum in medico, sed etiam in obstetrice, & quo-
cunque artifice, vt notat Ang. hic, & probat tex.
in §. impetu hoc tit. vbi si mulio impetum mula-
rum per imperitiam retinere non potuit, & ob-
uium seruum oppressit, culpæ reus est mulio, &
l. Aquilia tenetur d. §. impetu. idem iuris est si mu
lio propter infirmitatem mulas retinere non po
8 tuit, cum alius firmior eas retinere potuisset d. §.
impetu, & l. 8. § mulionẽ. ff. eod. nec hoc iniquum
videri debet, cum affectare quis non debeat, in
quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmita-
tem suam alij periculosam futuram d. l. 8.

SVMMARIVM.

1 *Pro seruo occiso, et ciuilis, et criminalis actio dat.*
2 *Ciuilis pertinet ad emendationem damni.*
3 *Criminalis ad vindictam publicam.*
4 *An per legem Aquiliam efficiatur præiudicium, leg. Cornelia de sicar.*

§. Libe-

§. Liberum autem.

Qualiter in l. Aquilia procedatur.

SIcut ex quocunque delicto duplex indicium
nascitur, ciuile, & criminale, ita ex l. Aquilia
1 pro seruo occiso competit domino, & ciuilis, &
2 criminalis actio: ciuilis pertinet ad emendatio-
nem damni, & interesse: criminalis ad publicam
3 vindictam, vt quis, scilicet l. Cornelia de sicar. pu-
niatur, si seruum dolo occiderit l. inde ne ratius
§. si dolo. ff. eod. & in tantum dolus requiritur, vt
etiam lata culpa, quæ dolo proxima est, nõ suffi-
ciat l. 1. & l. in l. Corn. ff. ad l. Corn. de sicarijs, dñs
igitur serui occisi, & l. Aquil. & l. Corn. de sicarijs,
si dolus interfuit agere poterit, nec si actum fue-
rit l. Aquilia per hoc præiudicium efficietur, quo
minus agi etiam possit l. Cornelia de sicarijs hoc
est, quod Iurisconsult. vult, cum dicit l. Aquilia præ-
iudicium non fieri Corneliæ in l. 23. §. si dolo. ff.
eod. nec obstat tex. in l. 4. ff. de public. iudic. vbi di
citur actione l. Aquiliæ præiudicium fieri publico
iudicio hoc est l. Corneliæ, nam fit præiudicium
in hoc, vt vtrumque iudicium ciuile, & criminale
eodem tempore intentari non possit, non aliter.

SVMMARIVM.

1 *Qui non occidit, sed vulnerat seruum, vel quadru-
pedem pecudum numero contentam 3. l. Aqui-
liæ capite tenetur.*
2 *Qui quadrupedem, quæ pecudum numero non est,
vulnerat, vel etiã occidit, eodem capite tenetur.*
3 *Tertiũ l. Aquiliæ caput non tantum ad animalia
ptinet, sed etiã ad omnes res, quæ anima carẽt.*
4 *Rupti appellatione quid veniat.*

§. Capite tertio, & §. in cæteris.

Qui teneantur ex tertio l. Aquiliæ capite.

EX tertio l. Aquiliæ tenetur, & primò, is qui
non occidit, sed vulnerat seruum, aut qua-
1 drupedem pecudum numero contentam §. capi-
te tertio hoc tit. & l. 27. §. tertio autẽ capite. ff. eo.
Secũdò, qui quadrupedem, quæ pecudum nu-
2 mero non est, veluti canem, aut feram bestiam
vulnerat, vel etiam occidit hoc eodem capite te-
netur d. §. capite tertio, & d. l. 27. idem & de qui-
buscunque alijs animalibus dicendum est.
Tertiò, non tantum ad animalia pertinet hoc
3 tertium caput, sed etiam ad omnes res, quæ ani-
ma carent §. in cæteris quoque hoc titu. veluti, si
quid vstum, fractum, aut ruptum sit d. §. in cæte-
ris, & quanquam rupti appellatio omnia priora
comprehendat, fractumque, & vstum corrupti
appellatione contineantur, tamen non est nouũ,
vt lex specialiter quibusdam enumeratis, genera-
le subijciat verbum, quo specialia complectatur,
vt hic, & in l. 27. §. inquit lex. ff. eod. ruptum igitur
4 intelligitur, quod quoquomodo corruptum est,
vnde non solum fracta, aut vsta, sed etiam scissa,
& collisa, & effusa, & quoquomodo perempta,
atque deteriora facta hoc verbo cõtinentur d. §.
in cæteris, si quis igitur in alienum vinum, aut o-
leum id miscuerit, quo naturalis bonitas eius cor
rumpatur ex hac parte l. Aquiliæ tenebitur d. §.
in cæteris, & §. inquit. lex. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Sicut in primo, ita & in tertio l. Aquiliæ capite
requiritur dolus, aut culpa.*
2 *In tertio capite æstimatur res quanti in diebus 30.
proximis fuit.*
3 *Differentiæ ratio assignatur.*

§. Illud palam.

*Quæ requirantur ad hoc, vt ex 3. l. Aquiliæ
capite agi possit.*

SIcut in primo l. Aquiliæ capite requiritur do-
lus, aut culpa, ita quoque ad hoc, vt ex tertio
1 capite quis conueniatur, requiritur, quod dam-
num dolo, aut culpa dederit §. illud palam hoc
tit. & l. in lege la 2. ff. eod. æstimaturq. in hoc casu
res, non quanti eo anno, sed quanti in diebus 30.
2 proximis plurimi fuit d. §. illud palam, & l. si ser-
uus. §. tertio capite, & ibi glo. ff. eod. dixi, plurimi
fuit, quia quamuis plurimi verbum in hoc tertio
l. Aquiliæ capite adiectum non sit, ex primo tamẽ
capite supplendum esse prudentibus placuit, æsti-
mationemq. perinde habendam esse, ac si etiam
in hac parte expressum esset d. §. illud, & l. quem-
admodum in fine. ff. eod. ratio autem quare bre-
uius tempus præfixum sit in hoc tertio, quàm in
3 primo capite, secundum glo. hic, & in l. 2. ff. eod.
ea esse videtur, quia grauius delinquit, qui homi-
nem occidit, vel animal pecudum numero con-
tẽtum, quam qui vulnerat hominem, vel occidit
aliud animal, quod pecudum numero non sit, vt
canem, feram bestiam, & alia, ideo grauius etiam
puniri debet, vt pœna commensuretur delicto l.
diuus la 2. ff. ad l. Corneliam de fals.

SVMMARIVM.

1 *Directa actio leg. Aquiliæ contra quem detur.*
2 *Vtilis aduersus quem competat.*
3 *Actio in factum ex l. Aquilia quando detur.*

§. Fin.

Quot actiones in l. Aquilia dentur.

EX damno iniuria dato aliquãdo datur actio
l. Aquiliæ directa, aliquando vtilis, & ali-
quando in factum §. fi. hoc tit. directa datur con-
1 tra eum, qui dedit damnum de corpore in cor-
pus,

pus, vt si manu tua occidas seruum meũ, vel eum de põte in flumẽ deijcias d. §. fin. & l. qua actione §. sed si quis. ff. eod. vtilis aduersus eum competit, qui non corpore, sed aliquo medio damnũ præ-
2 stat, vt si quis pecus incluserit, vt fame necaretur, vel exagitauerit, vt præcipitaretur d. §. fin. in factũ verò datur, quando damni causa tam remota est, vt quis suo corpore nocuisse minime videatur, tunc enim, quia de tali specie non tractat l. Aquilia, actio in factum datur, quæ hac ratione subsi-
3 diaria dicitur, veluti, si quis misericordia ductus liberet seruum alienum, quem dominus ad castigandum posuit in cõpedibus, vel alibi clausit, qui postea aufugit d. §. fin. & l. si seruum. §. fin. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Iniuriæ verbum varie accipitur.*
3 *Verbũ iniuriæ qualiter in titulo nostro accipiatur.*

DE INIVRIIS. Tit. IV.

In principium Tituli.

1 PRoponitur quarta, & vltima priuatorum delictorum species ab Imperatore hic, quæ iniuria appellatur, & concordat tit. ff. eod.

Quot modis iniuriæ verbum accipiatur.

INiuriæ verbum in iure nostro, variæ significationis est, vt videre est ex principio tituli nostri, & ex l. 1. ff. eodem, generaliter siquidem accipitur pro omni eo quod non iure fit, specialiter vero tripliciter.

Primò pro iniquitate, & iniustitia quadã, vt cũ
2 iudex inique, & iniuste contra aliquem sententiã profert, tunc. n. ille contra quem sententia fertur iniuriam accepisse dicitur, vt hic in princ. tit.

Secundò pro damno, & culpa non iure dato, vt in l. Aquilia de quo superiori tit. diximus.
3 Tertiò pro contumelia reali, vel verbali alteri illata, & ita accipitur hic in tit. nostro.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit iniuria.*
2 *Quot modis committatur.*
3 *Qui teneantur actione iniuriarum.*
4 *Quæ requirantur ad hoc, vt competat.*
5 *Differẽtia inter l. Aquiliam, & iniuriarũ actionẽ.*

§. Iniuria.

Quid sit Iniuria.

1 INiuria est maleficium quo quis corpus dignitatem, vel famam alterius dolo lædit §. iniuria hoc tit. & l. 1. ff. eod.

Iniuria quot modis committi, & fieri dicatur.

INiuria tribus modis cõmitti, & fieri dicitur, re, verbis, & literis, re fit iniuria, cum alicui manus infertur, & eius corpus læditur fustibus, pugnis, aut verberibus d. §. iniuria, hoc tit. sic re
2 fieri dicitur, cum quis sciens nihil sibi deberi, petit se mitti in possessionem bonorũ alicuius quasi debitoris, qui nihil tamẽ debet, facit. n. hoc modo, vt homines existiment eum non esse soluendo, quod ignominiosum est, dict. §. iniuria, quinimo talis potest etiã de falso puniri, tãquã obrepserit iudici l. si quis obrepserit ff. ad l. Cornel. de fals. verbis fit iniuria, cum quis ad alterius ignominiam verba iniuriosa profert, literis, cum carmẽ aut aliud quid simile cõponit. dicto. §. iniuria.

Qui teneantur actione iniuriarum.

ACtione iniuriarum tenetur, primò, is qui bona alterius quasi debitoris possidet, sciens nihil sibi deberi.

Secũdò, qui alterũ pugnis, vel fustib. verberat.

Tertiò, qui conuiciũ fecerit, & verba ignominiosa contra aliquem protulit d. §. iniuria, veluti, si quis furem, latronem, homicidam, aut nequã nominet aliquem, qui tamẽ fur, latro, vel nequã non sit, nam si talis fuerit, non tenetur, sic enim Paulus scriptum reliquit, eum qui nocentem infamauit, non esse ob eam rem cõdemnandum, cũ expediat peccata nocentium nota esse l. eum qui nocẽtem ff. de iniur. Horat. lib. 2. sermon. Satyr. 1.

—si quis
Opprobrijs dignum latrauerit, integer ipse,
Soluentur risu tabulæ, tu missus abibis.

Intellige hoc verũ, si obijciatur legitimè, & in iudicio, secus si extra, nã tunc tenetur, etiamsi conuicium scire Reipub. intersit, nec veritas cõuicij, hoc casu, aut Reipub. vtilitas ei patrocinatur, quia in actione iniuriarum animus iniuriandi sẽper cõsideratur tanquã substantiale huius actionis requisitum l. illud. ff. eod. & secũdum hanc distinctionem sępius in camera Imperiali iudicatũ fuisse refert Gail pract. obseruat. lib. 5. obseruat. 99. in fi. nec refert, an huiusmodi verba ad hoc, vt quis actione iniuriarum teneatur, proferantur cum vociferatione in hominum cætu, quo casu propriè conuicium dicitur, vel non, vt est tex. in l. item apud §. conuicium, & §. ex his. ff. eodem.

Quarto tenetur, qui libellum, seu carmen ad infamiam alicuius componit. d. §. iniuria, hoc tit.
3 l. lex Cornelia §. si quis librum, & l. item apud §. generaliter ff. eod. nec solum ille, qui composuit tenetur, sed etiam qui scripsit, secũdum Fab. hic. quinimo, & qui inuenit, & non corrupit, sed dolosè manifestauit l. vnica C. de famos. libell. item, & qui vendendum aut emendum curauit d. l. lex Cornelia §. si quis ff. eod. huius enim generis iniurię pro atrocissimis iniurijs habitæ semper fuerunt,

runt, quod vel ex eo intelligi potest, quod veteres iniuriam scripto factam, capitis pœna vindicādā censuerunt Cicer. lib. 4. de Repub. nostræ, inquit, 12. tabulæ, cùm perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauerunt, si quis carmē condidisset, quod infamiam faceret, Augustus postea Imperator capitalem pœnam sustulit, auctore Horat. lib. 2. epist. ad Augustum.

---Quin etiam lex
Pœnaq. lata, malo quæ nollet carmine quēquā
Describi: vertere modum formi dine fustis
Ad bene dicendum delectandumque poetæ.

Cæterum Valētianus, & valens Imperatores, pœnam l. 12. tab. rursus in vsum reuocarunt d. l. vnica C. de famos. libell.

Quinto, qui matremfamilias .i. notæ auctoritatis fœminam aut prætextatum, vel prætextatā adsectatus fuerit, vel appellauerit, similiter iniuriarū actione tenetur d. §. iniuria adsectatur qui tacitus frequēter insequitur, assidua enim frequētia, quasi non nullam præbet infamiam d. l. item apud §. adsectatur, appellat, qui blando sermone eius pudicitiā attentat. d. l. itē apud §. appellare, sic, & is qui vtitur verbis turpibus, licet non tētet pudicitiam, cū contra bonos mores faciat, iniuriarum actione tenetur d. §. appellare. & generaliter, vt vno verbo dicam, quicunque fecerit, vel dixerit aliquid per quod alterius famam, & estimationem læserit, iniuriarum actione tenetur d. l. item apud §. generaliter ff. eod. nec solum si ipsemet fecerit, vel dixerit, sed etiam, si iniuriam per alios fieri curauerit, vt faciunt hi, qui pueros ad iniuriosas vociferationes concitant d. l. item apud §. fecisse conuicium ff. eod. prætextatum, & prætextatam, hoc in loco accipimus pro adolescentibus, & puellis ipso habitu ingenuitatem præseferentibus l. 3. §. fina. ff. de liber. exhib. erat enim prætexta vestis qua pueri Romanorū vsque ad annū 17. vtebantur, inde prætexta dicta, quòd eius circuitus purpura prętextus esset.

Quæ requirantur ad hoc, vt iniuriarum actio competat.

VT generaliter traditum est animum, & intentionem facientis distinguere maleficia, ita, & iniuria ex facientis animo æstimatur l. 3. §. 1. ff. eod. ideo nemo iniuriam facere potest, nisi 4 qui doli capax sit l. illud. ff. eod. & sic dolus, & iniuriandi animus requiritur ad hoc, vt iniuriarū actio competat d. l. 3. §. 1. qui animus, & dolus semper in iniuriante doli capace præsumitur, si actus eiusmodi sit, vt sit illicitus, adeo quod ille qui iniuriarum actione conuenitur, se non dolo fecisse, aut dixisse probare debet, q̄ probatio per quam difficilis est, vt optimè demōstrat Vulteius hic, apud quem vide, differt igitur hæc actio à superiori, primo, qnia in l. Aquilia etiam leuissima culpa sufficit l. in lege la 2. ff. ad l. Aquil. non sic in actione iniuriarum in qua dolus, & iniuriādi animus requiritur d. l. 3. §. 1. ff. eod. ideo percutere volēs seruum, si percutiat alium, Aquilia tenetur l. 45. §. qui cum aliter. ff. ad l. Aquil. non item iniuriarum l. 4. ff. de iniur. Aquilia enim nō iure factū persequitur, etiam si animus contumeliæ faciendæ absit l. 5. ff. ad l. Aquil. at iniuriæ actio contumeliam, & ideo animum iniuriandi vindicat l. 1. 13. & vlt. ff. de iniur. l. si non conuicij. C. eod.

SVMMARIVM.

1 *Qui iniuriam in propriam personam passus iniuriarum agere potest.*
2 *Pater pro iniuria illata filio quem in potestate habet, iniuriarum agere potest.*
3 *Marito pro iniuria illata vxori, iniuriarum actio competit.*
4 *Socero pro iniuria facta nurui.*
5 *Domino pro iniuria illata seruo.*

§. Patitur.

Quibus iniuriarum actio competat.

1 INiuriarum actio datur primo ei, qui iniuriam propriam personam passus est §. patitur hoc tit. l. 1. ff. eodem.

2 Secundo patri pro iniuria illata filio, quem in potestate habet d. §. patitur, potest. n. pater, & filij, & suo nomine iniuriarum agere l. pater. ff. eo. nisi filius volens ludibrio habitus sit, nā tunc pater nomine suo tantum actionem habet, cum volenti iniuria non fiat l. 1. §. vsque adeo, & l. si quis seruum. ff. eod. dixi quem in potestate habet, quia pro iniuria facta filio emācipato pater agere nō potest, vt Doct. omnes hic adu. rsus glo. tenent.

3 Tertiò cōpetit marito pro iniuria illata vxori d. §. patitur, & d. l. 1. §. item aut. ff. eodem, non sic vxori pro iniuria facta marito, defendi enim vxores à viris, non viros ab vxoribus æquum est d. §. patitur, & l. 2. ff. eod.

4 Quartò competit socero pro iniuria illata nurui, si filium in potestate habeat d. §. patitur, & d. l. 1. §. item autem.

Quinto competit domino pro iniuria illata seruo, in duobus tamen casibus tantum, vnus est, quando atrox est iniuria, alter, quando in contu-5 meliam domini facta est §. seruis autem hoc tit. exceptis ijs dominus non agit, sed ne delicta impunita maneāt, cum ipse seruus de per se actionem habere non possit, & pro nihilo reputetur, Iudex ex officio suo iniuriantem punire debet l. item apud §. si quis. ff. eod. & si seruus duorū cōmunis sit, vtrique actio competit §. at si quis hoc titu. quod si vnus vsumfructum, alter proprietatē habet, proprietario soli competit d. §. at si quis, nisi iniuria in vsufructuarij contumeliam iniuria facta sit, nā tunc, & ipse actionem habet secundū glo. hic, cui conuenit tex. in l. item apud §. vsumfructum, & §. si liberum. ff. eod. pro iniuria autem illata

illata libero homini bona fide possesso non possessori, sed ipsimet libero homini actio competit, nisi in possessoris contumeliam facta sit §. sed si libero homini hoc tit. & d. §. si liberum, sic & pro iniuria facta alieno seruo bona fide possesso dño serui, & non possessori actio competit, nisi vt sup. diximus in possidentis contumeliã facta sit d. §. sed si libero homini, & d. l. item apud §. si liberũ.

SVMMARIVM.

1 *Olim iniuriarum pœna erat talio.*
2 *Hodie æstimatur iniuria secundum personæ qualitatem.*
3 *Seruus actor medij actus, & cõpeditus quis dicatur.*

§. Pœna.

Quæ sit pœna iniuriarum.

OLim iniuriarum pœna ex l. 12. tab. pro mẽbro rupto erat talio. i. similitudo supplicij
1 secundum glo. hic, pro membro vero fracto erat pecuniaria, at hodie, qui iniuriam passus est eam æstimare potest æstimationeq; facta iudex, vel tãti reum condemnare debet, quanti iniuriam passus æstimauerit, vel minoris prout ei melius videbitur habita ratione psonæ cui iniuria facta est gradus,
2 & dignitas §. pœna hoc tit. & l. sed si vnus. §. seruus meus. ff. eod. huiusmodique obseruatio habet locum etiã in seruilibus personis, vt aliud in seruo actore, aliud in medij actus homine, aliud in vilissimo, & cõpedito ius æstimationis cõstituatur d. §. pœna, & l. item apud §. itaque prætor. ff. eod. seruus actor dicitur is cui dominus omniũ rerũ
3 suarum procurationem credidit, medij actus, qui & Mediastinus dicitur, cui quarundam rerum procuratio credita est, compeditus, qui vinctus detinetur l. 1. §. pẽnul. & l. sed, & si se tuo. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Iniuriarum actio regulariter prætoria est.*
2 *In tribus casibus est ciuilis.*
3 *Differentia inter prætoriam, & ciuilem.*

§. Sed, & lex Cornelia.

Quo iure iniuriarum actio inducta sit.

1 IVre prætorio iniuriarum actionem inductam esse clarissimi iuris est, vnde, & prętoriam esse constat, exceptis tribus casibus in quibus ciuilis est, veluti, cum quis pulsatus, verberatus, aut per vim in domum eius introitum est, in ijs. n. casib.,
2 quia non ipsi Prætores, sed Cornelius Sylla iniuriarum actionem induxit, nõ prætoria etiam, sed ciuilis dr̃ §. sed, & lex cornelia hoc tit. & l. lex cor-
3 nelia. ff. eo d. differentia maxima est, quia prętoria spacio vnius anni tollitur l. si nõ cõuicij, vbi Cyn, & alij C. eod. ciuilis perpetuo durat.

Thadæi Pisonis Comment. Instit.

SVMMARIVM.

1 *Atrox iniuria grauius punitur.*
2 *Atrox iniuria quot modis fieri dicatur.*

§. Atrox.

QVia atrox iniuria grauius puniri solet, quam leuis, vt habemus supra in §. seruis, & in §.
1 pœna, & in l. aut facta. ff. de pœn. & quia etiam certis personis non datur iniuriarũ actio. nisi pro atroci iniuria, vt in d. §. seruis, & in l. prætor. §. præterea. ff. eodem, ideo declarat Imper. hic, quæ nam dicatur atrox iniuria.

Atrox iniuria quot modis fieri dicatur.

ATtrox iniuria multis modis fieri dicitur. Primo ratione facti, vt si quis vulneratus, aut fustibus cęsus sit §. atrox hoc tit. l. prætor. §. fin. & l. vulneris. ff. eod.

Secundo ratione personæ, vt si magistratui, parenti, vel patrono fiat d. §. atrox, & l. sed si vnus.
2 §. quædam. ff. eod. vel à plebeio homini in dignitate constituto l. atrocem. C. eod.

Tertio ratione loci, vt si in conspectu iudicis, in foro, vel in templo facta sit, nonnunquam etiã locus vulneris iniuriam atrocem facit, veluti, si quis in oculo percussus sit d. §. atrox.

Quarto ratione temporis, vt si fiat tempore conuiuij, vel ludorum l. prætor. §. atrocem. ff. eod. atrox etiam iniuria dicitur, cũ alterius vestes scinduntur, aut lacerantur l. sed quæstionis. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Pro quacunque iniuria, & ciuiliter, & criminaliter agi potest.*
2 *Ciuiliter quando intentari dicatur.*
3 *Criminaliter qualiter intentetur.*

§. In summa.

Qualiter agatur in actione iniuriarum.

PRo quacunque iniuria siue leui, siue atroci, verbali, aut reali, ille qui iniuriam passus est
1 agere potest, vel ciuiliter, vel criminaliter §. in sũma hoc tit. sed quando ciuiliter fuit actum, nõ potest criminaliter amplius agi, & è cõtra, vtraq; enim actio ad vindictam tendit, ideo vna electa, altera tollitur l. quod Senatusconf. in fi. ff. eod. & tradit glo. hic, ciuiliter tunc intentari dicitur, qñ
2 actor æstimat iniuriam, & pœnam sibi applicari petit, criminaliter quando simpliciter reũ puniri petit, & hoc casu pœna est arbitraria, potestq; Iudex reo imponere, vel pœnam corporalẽ cõ-
3 sideratis circunstantijs, vel pecuniariam applicãdam fisco secundum glo. & Doct. hic.

V SVM-

SVMMARIVM.

1 *Dissimulatione iniuriarum actio tollitur.*
2 *Morte extinguitur iniuriarum actio.*

§. Fin.

Quot modis iniuriarum actio tollatur.

INiuriarum actio tollitur, primo dissimulatione, veluti, cum quis iniuriam sibi illatam non
1 statim ad animum reuocat, sed eam quoquo modo, vel negligit, vel prorsus vult esse sopitam §. fi. hoc tit. & l. non solum. §. 1. ff. eod.

Secundo per pactum l. si tibi decem. §. quidam. ff. de pact.

Tertio per transactionem d. l. non solum.

Quarto per iuramētum reo delatum, qui iurat se nō fecisse animo iniuriādi Doct. in d. l. nō solū.

Quinto tollitur satisfactione, qui enim satisfactionem accipit iniuriam remittere censetur l. sed si vnus. §. ante iudicem. ff. eod.

2 Sexto extinguitur morte iniuriati lite nondum contestata, morte vero iniuriantis etiam post litis contestationem l. item apud §. iniuriarū actio, & l. iniuriarum la. 1. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quæ obligationes ex quasi delicto descendere dicantur.*
3 *Quot sint species quasi delicti.*
4 *Quæ sit prima species quasi delicti.*

DE OBLIGATIONIBVS, quæ ex quasi delicto nascuntur.
Titulus V.

In principium tituli.

1 HActenus dictum est de obligationibus, quæ ex contractu, vel quasi, item quæ ex delicto descendunt, nunc de his, quæ ex quasi delicto dicamus.

Quæ dicantur obligationes ex quasi delicto.

OLigationes ex quasi delicto dicuntur illæ, in quibus non ex dolo, aut culpa propria,
2 sed ex imperitia, negligētia, vel alieno facto peccare dicimur §. 1. hoc tit. & l. si iudex. ff. de var. & extraordin. cognit.

Quot sint species quasi delicti.

3 TRes sunt species quasi delicti, quæ ab Imperatore in hoc tit. proponuntur, de quibus omnibus sigillatim à nobis videndum erit.

Quæ sit prima species quasi delicti.

PRima species quasi delicti est, quando iudex per imperitiam male iudicat, tunc enim li-
4 tem facit suam, & parti læsæ, inquantum alterius iudicis religioni æquum videbitur, habita erroris, & imperitiæ ratione tenebitur, vt hic in princ. tit. & in d. l. si iudex, dixi imperitia, quia si dolo, amore, aut odio iniustam sententiā ferat, tunc non ex quasi, sed ex vero delicto tenetur, & si causa fuerit ciuilis ignominia notatus triplum litis rependere cogitur, si criminalis omnib. bonis cōfiscatis in exilium mittitur l. fin. & Auth. nouo iure C. de pęn. iudic. qui male iudicauer. idem dicēdū est de arbitro, cōpromissario, & delegato iudice examinatore testiū, & notario l. si quis in cōscribendo circa fin. C. de pact. l. fin. & ibi Doct. ff. de var. & extraord. cognit. l. fi. C. de magistr. conuenien.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sit secunda species quasi delicti.*
2 *Qua pœna teneantur effundentes, vel deijcientes.*
3 *Habens aliquid suspensum in loco vbi iter est, similiter tenetur ex quasi delicto.*

§. Is cum duobus seqq.

Quæ sit secunda species quasi delicti.

SEcunda species quasi delicti est, si quid deijciatur, vel effundatur ex domo, quod transe-
1 untem lędat in persona, rebus, aut vestib. tunc. n. nō ille, qui deijcit, vel effundit tenetur, sed inhabitans, & hoc siue sit dñs ædiū, siue cōductor, siue etiā gratis habitet, & tenetur, non quidē ex maleficio, quia plerunq. non culpa ipsius contingit, vt quod dejcitur, vel effunditur, transeunti noceat, sed culpa serui, vel liberi, vt dicit Imper. hic, sed ex quasi delicto, quia quodammodo in culpa est dñs, & quodammodo deliquisse videtur, ꝙ in suo cęnaculo habuerit incautum, & improuidū seruum, aut liberū, qui deiecerit, vel effuderit quod noceret §. item is hoc titu. & tot. tit. ff. de his, qui deiecerunt, vel effuder. sequitur ergo, quod si culpa inhabitantis aliquid deijciatur, vel effundatur, ipse inhabitans delinquat, & ex delicto l. Aquilia tenebitur, vt optimè Borcholten hic tradit.

2 Qua autem pœna effundens, vel deijciens teneatur, distinguendum est, nam aut damnum datum est in rebus, & tunc tenetur effundens ad duplum damni dati §. cui similis est hoc tit. aut datum est in persona, & rursus distinguendum est, quia aut liber homo occisus est, & pœna 50. aureorum locum habet, aut solum vulneratus est, & arbitrio iudicis, inquantum ei æquum visum fuerit, condemnabitur reus ad expensas factas in curatione, in salarijs medicorum, in operis quib. caruit stante infirmitate, & quib. in posterum cariturus

riturus

riturus est, & ad cętera damna d.§. cui similis, & l. fin. ff. de his, qui deiecer. vel effuder. quinimo, & si quis habeat aliquid positum, vel suspensum in
3 loco vbi iter fit, & vbi si eadere posset alicui noceret, similiter ex quasi delicto tenetur ex sola retentione appēsi ad pœnam 10. aureorum, etiam si nullum damnum datum sit d.§. cui similis, & l. ex maleficijs §. cui similis. ff. de action. & obligat. & hoc propter publicam vtilitatem, cum publicè intersit sine metu, & periculo per itinera comeari l. 1. §. 1. ff. de his, qui deiecer. vel effuderunt, & hoc siue in villa, siue in ciuitate quis suspēsum habeat l. pen. ff. de his qui deiecer. semper enim ea loca pquæ vulgò iter fieri solet securitatem habere debent d. l. 1. §. 1. aduertendum tamen est, qđ licet paterfamilias, vt diximus pro tota familia filijs, & seruis, ac etiā hospitib. deijcientib. aut effundētib. teneatur, hoc tamen verum est, in filiofamilias, si cū patre habitet, secus si seorsum à patre habitationem habeat, nam tunc non tenetur pater, sed ipsemet filius §. si filiusfamilias hoc tit. & l. 1. §. si filiusfamilias. ff. de his qui deiecer. vel effuder.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sit tertia species quasi delicti.*
2 *Quæ actio detur ex quasi delicto.*

§. Item exercitor.

Quæ sit tertia species quasi delicti.

TErtia species quasi delicti est, quando furtū in naui, caupona, aut stabulo factū est, tunc
1 enim exercitor nauis ad quem quotidianus quęstus nauis pertinet, caupo, qui viatores hospitio recipit, & stabularius, qui permittit iumenta apud se stabulari, tenentur ex furto facto in ipsa naui, caupona, & stabulo per eos, quorum opera nauem, cauponam, aut stabulum exercent, non quidem ex delicto, cum ipsi non fecerint, sed sed ex quasi delicto, aliquantum enim culpæ rei sunt, quoḋ opera malorum hominum vtantur §. item exercitor hoc tit. dixi per eos quorum opera nauem, cauponam, aut stabulum exercēt, quia si ipsimet committant non ex quasi, sed ex proprio delicto tenentur d.§. exercitor, & tot. tit. ff. nautæ, caupones, & stabularij, & ff. furti aduersus naut. caupon. & stabular.

Quæ actio detur ex quasi delicto.

2 EX quasi delicto datur actio, quæ appellatur in factum, eo quod facta varianr, & prout quodque factum erit concipitur, competitque etiam hæredi, aduersus tamen hæredem non datur, cum eius respectu pœnalis sit rex. est in d.§. exercitor in fine, & in §. non autem infra de perpetuis, & temporalibus action.

SVMMARIVM.

1 *Commendatio tituli.*
2 *Continuatio, & concordantes tituli.*
3 *Quot modis accipiatur actionis vocabulum.*
4 *Qua de causa instituta sint actiones.*
5 *Quid sit libellus.*
6 *Libellus duplex.*
7 *Differentia inter libellum, & petitionem.*
8 *Quæ requirantur in libello.*
9 *In narratione quæ consideranda sint.*
10 *Circa causam quæ in libello exprimi debet quid obseruandum.*
11 *Conclusio in libello necessaria est exceptis certis casibus hic enumeratis.*
12 *Clausulæ quæ in libellis apponi solent.*
13 *Casus in quibus libellus non est necessarius.*

DE ACTIONIBVS.
Titulus VI.

In principium tituli.

DOctrinam actionum reliquas ferè omnes iuris nostri, & præcipuè Institutionum ma-
1 terias antecellere communi Doctorum omnium sententia constat, omnia enim quæ hactenus dicta sunt, & in cęteris partibus iuris latissimè hinc inde sparsa hic compendio quodam comprehenduntur, & licet plurimi de difficultate huius tituli conquerantur, eam tamen ex commentariorum prolixitate, & opinionum varietate potius, quàm ex re ipsa procedere resecatis Doctorum ambagibus quibus inter se certāt, & fine aliquo fructu dissentiunt facilè cognoscere poterimus.

Continuatur tit. noster cum superioribus hoc pacto, cum omne ius quo vtimur, vel ad perso-
2 nas, vel ad res, vel ad actiones pertineat §. fin. supra de iur. natural. gent. & ciuil. & de personis in primo libro actum fit, de rebus respectu dominij in secundo, de rebus respectu obligationis in tertio, & vsque ad hunc titulum, sequitur nunc, vt de actionibus tanquam obligationum effectibus videamus, verboq. superest vsus est Imperator hic, vt totius operis implementum denotet, & quamuis hæc continuatio non sit secundum regulam l. 1. ff. de statu homin. tamen bona est, quia etiam ad remota fieri potest, quoties materiæ intermediæ non sunt difformes, vt per Ias. hic num. 8. per tex. in l. 1. in princ. ff. si tabulæ testam. nullæ extab. cum hoc tit. concordant ferè omnes pandectarum tituli, specialiter tamen concordat tit. ff. de action. & obligat.

Quot modis accipiatur vocabulum actionis.

3 QVatuor modis accipitur, primo pro actu quodam, vt dici solet de actionibus humanis, & ita sumitur in iuribus per glo. hic allegatis.

3 Secundo pro accusatione criminali,vt in l.vnica.C.quando ciuilis actio criminali præiudic.
Tertio pro administratione,vt in §.iusiurandũ Auth.vt iudices sine quoquo suffrag.fiant.
Quarto, & vlt. pro iure agendi,& persequẽdi, qđ sibi debetur, & ita accipitur hic in tit. nostro.

Quæ de causa institutæ sint actiones.

TRibus ex causis actiones institui solent,primo,vt actor ius suum declarare possit.
Secundo, vt reus ex libello instructus deliberare
4 tare possit, an cedere, vel contendere velit iuxta tex.in l.1.ff.de eden.
Tertio,vt iudex secundum libelli formam sententiam ferat l.vinum,& ibi Ias.ff.si cert.pet.nam vltra id,quod petitur pronunciare non potest l. fin. & ibi Bald.C.de fideicommiss.libert. & quia in formatione libelli tota vis actionis consistit, ideo aliqua de eius conceptione videbimus, antequam vlterius progrediamur.

Quid sit libellus.

LIbellus est breuis scriptura claram petitionẽ actoris continens contra aduersarium in-
5 ferens,& concludens l.ampliorem.§.1.C.de appellat.§.sancimus.Authen. de exhiben.reis,& ibi glo.in verbo libellum.

Quot sint species libelli.

LIbellus duplex est accusatorius, & ciuilis,
6 accusatorius dicitur inscriptio l.qui crimen C.qui accusare nõ possunt, seu libellus querimonialis appellatur glo.in cap.1.de libell.oblat.l.libellorum.ff.de accusat.ciuilis dicitur conuentionalis d.§.sancimus.& quandoque dicitur petitio, vt in cap.1.vt lite non contest.verum differentia est inter libellum,& petitionem de iure ciuili.
Primò, quia libellus datur in scriptis, petitio fit sine scriptis,& oretenus,licèt postea redigatur in scriptis Ias.hic in §.tripli num.33.
Secundò libellus debet continere intentionem
7 actoris solemniter,& secundum iuris formam, at petitio sufficit,quod sit talis qualis continens intentionem agentis, vt idem Ias. tradit in l.non solum.§.morte num.46.ff.de noui oper.nunciat. & pract.Papiens. in forma actionis realis.

Quæ requirantur in libello.

TRia necessaria sunt in omni libello, scilicet, facti narratio,causa, seu medium conclu-
8 dendi,& conclusio Bart.in l.si prius. ff.de noui oper. nunciat. & sic libellus nil aliud est, quam syllogismus iuristarum, sicut enim syllogismus Logicorum consistit ex maiore,minore, & consequentia, ita apud Legistas libellus ex tribus constare debet ex narratione facti, quæ habetur pro maiore ex causa, siue medio concludendi, quæ est loco minoris, & ex conclusione, quæ necessario sequitur ex medio concludendi, circa narrationem tria sunt spectanda,primo,quod sit breuis, & dilucida.
9 Secundò, quod in ea proponantur vtilia, & necessaria.
Tertiò,vt narratio ipsa sit generalis,ita tamen, vt ex ea eliciatur causa petendi, seu mediũ concludendi,& hoc,quia propter generalitatem plures vias actor ad probandam suam intentionem habere potest,circa causã,quæ in libello exprimi debet,animaduertẽdũ est, ꝙ in qualibet actione duplex est causa petendi proxima, & remota, in actione personali causa ꝓxima est obligatio l.licet.§.ea obligatio.ff.de procur. causa verò remota est contractus l.cõsensu.l.actionum genera.§. actionum.ff.de action.& obligat.in hac personali actione causa remota semper exprimi debet hoc pacto, peto decem à te ex mutuo, vel deposito, ex hac enim resultat causa proxima, obligatio.s. sed sola expressio causæ proximæ nõ sufficit,veluti,peto decẽ ad quæ es mihi obligatus, & ratio est,qa hoc modo esset libellus incertus,nec reus posset deliberare, an velit cedere,vel cõtẽdere glo.in l.1. ff.de eden. in actione verò reali causa proxima est dominiũ l.in rem. ff.de rei vindicat. causa remota est tit.ex quo dominiũ quæsitũ est, & in hac actione reali sufficit exprimere causam proximã,veluti, peto talem rem,quæ mea est iure dominij,vel quasi,& ratio est,quia reus ex tali libello certus redditur,an velit cedere,vel cõtendere, cũ plures nõ possint eiusdẽ rei dominiũ insolidum habere l.si vt certo.§.si duob.vehiculũ.ff.
10 cõmodat.sicut nec dominiũ potest cõtingere alicui ex pluribus causis l.3.§.ex pluribus.ff.d acquir. possess.nec est op⁹,vt adijciatur ex qua causa sim dñs, quia hoc ex probationib. deinde apparebit, obseruandum tamen est, ꝙ quamuis non sit necesse actori allegare causam remotã,puta legati, donationis,& similium,tñ vtilius erit ei etiã causam remotam adijcere, quia si succumbat ex vna causa,puta legati,poterit eandem rem petere ex alia causa puta donationis , nec obstabit ei exceptio rei iudicatæ,si saltẽ istã secundã causã ignorans omiserit,secus si sciẽs,& animo fatigãdi hoc fecerit,nam tũc amplius nõ auditur pulcher tex. in l.de reb.ff.de recept.arbitr.vbi talis malitia,punitur,notant Doct.in l.si mater.§.1.& 2.ff.de except.rei iudic. sed si tantũ causam proximam expressit.s.dominium , tunc licet in processu vnam tantum prosequatur,puta legati, tamen si succũbat, obstabit ei exceptio rei iudicatæ,quia omne ius suum in iudicium deduxisse videtur, cum res nisi semel nostra esse non possit,elegans tex.in l. si mater.§.eandẽ,& in l.& an eadem.§.actiones. ff.de except.rei iudic.quoad conclusionem etiam sciendum est , quòd in omni libello ea necessaria est,quia iudex non impartitur officium suum nisi petenti l.4.§.hoc autem.ff.de damno infecto,
ideo

ideo dixit Innocen. in c. super literis de rescript.
quod nõ attenditur id quod narratur, sed quod
concluditur, & dicit Bald. in l. nec quicquam §.
vbi decretũ ff. de offic. Proconsul. & legat. quod
conclusio restringit narrata in libello ad ea quæ
petuntur in cõclusione, qua de re extat pulcherrima
decisio apud Thom. Minad. prima i ordine,
adde Abbat. in cap. ex parte extra de for. compe.
qui dicit quòd narratio petitorij non est attendẽda
si concludatur in possessorio tantum, verum
bene est, quod multi sunt casus, in quibus quamuis
omittatur conclusio, libellus sustinetur.

Primus est in causis criminalibus in quibus licet
apponatur conclusio quæ non conueniat actioni,
libellus nihilominus sustinetur But. in cap.
11 examinata de iudic. Ratio est, quia causæ criminales
intentantur ad publicam vindictam, & officium
iudicis est curare, vt prouincia sit quieta
l. congruit, ff. de offic. presid.

Secundus est, in possessorio recuperandæ, &
hoc in odiũ violẽti inuasoris glo. in c. quia 1. q. 1.

Tertius est, in causis matrimonialibus, & spiritualibus
ea ratione, quia in eis officium iudicis
exuberat Hostiens. in cap. 1. extra de litis cõtest.

Quartus est in omnib. causis in quibus iudex
procedit ex officio suo nobili Ias. & alij recentiores
in l. 1. ff. de edend. quæ autem sint illæ causæ
in quib. iudex accommodat officium suum etiã
non imploratum, habemus apud Bart. aurigam
nostrum in l. 4. §. hoc autem ff. de damn. infect.

Quintus casus est, in causis, quę coram summ.
Pont. vel Principe tractantur Innoc. quem sequuntur
omnes attestantes de stylo curię in c.
1. de litis contestat.

Sextus est, quãdo vltra narrationem esset aliquod
verbũ quod saperet conclusionẽ, vt si dicatur,
ego cõqueror de Titio cui mutuaui decẽ,
& nõ restituit Ias. in §. omniũ inf. hoc tit. nu. 135.
alios casus videte apud Felin. in c. 1. de lit. cõtestat,
vnũ omittere nõ possũ, quãdo in libello apposita
est clausula ista, super quib. omnib. peto
mihi ius, & iustitiam administrari omni meliori
modo hęc enim clausula est tãtę efficacię, vt eius
virtute, omnis actio, omneq. remediũ cõpetens
resultans ex narratis cẽseatur in iudicio deductũ
Ange. & Ias. in d. §. omniũ nu. 149 Felin. in cap.
cũ super de offic. delegat. qui sex effectus istius
clausulę refert, quinimo virtute d. clausulę poterit
iudex pronũciare etiã super nõ expresse petitis,
vt in camera Imperiali iudicatũ fuisse refert Gail
lib. 1. pract. obseruat. cap. 61. num. 12. aduertendũ
tamen est, quod d. clausula tunc demum hũc
effectum producit cum id ad commodum actoris
cedit, secus si in eius detrimentum redũdet,
nam tunc potius standum est conclusioni, quàm
quod libellus extendatur pręter intentionem actoris
Hartmanus Pistorius quęstion. lib. 1. c. 45.
num. 26. adsunt alię clausulę, quę in calce libelli
apponi solent, & multum vtiles sunt, veluti illa,
non se astringens ad probandum non necessaria,
sed ea tantum quę sufficiunt ad victoriã causę
obtinendam, quæ operatur, vt actor non teneatur
probare qualitatem in libello deductam.
12 alias sine huiusmodi clausula, nõ probãdo qualitatem
in libello deductam, dato quod probaret
factum principale, succumberet Barto. in l. diuus
ff. de re iudicat. nec non illa, & protestatur de
expensis, & c. per quam cẽsetur interpellatus iudex,
vt cõdemnet victum victori ad expensas, ad
quas non tenetur condemnare, si non petantur,
licet posset, si vellet, sed propter dictam clausulã
tenetur omnino declarare super expensis Barto.
in l. properandum. §. sin autem. C. de iudic. debet
etiam cõtinere libellus nomen iudicis corã quo
porrigitur, non tamen est necesse exprimere nomen
propriũ, sed sufficit eum nominare per nomen
sui officij Maran. in sua pract. par. 6. memb.
3. iudic. illud omittendum non est, quod licet de
iure semper debeat offerri libellus, & iudici in iudicio
porrigi, attamen multæ etiam causæ sunt,
in quibus non est necessarius.

Et primo, quatuor enumerantur in clem. dispendiosam
de iudic. scilicet, causæ beneficiales,
13 matrimoniales, decimarum, & vsurarum.

Secundo causæ minorum maximè vilium personarum
sine libello expediuntur §. sit tibi Auth.
de mand. Princip. plures alios casus videte apud
Socin. senior. regul. 289. illud. obseruantes, quod
in omnibus casibus in quibus libellus nõ est necessarius,
licet offerre petitionem viua voce, &
eam facere in scriptis redigere per Notarium, vt
re postea exigente eiusdem copia haberi possit
clem. sæpe de verb. signific.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit actio.*
2 *Quotuplex sit.*
3 *Quæ sint actiones merè reales.*
4 *Quæ merè personales.*
5 *Differentia inter reales, & personales actiones.*
6 *Secunda actionum diuisio est, quod aliæ sunt mixtæ, & aliæ in rem scriptæ.*
7 *Actio in rem scripta in quo differat à mere reali, & à mere personali.*
8 *Quæ differentia sit inter actiones mixtas, & in rem scriptas.*
9 *Actiones aliæ ciuiles, & aliæ Prætoriæ sunt.*
10 *Aliæ persecutoriæ rei, aliæ pœnales, & aliæ mixtæ.*
11 *Aliæ in simplum, aliæ in duplum, aliæ in triplum, & aliæ in quadruplum.*
12 *Quæ sint actiones bonæ fidei, & quæ stricti iuris.*
13 *Quædam actiones in solidum, & quædam in id tantum quod quis facere potest dantur.*
14 *Quæ actiones directæ, & quæ vtiles dicantur.*
15 *Alia diuisio inter directas, & vtiles, quæ omnino diuersa est à superiori.*
16 *Diuisio actionum in vniuersales generalis, & singulares.*

17 *Actiones reales personalibus digniores sunt.*
18 *Quid sit rei vindicatio.*
19 *Quæ requirantur ad hoc vt locum habeat.*
20 *Cui detur.*
21 *Contra quem detur.*
22 *Ad quid detur.*

§. Primo, & §. omnium.

Quid sit actio.

ACtio est ius persequendi in iudicio quod sibi debetur §. 1. hoc tit. ius hoc in loco acci-
1 pitur pro facultate agendi sicut in l. 1. ff. de vsufruct. pro facultate fruendi, & in l. 1. ff. de seruit. rustic. prædior. pro facultate eundi, & ambulãdi, & sic dr res incorporalis, licet eius exercitium in facto consistat dr persequendi, vt excludatur exceptio, q̃ nõ est ius persequẽdi, sed repellendi, & excludẽdi intentionẽ agentis l. 1. ff. de except. dr in iudicio, quia q̃ extra iudicium fit, actionis nomen nõ meretur l. extat. ff. de eo, quod met. caus.

Quot sint actionum species.

MVltæ, & variæ sunt actionum species, quæ hic ab Imperatore nostro per totum hunc
2 titulum recensentur, & à Doctor. multis in locis collectæ referuntur, quas omnes etiam nos breuiter hic enarrabimus.

Quæ sit prima actionum diuisio.

PRima, & principalis actionum diuisio est, q̃ aliæ merè reales, & aliæ merè personales sunt, quæ diuisio à causa materiali desumpta est, omnium enim actionum materia hæc est, vt aut in personam dirigantur, aut in rem §. omnium hoc tit. & l. actionum genera. ff. eod.

Quæ dicantur actiones merè reales.

ACtiones merè reales sunt, quæ ad rem vindicandam contra quemcunque possessorem competunt, qui rem possidet, vel detinet d. l. obli-
3 gationum genera, & l. officinm. ff. de rei vindicat. competũtq. vel ratione directi dominij, qñ actor est directus dñs l. in rem. ff. de rei vindicat. vel ratione vtilis si sit vasallus, aut emphyteuta, quo casu vtilis rei vindicatio datur l. 1. & ibi glo. ff. si ager vectigal. pet. vel ratione quasi dominij de quo in §. sed istæ hoc tit. vel ratione seruitutis de qua in §. æque eod. tit. vel occasione pignoris, aut hypothecæ de quibus in §. item seruiana hoc eod. tit.

Quæ dicantur actiones merè personales.

MErè personales actiones sunt, in quibus agimus contra eum, qui ex contractu, vel quasi ex delicto, vel quasi nobis obligatus est ad aliquid dandum, vel faciendum, & semper aduersus eundem locum habent d. l. actionum ge-
4 nera ff. eod. dictæque sunt personales à personis litigantium quibus cohærent.

Et primo ex parte actoris adeò eius ossibus infixæ sunt præsertim directæ, vt ab eo euelli nõ possint glo. i l. 3. ff. pro socio, ideo quamuis actor ius suum alteri cedere possit, tamen vtiles actiones tantum transferuntur non directæ, quæ ab ipso separari non possunt glo. in d. l. 3. idem & de hærede dicendum est, vt scilicet, tantum vtilis actio ei competat.

Secundo ex parte rei etiam nunquam egrediuntur eius personam, præsertim si ex delicto, vel quasi prouenient, vt notat Iason hic num. 2.

Quæ differentia sit inter reales, & personales actiones.

MVltis modis reales, & personales actiones inter se differunt.

Et primo origine, personales enim ex contractu, vel quasi item ex delicto, vel quasi descendunt, reales ex iure quod quis in rem per alios possessam habet.

Secundo differunt in modo procedendi, aliter
5 enim proceditur in actionibus realibus, in quib. causa proxima, dominium scilicet, vel ius in re exprimi debet, aliter in personalibus, vbi nõ causa proxima, vt obligatio, sed remota hoc est contractus, vel quasi item delictum, vel quasi exprimi debet, vt supra diximus.

Tertio differunt natura, quia personales actiones non egrediuntur personã obligatã, sed reales dantur contra quẽcunque possessorẽ d. l. actionũ genera ff. eod. & d. l. officium. ff. de rei vendicat.

Quarto differunt effectu, quia in personali declaratur rem actori debitam, in reali rem actoris esse Bart. in l. ex diuerso. §. vbi autem. ff. de rei vindicat. de ijs realibus actionibus habemus ab hoc §. omnium vsque ad §. sed istæ.

Quæ sit secunda actionum diuisio.

SEcunda actionum diuisio est, quod aliæ actiones sunt mixtæ, & aliæ inscriptæ mixtæ sunt, quæ mixtam naturã habent inter reales, & personales, & in quibus agimus ad id quod, & nostrum est, & nobis debetur huiusmodi sunt actio familiæ ercisciundæ, communi diuidũdo, & finium regundorum de quibus in §. quædam hoc tit. quare autem dicantur mixtæ multæ rationes assignãtur per Doct. quarum prima est Alberici in rubrica ff. si cert. pet. qui dicit, quòd ideo dicuntur mixtæ, quia in re communi quilibet partẽ habet in qualibet minima parte l. 2. C. quãdo, & quibus quarta pars lib. 10. vnde pro parte quæ est sua, actio est realis pro parte quæ est cohæredis est personalis, alia est ratio Iasonis hic in §. quædam, scilicet, quod sit realis quatenus peto rem mihi assignari, quod sit personalis quatenus peto fructus, &

& impensas per tex. in l. item labeo. §. fin. ff. famil. ercisc. vbi familiæ erciscundę iudicium constat ex duobus ex rebus, scilicet, & præstationibus quæ sunt personales actiones, aliæ sunt personales in rem scriptæ, quæ origine quidem personales sunt eo quod ex contractu, vel quasi ex maleficio, vel quasi sicut exteræ personales oriuntur, tamen quia possessorem rei semper concomitantur sicut reales, ideo in rem scriptæ dicun-
6 tur Doct. plura exempla afferunt.

Primum in interdictis per tex. in l. 1. §. fin. ff. de interd. vbi interdicta omnia licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt.

Secundum exemplum adducunt in actione quod metus causa, quæ psonalis est, vt in §. præterea hoc tit. & tamē datur aduersus omnes possidentes l. metum 9. §. vlt. ff. de eo quod met. caus. vbi actio quod metus causa in rem scripta est, nec personam tantum vim facientis coercet, sed aduersus omnes restitutio datur, idem habetur in l. itē si 14. §. 1. & §. in hac eod. tit. vbi in hac actione Vulp. ait, non quæritur, vtrum is qui conuenitur, an alius metum fecerit, sufficit enim dicere metum sibi fuisse illatum, diuersum est in actione de dolo, in qua designari oportet persona cuius dolo factum sit l. sed, & dolo §. vlt. ff. de dolo. l. apud Cels. §. vlt. ff. de dol. mal. except. ratio differentiæ est, quia dolus infamat, non sic actio qđ metus causa l. 1. §. ait Prætor. ff. de dolo, verū exceptio doli in rē scripta est l. 2. §. planè. ff. de dol. mal. except. ratio est, quia quando excipitur, nō quæritur principaliter de auctore doli, sed solum an in ea re dolo malo aliquid factum sit.

Tertium addunt exemplum in actione ad exhibendum, quæ est personalis l. 3. §. est autem. ff. ad exhib. & datur contra quemlibet possidentē, siue naturaliter, siue ciuiliter possideat d. l. 3. §. vlt.

Actio personalis in rem scripta in quo differat à mere reali.

Differt primo in hoc, quod realis nullā præsupponit obligationem, personalis in rem scripta præsupponit obligationem, cum oriatur ex contractu, vel quasi ex maleficio, vel quasi.

Secundo differt, quia realis datur cōtra eum possidentem non qua sit obligatus, sed quia possidet l. officium. ff. de rei vindicat. l. actionum genera. ff. de actio. & obligat. personalis autem in rem scripta datur non quia reus possideat, sed quia est obligatus ex sua possessione l. de eo §. fin. ff. ad exhiben. vbi hæres tenetur ex sua, non ex defuncti possessione.

Actio in rem scripta in quo differat à mere personali.

Differt etiam à mere personali, primo in hoc quia personalis sequitur vniuersalem successorem l. pro hæreditarijs. C. de hæredit. actio. & non sequitur singularem successorem l. 1. §. si hęres. ff. ad Senatusc. Trebell. l. fin. §. fin. ff. de contrah. empt. at personalis in rem scripta, licet præsupponat obligationem, tamen in effectu sequitur successorem etiam singularem Bart. in l. si tertius. § si quis. ff. de aqua pluuia arcenda. secundo personalis transiens cōtra singularem successorē est eadem numero, at personalis in rem scripta, transiens contra singularem successorē nō est eadem numero, sed genere tm̄ Bart. in d. l. si tertius. §. si quis, nunc quæ differentiæ sint, etiam inter mixtas, & personales in rem scriptas videamus.

Quæ differentia sit inter actiones mixtas, & in rem scriptas.

Prima differentia est, actiones mixtæ origine sunt personales, tamen ex propria sua natura habent effectum realium, at personales in rem scriptæ quamuis origine sint personales, tamen habent effectum realium non ex propria natura, sed ex æquitate, & legis potestate.

Secunda mixtæ oriuntur vno modo, idest, ex quasi contractu §. inter aliquos supra de obligat. quæ ex quasi contract. at personales in rem scri-
8 ptæ oriuntur aliquando ex quasi contractu, aliquando ex maleficio, vel quasi.

Tertia mixtæ competūt ratione dominij l. sed etsi loci §. finium. ff. finium regund. at personales in rem scriptæ competunt etiam ratione cuiuscunque interesse l. 3. §. fin. ff. ad exhib.

Quarta personales in rem scriptę diriguntur contra quemcunque possessorem, at mixtę non diriguntur contra quemcunque possessorem, sed contra cohęredes tm̄ l. 1. ff. fam. ercisc. verū quia obstat tex. in l. 1. C. commun. diuid. vbi habetur, quod si frater pignori dederit rem communem, Pręses cognoscet de diuisione inter fratrē, & creditorem, ex quo patet, quod mixta dirigitur etiā contra tertium possessorem, ideo responde, quod mixtę possunt egredi personam primi, & trāsire in alium, dummodo secūdus habeat titulum quē habebat primus, idest, sit dominus rei cōmunis, nam tunc eadem est ratio, quę in primo, & satis est, quod non transit contra nudum possessorem.

Quæ sit tertia actionum diuisio.

Tertia actionum diuisio est, quod alię sunt ciuiles, alię Pretorię, & hęc diuisio à causa efficiente ducta est, ciuiles dicuntur, quę vel ex l. 12.
9 tab. vel plebiscitis, vel responsis prudentum, vel constitutionibus Principum producuntur, Pretorię verò sunt, quę in defectum ciuilium actionū, aut à Pretore, aut ab ędilibus curulib. introductę fuerunt de quib. habemus à d. §. sed istę vsq; ad §. sequens, & qsq. etiā actio, quę de sui natura ciuilis est, propterea quod aliqua additur à Pretore, pretoria dici potest, vt actio cōmodati, petitio hęreditatis, & similes, de quib. Ang. in d. §. sed istę.

Quæ

Quæ sit quarta actionum diuisio.

QVarta actionum diuisio est quod aliæ actiones sunt persecutoriæ rei, aliæ pœnales, & aliæ mixtæ, estque hæc diuisio à causa finali pe-
10 tita, hic enim est finis omnium actionum, vt per eas persequamur, vel rem nostram, vt in rei vindicatione, vel nobis debitam, vt in omnib. actionibus, quæ ex cōtractu descendunt, vel pœnā, vt in actionibus ex maleficio descendentibus, quæ tantū pœnæ persequendæ causa comparatę sūt, veluti, actio furti, in qua siue manifesti, quadrupli, siue nō manifesti, dupli, de sola pœna agitur, actio de albo corrupto, de in ius vocando, & similes in quibus pœnam tantū persequimur, vel rem, & pœnam simul, vt in actione vi bonorū raptorū, l. Aquiliæ, & damni iniuria dati, de quib. omnib. habemus à d. §. sequēs vsque ad §. omnes.

Quæ sit quinta actionum diuisio.

QVinta, aliæ sunt actiones quæ in simplum, aliæ quæ in duplum, aliæ quæ in triplū, & aliæ quæ in quadruplum dātur; & hæc diuisio ad formalem causam spectat, in simplum agitur, quando actio descendit ex aliquo contractu bonæ fidei, suntq. huiusmodi actiones in simplum
11 eædem cum actionibus rei persecutorijs, in duplum agitur ex furto nō manifesto, ex l. Aquilia, ex deposito in certis casibus, ex seruo corrupto, & ex legato venerabilibus locis facto, in triplum agitur, cum actores maiorem vera æstimatione quantitatē in libello exprimunt, vt ex hac causa litium executores ampliorem summā sportularum nomine exigant, in quadruplum agitur ex furto manifesto, actione quod met' causa, actione in factum, ex edicto de calumniatoribus, & contra executores litium plus debito exigentes, suntque tales actiones in duplum, triplū, & quadruplū, partim pęnales, et partim mixtę, de hisq. habemus a dicto §. omnes, vsque ad §. actionū.

Quæ sit sexta actionum diuisio.

SExta actionū diuisio est, quòd aliæ actiones sūt bonę fidei, & alię stricti iuris, quæ diuisio ab intrinseca qualitate, & substātiali causa deducta est, bonæ fidei actiones sūt in quibus magis inspicitur bona fides, & in quib. nō solū veniunt eæ res, quæ in petitione, vel conuentione sunt, & de quibus actū est, sed omnes personales præstationes, itē accessiones, atq. adeo omne quod alterū alteri ex ęquo, & bono prestare conuenit, tales sūt ex empto, vēdito, locato, cōducto, & similes, stricti vero iuris sūt quæ nō ita exuberant in bona fide, & in quib. nihil magis peti potest
12 aut debetur, quā de quo expresse partes inter se conuenerūt, vt fit in mutuo, & similib. & de ijs habemus a d. §. actionum, vsq. ad §. præterea, ad hanc quoq; diuisionem referri possunt arbitrarię actiones propter cognationem q̄ cum actionib. stricti iuris habēt, sunt enim arbitrariæ, in quibus mercenariuū iudicis officium exercetur propter aliquod accidens præter naturam actionis propositæ, vt cōdemnatio fiat vltra id, in quod obligatio prius cōtracta erat, idq; multis modis cōtingere potest, veluti, ratione loci, propter iuramentū in litē, propter iudicis interrogationē, vt in noxalib. actionib. & respectu pęnę, vt in actione quod metus causa, de quib. Ias. in d. §. præterea, bonæ fidei igitur actiones arbitrarię nō sūt, quia licet cōdemnatio fiat vltra id, ad quod prius obligatio cōtracta fuit, hoc tamē nō est præter naturam, sed secundum naturam, quæ in eis est, vt in eis veniat, quicquid ęquum est venire l. in bonæ fidei ff. de eo quod certo loco, at actiones stricti iuris regulariter abhorent, vt in plus fiat condemnatio, quam partes expresserunt, ideo si propter aliquod accidens iudex incipiat habere arbitriū cōdemnandi præter naturā actionis, arbitrariæ dicūtur, veluti, si iudex præcipiat rē restitui, & reus sit contumax in restituendo, iudex propter hoc accidēs habet arbitrium, vt deferat iuramentū in litē de affectione, & iuxta illud cōdemnet Ias. in action. bus ff. de in litem iurando.

Quæ sit septima actionum diuisio.

SEptima, quędam actiones sunt, quę in solidū, & quædam, quæ in id tantum, quod quis facere potest, dantur, quæ diuisio effectum perfe-
13 ctionis respicit, duratque hæc pars a d. §. sunt præterea vsque in finem tituli, verum quia Doctor. in d. §. sunt præterea plures alias actionum species referūt, ideo de ijs etiam nos videbimus.

Quæ sit octaua actionum diuisio.

OCtaua, alię actiones sunt directę, & alię vtiles directæ sunt quas non solum mens, & voluntas, sed etiā verba legis præstant, vtiles sūt quæ non ex verbis, sed ex mente legis in alio casu simili ad exemplum earum dantur, ideo, quādo iuris subtilitate nulla actio prodita est, vtilis actio constituitur æquitate suadente tex. est in l. 2. §. quanquam ff. de aqua pluuia arcend. idem tamen consequimur per vtilē quod per directā, vt in l. actio. ff. de negoc. gest. vbi actio negociorū gestorum datur. illi, cuius interest, nec refert, an directa, an vtili agat, vel cōueniatur, quia in iudicijs ciuilibus hæc subtilitas est superuacua, cum maximè vtraque actio sit eiusdem potestatis, & vtraque eundē effectū habeat, exēplū, si quadrupes pauperiem fecerit, is qui patitur pauperiem, habet aduersus dominum quadrupedis directā actionem in factum de pauperie, sic à l. 12. tab. nuncupatā modo si nō quadrupes, sed bipes, hoc idem fecerit, certè cum lex 12. tab. quadrupedis tātum mentionem faciat, directa actio dari non potest,

potest, verum quia æquum est actionem dari, & mens legis etiam esse videtur, vt detur, ideo ex mente legis, vtilis hoc casu actio datur, per quã idem consequimur, quod per directam, & sic licet nomine differant, effectu tamen idem sunt.

Quæ sit nona actionum diuisio.

NOna, aliæ actiones dicuntur directæ, & aliæ contrariæ, directæ hoc in loco sunt actiones, quæ oriũtur ex contractib. in quib. nomina contrahentiũ sunt distincta, vt in tutela, mãdato,
15 commodato, deposito, & simílib. inuenta enim fuit primum actio pupillo in tutorem, mãdatori in mandatariũ, commodanti in commodatariũ, deponenti in depositarium, & sic de reliquis, quę quidem actiones, quoniã aduersus illos instituuntur, quorum fidem in curanda re nostra sequimur, directæ nominantur, verum vsu postea rerũ ita postulante, vicissim quoque dãdas esse actiones tutori in pupillum, mãdatario in mandantẽ, commodatario in commodantẽ, & depositario in deponentem visum fuit, quæ quoniam ad cõtrariam partem accommodantur, illisque competunt, qui alienas res curãt, cõtra eos, qui ipsorum beneficia non agnoscunt, & eorum nomine expensas illis reddere nolunt, cõtrariæ vocantur, & sic de reliquis gl. in l. consensu. ff. de action. & oblig. Bar. & Doct. in l. curatores. ff. de nego. gest.

Quæ sit decima actionum diuisio.

DEcima actionum diuisio est, quod aliæ vniuersales sunt, aliæ generales, & aliæ singulares, vniuersales sunt, veluti petitio hęreditatis,
16 cuius nomine continetur vniuersũ ius, quod defunctus habuit. l. hæreditas. ff. de regul. iur. item actio familiæ erciscundæ, in qua agitur ad totã hæreditatem defuncti diuidendã §. quædam hoc tit. item actio dotis, nam similiter dos continet ius vniuersale Bart. in rub. ff. solut. matrim. item actio de peculio, & similes, generales sũt, in quibus agimus actione generali, vt est actio tutelæ, actio pro socio, & similes, & ideo dicuntur generales, non quod vniuersum ius cõtineant, vt vniuersale, sed quod sub vna actione compræhendãt plura capitula, puta administrationem vini, olei, frumenti, & aliorum negotiorum, atque ita actiones vniuersales continent vnũ corpus vniuersum, quod plura iura sub se habet, generales verò continent plura capitula separata, Specul. §. sequitur tit. de action. seu petition. singulares verò actiones sunt, in quib. res particulares persequimur, & non ius quoddam vniuersum, sed vnam tantum rem, vt est rei vindicatio, actio ex empto ad vnã rem, vel ex deposito, & similes, Speculat. in d. §. sequitur, hæc autẽ diuisio non tam ad distinguendas actiones, quam ad cõcipiendos libellos vtilis est, intelligere. n. quæ actio sit vniuersalis, aut generalis, aut singularis viam docet, quã res, quas in iudicio persequimur vniuersaliter, quando generaliter, & quando specialiter in libello assignandæ sint, quod & in executione sententiarum suum vsum habet, de actionibus ciuilibus in rem, vt inf.

De actionibus in rem.

HActenus quo magis rem latissimè patẽtem ad certos locos contraherẽ, singulas actionum diuisiones explicare volui, vt hoc modo ad certam actionum cognitionẽ perducamur, nunc quid vnaquęque sit specialiter, & particulariter explicabimus, & quia reales debent pręcedere personales, vtpote digniores, fortiores, & ampliores, ideo prius de realibus, & postea de personalibus agit Imperator, quòd autem dignior altero sit ille, qui est fortior, & qui ampliorem potestatem habet, probatur ex multis.

17 Et primo per tex. in cap. statuimus. §. fin. & ibi glo. extra de maior. & obed. vbi ille est dignior, & alteri præferẽdus, qui maiorem habet iurisdictionem, ideo Vicarius Episcopi pręfertur Archidiacono Abb. consil. 21. lib. 1.

Secundo facit tex. in cap. cleros 21. dist. & in c. perlectis 25. dist. quib. in locis sanciũ est Archid. præferri Archipresby. quia maiorem administrationẽ habet, licet Archipresb. alio respectu pręferatur Archidiacono, scilicet, ratione ordinis.

Tertio accedat glo. in cap. in nouo 21. distin. quę dicit, quod B. Petrus in administratione fuit maior alijs Apostolis, confert id, quod dixit Bar. in l. 1. §. si quis. ff. de appellat. vbi docuit Cardinales esse preferendos Episcopis, quia illorum administratio maior est, hinc est, quod licet tit. Marchionis sit dignior Comite, tamen Comes magnę Prouincię, vt Comes Flandrię, prefertur minutis Marchionibus, Afflict. cap. 1. num. 8. quis dicatur Dux, Marchio, aut Comes in vsibus feudorum, inter reales actiones postea simplicius agendum esse videtur de singularibus, quàm vniuersalibus, & primò de rei vindicat.

De rei vindicatione.

PRima actio realis, quæ proponitur ab Imperatore hic est rei vendicatio, de qua habemus titulum. ff. & C. de rei vindicat.

Quid sit rei vindicatio.

REi vindicatio nihil aliud est, quàm actio in rem, per quam rem nostrã, quæ ab alio, qui se Dominum eius esse dicit, possidetur, petimus d. §. omnium vers. aut cum eo hoc tit. & d. l. actionum genera. ff. de actionibus, & obligat.

Quæ requirantur ad hoc, vt rei vindicatio locum habeat.

EX parte actoris Dominium cuius probatio difficillima est, & per eundem actorem fieri

debet

debet.l.Actor.C.de Proba. l. in rem. & ibi DD. notant.ff.de Rei vindicatio,proinde admonet.I. C.in l.is qui destinauit.ff.de Rei vendicat. quòd is,qui destinauit rem petere, debet animaduertere an aliquo interdicto possit nancisci possessionem, longè enim commodius est ipsum possidere,& aduersarium ad onera petitoris compellere,quàm alio possidente petere.

Probatur autē Dominiū primo per illos modos quib. Dominia rerū de iure gentiū acquirūtur,de quib. diximus supra in tit. de Rer.Diuis.

Secundo per modos quib. de iure ciuili,quos enumerat glos. in l.1.ff.de acquir. rer.domin. & Bar.in d.l.in rē.& plures alios Speculat. in tit.de locato §.fin.versicul.quinquagesimo sexto quæritur, ex parte verò rei requiritur possessio ciuilis,aut naturalis l.vnica C.de Alienat.iud.mutād. caus. facta.nec refert an bona, vel mala fide, an cū tit.vel siue tit. sit.l.officiū.ff. de Rei vendicat.

Cui detur hæc actio.

Datur rei vindicatio primo ei,qui habet directum Dominium rerum mobilium,immobiliū, & etiam Gregis, quamuis enim hęc actio specialis sit,& singulatum rerum,potest tamen, & grex,& armentum,& equitium vindicari, nec est necesse, quòd singula capita sint actoris,modo maiorem numerum habeat, grex.n.non in singula capita,vel corpora vindicatur,ideo,& in restitutione non venient aliena capita, sed ea tantum,quę actoris sunt l.1.in princ. & in §.vlt.cum l.seq.ff.de rei vindic.nec miraberis,quòd rei vindicatio ad vniuersitatem rerum non competat, vt ad dotem, hęreditatem, peculium, & similia, & tamen grex vtique multa continens possit vindicari, quia grex est vniuersitas facti non iuris, vnde quantum refert inter ius,& factum,tantum distat grex ab vniuersitate rerum.

Secundo datur rei vindicatio etiam ei,qui vtile tm̄ dominium habet, de quo vide Bart.in l.si quis C.de pręscr.30.vel 40.ann.Ang.Ias. & alios hic.

Tertio ei quoq; vtiliter vindicare permittitur, qui per simplicem cessionem, vel per aliquem contractum acquirit actionē in rem à Domino, vel quasi Domino l. vlt. C.de hęred. vel actione vendit.l.si scripti hęredes.C.de petit.hęred.

Contra quem detur.

Rei vindicatio datur 1. contra eum,qui naturaliter,& ciuiliter possidet,hoc est,qui rem corpore,& animo habet per se, vel per aliū l.possideri autem in princ.§.saltus,& §.quod si seruus ff.de acquir.possess.2.etiam contra eum,qui tantum naturaliter possidet l.officium. ff.de rei vendic.l.3.§.pen.ff.ad exhib.3.contra ciuiliter quoq; tm̄ possidentem,hoc est,possessionem animo tm̄ retinentem, licet.n. is aliquando rei restituendę potestatem non habeat, conueniri tamen potest rei vindicatione, vt tradit Bar.in tit.ff.de rei vindicat. restituet enim cum poterit, quarto etiam contra nudum rei detentorem, veluti commodatarium,depositarium,colonum,& similes l.officium.§.quidam.ff.eod.l.1.ff.comodat. sed dicet aliquis,quomodo diis,idemq. possessor aget aduersus eum,qui non est possessor,cōtra regulam §.quę vers.qd genus hoc eod.tit.vbi ei,qui possidet actionem non esse Iustinianus tradit?Dominus.n.est possessor,non commodatarius,depositarius,colonus,aut similes l.rei.ff.cōmodat.l.licet §.rei.ff depos.it.& l.non solet.ff.locat. respondeo non esse absurdum vēdicationem dari Domino, aduersus quoscūq; occupatores rei suę, oportet enim vendicationē esse liberam,& late patentē, vt firma maneat dominiorum distinctio,nec refragatur d.§.quod genus, qa possessori,& tenēti possessionē corpore non est actio in rē prodita, at si alius eam detineat, suadet publica vtilitas, actionem non denegari, quinto datur etiā cōtra eum,qui dolo possidere desijt l.qui dolo,& l. parem.ff.de reg.iur.l.si autem.§.sed,& is.ff.eod.de rei vendic.&cum rem non habeat,q̄ restituere possit,iurabitur aduersus eum in litem l.qui restituere.ff.eod.sexto aduersus quoq; eū datur,q nō possidet, nec detinet, nec dolo possidere desijt, sed fatetur possessionē, & se liti offert, quāuis re vera non possideat,imputet enim sibi quare mentitus sit l.is qui se obtulit l.si autem,& fin.ff.eod.

Ad quid detur.

Primo ad rem corporalem, & particularem d.§.omnium hoc tit.& l.vendicatio.ff.eod.

Secundo ad restitutionem fructuum, in quib. tamen distinguendum est inter bonę, & malę fidei possessorem,nam malę fidei possessor ad omnes tām perceptos,quām percipiendos,& qui p̄cipi potuissent, tenetur tām naturales, quām industriales, sed bonę fidei possessor,ante litis contestationem extantes tantum,post verò litē contestatam omnes restituere tenetur l.fructus, & l. ex diuerso.§.vbi autem.ff.eod.l.certum.C.eod.

SVMMARIVM.

§.Aequę.

§. Aequè.

CVm supra dictum sit de reali actione, quæ pro rebus corporalibus competit, nunc rectè de his ponitur, quæ pro rebus incorporalibus dantur, & concordat titu.ff. & C. de vsufructu cum multis sequentibus, item ff. & C. de seruit. cum alijs similibus.

Quæ actiones competunt pro rebus incorporalibus.

1 DVæ sunt actiones, quæ pro rebus incorporalibus competunt, vna quæ confessoria dicitur, alia quæ negatoria appellatur.

Quid sit confessoria actio.

COnfessoria actio est vindicatio seruitutis à re alterius nobis, vel fundo nostro debitæ,
3 nobis dico propter seruitutē personalem, fundo nostro propter realem, cum pro vtraq. cōpetat §. æquè si agat hoc tit. dictaq. est cōfessoria, quia actor asserit sibi seruitutem deberi d. §. æquè.

Quotuplex sit.

4 DVplex est confessoria actio secundum Mysing. hic num. 16. directa, & vtilis, cui directa detur, item, & vtilis infra videbimus.

Quæ requirantur.

5 AD hoc, vt confessoria actio competat, vnum ex parte actoris requiritur dominium. f. vel ius in re, alterum ex parte rei impedimētum, vt. s. actorem eo iure vti impediat l. si quis. §. 1. ff. si seruit. vindic. notat Faber hic num. 34.

Cui detur.

DAtur hæc actio domino prædij dominātis, nemo enim seruitutē vēdicare potest, quā qui dominiū in fūdo vicino habet, cui seruitutem
6 dicit deberi l. 1. & 2. ff. si seruit. vindic. secūdo vsufructuario propter quē et principaliter introducta fuit, vt perat vsumfructum, tam à Domino seu proprietario, quā ab alio quolibet d. l. 2. in principio, & l. vti frui. §. vtrum ff. si vsusfruct. petat. quòd si fundo fructuario seruitus debeatur, eam non vendicabit, quia videretur seruitutē seruitutis petere, solum igitur ius vtendi fruendi principaliter persequetur, quod sine tali seruitute expediri nō potest l. 1. in principio ff. si vsusfruct. pet. neque. n. pōt soli fructuario seruitus deberi, sed si fūdo debeatur, & ipse fructuarius ea vtetur. Tertio emphiteutæ, vasallo, superficiario, & alijs huiusmodi, vtilis est hæc actio, & vtiliter cōpetit l. ei qui pign. ff. de seru. l. in prouinciali. §. si ego ff. de noui oper. nuncit. l. 1. §. vlti. ff. de superficieb. Quarto datur etiam vtiliter ei, qui ius habet in re, vt creditori, cui prædium dominans obligatum est, potest enim per confessoriam agere ad seruitutes rei oppignoratæ debitas l. ei qui, & ibi Docto. notant. ff. de seruit.

Quinto etiā ei, qui prædiū habet superius vtiliter conceditur ista actio aduersus Dūm inferioris prædij, qui recuset pati seruitutē, quā prędio suo natura dictat l. 1. §. vlt. ff. de Aqua pluuia arcenda.

Contra quem detur.

HAc actione aduersus eū agitur, qui negat, vel impedit vsū seruitutis l. vti frui in principio ff. si vsusfruct. pet. l. si quis forte §. hęc actio, & l. si quis diuturno §. 1. ff. si seruit. vindic.
7 Secundo contra quemuis possessorē fundi seruientis impedientem eum, cui debetur seruitus d. l. vti frui. §. vtrum.
Tertio etiam contra eum, qui dolo possidere desijt, vel se liti obtulit, prout, & de rei vindicatione diximus l. fin. ff. si vsusfruct. pet. tradit. glo. hic in verbo Altius.

Quarto contra quemcunque alium extraneū impedientem vti seruitute debita d. l. si quis diuturno. §. fin. & d. l. vti frui. §. vtrum. ff. si seru. vind.

Ad quid detur.

DAtur hæc actio primo ad seruitutes reales rusticas, & vrbanas §. æque hoc tit.
Secundo ad seruitutes personales, quas alij mixtas appellant, vt vsumfructum, vsum, & habitationem d. §. æquè.

Tertio ad decimas, & alios redditus, si quis in eis impediatur, notant Canonistæ in cap. tua, & in cap. prohibuimus extra de decim.

Quarto ad iurisdictionem, & alia iura incorporalia, ideo si quis turbetur in iure præsentandi, quod patronis ecclesiæ competit, vel in alijs iuribus ecclesiasticis, aut in iurisdictione, confessoria actione rectè experiri poterit secūdum Bald. in rub. C. de vsufruct. Fab. Ias. & alios hic.

Quid sit actio negatoria.

9 NEgatoria actio est vindicatio, seu actio in rem, qua rem nostram aduersario, vel fundo eius seruitutem debere negamus d. §. æquè, diciturque negatoria, quia ille cui competit, negat se seruitutem debere d. §. æquæ.

Quotuplex sit negatoria actio.

10 NEgatoria actio, vt supra quoque de confessoria diximus, duplex est, directa, & vtilis cui vtraque competat infra videbimus.

Quæ requirantur ad hoc, vt competat.

11 EX parte actoris dominiū, vel ius in re, in qua negatur seruitus, ex parte rei vsus seruitutis attentatus l. loci corpus ff. si seruitus vindic.

Cui detur.

Is omnib. hęc negatoria actio cōceditur quib. & confessoria competit, ideo,& quæ superius
12 dicta sunt, hic reponi possunt, & quia regulariter dici solet, actionem confessoriā, & negatoriā domino prædij competere, meritò dubitari poterat an ne concedatur etiam quasi dominis; & eam vtiliter concedi receptū est, exemplo publicianę l.si ego §.de vsufru.ff.de publician.in rem action.

Contra quem detur.

13 Datur contra vtentem, & quemlibet impedientem, siue sit dominus siue possessor fūdi, qui seruitutē sibi competere dicit d.§.æquè, hoc tit. & l.2.ff.si ser.vind.not.Fab.Ias.& alij hic.

Ad quid detur.

14 Datur ad easdem res, seruitutes, scilicet, personales, & reales, rusticas, & vrbanas, nec non alia incorporalia iura, ad quæ confessoria competit d.§.æquè.

SVMMARIVM.

1 *Prætoriæ actiones in triplici differentia sunt.*
2 *Quid sit Publiciana actio.*
3 *Quæ ad eam requirantur.*
4 *Cui detur.*
5 *Contra quem detur.*
6 *Ad quid detur.*

§. Sed istæ.

Diximus supra in principio tituli nostri, in secunda actionum diuisione, quod aliæ actiones ciuiles sunt, & aliæ Prætoriæ, de ciuilibus hactenus dictum est, nunc rectè Prętorię sequuntur.

Quot sint Prætoriæ actiones.

1 Prætoriæ actiones in triplici differentia sunt: aut enim in rem, aut in personam, aut pœnales sunt, in rē, vt actio Publiciana, Rescissoria, Reuocatoria, Seruiana, & quasi Seruiana, in personam, vt actio de constituta pecunia, actio de peculio, & actio in factum ex iuramento præstitum, pœnales, vt actio de albo prætoris corrupto, actio de in ius vocando, actio de vi eximente, & aliæ id genus gloss. in §. pœnales in verbo inumerabiles, hoc tit. de ijs igitur omnibus acturus à realibus in primis instituenda erit tractatio nostra, prout, & de ciuilibus supra factum est, inter quas primo loco se nobis Publiciana offert, quæ à Publicio Prætore nomen suum sortita est, vt habemus hic in fine §. nostri cum quo concordat etiam tit.ff.de Publiciana in rem actione.

Quid sit actio Publiciana.

2 Publiciana, est actio in rem prætoria, per quā petimus id quod nobis ex iusta causa a nō domino traditum, & nondum vsucaptum est. §. sed istæ, hoc tit.l.1.ff.eod.exēpli gratia, emit quis equum bona fide ab aliquo quem dominum esse credebat, qui tamen non erat, amisit postea eundem equum, antequam eum vsucaperet, modo si voluerit agere contra possessorem, rei vindicatione nihil aget, quia in rei vindicatione, vt supra diximus necessarium est ex parte actoris dominiū, quod non habet ille, qui à non domino emit, cū non potuerit plus iuris transferre in eum, quam ipse haberet, ideo cum ipse non est dominus, dominium etiam quod non habuit, transferre nō potuit l.nemo plus iuris ff.de reg. iur. at qa ą non erat, & is qui habet bonam fidem, & iustum titulum actione reali ad recuperandam rem destitueretur, ideo Prætor æquitate motus hanc actionem induxit, quæ Publiciana ab ipso Publicio Prætore nuncupata fuit, per quam is, qui bona fide, & iusto titulo rem à non domino habet, & nondum vsucepit, eam si fortè casu amiserit vindicare potest. d l.1.cum duabus ll.seqq.ff.eod.

Quæ requirantur ad hoc, vt Publiciana actio locum habeat.

3 Ex parte actoris multa requiruntur ad hoc, vt Publiciana actio competat.

Et primò, requiritur traditio in rebus corporalibus, quòd scilicet ei res tradita sit, cum per traditum dominium transferatur. l. traditionib. §.sed istæ, hoc titulo l.1.in principio, & lege cum qui §.fin.ff.eod.vel quasi traditio in rebus incorporalibus, nam in seruitutib. patientia loco traditionis habetur l.quoties, la secunda.ff.de seruitut.vel aliud æquipollens, quód sit loco traditionis, vt in §. interdum, supra de rerum diuis.

Secundo requiritur, iustus titulus, vt scilicet, ei res iusto titulo, vel iusta causa, vt loquitur Imperator hic tradita sit dicto §.sed istæ.

Tertiò, quod acceperit à non domino, quia si à vero domino, statim in eum translatum esset dominium, & non Publiciana, sed rei vindicatione agere posset d.§.sed istæ, & l.1. ff. eod.

Quarto requiritur etiam bona fides, quod, scilicet, rem bona fide acceperit l.eum qui. §.fina.ff. eod.ex parte vero rei requiritur possessio, vel detentio, vel quod dolo desierit possidere, vt supra quoque de rei vindicat. diximus.

Cui detur.

4 Datur hæc actio Publiciana ei, qui ex iusta causa, veluti emptionis, donationis, legati, aut alterius legitimi tituli, nec refert, onerosi, vel lucratiui, rem acceperit à non domino, quem tamen

tamen dominum esse credebat, & deinde amiserit eius rei possessionem, antequam vsucaperet d.§.sed illæ, dixi antequam vsucaperet, quia post completam vsucapionem, non publiciana actio, sed ciuilis rei vindicatio competet l.1.ff.eod.

Contra quem detur.

DAtur contra eum, qui possidet, aut detinet, vel dolo possidere desijt, sicut & de rei vin
5 dicatione dictum est, omnia enim quę seruantur in vna, in alia quoque seruari debent, nisi contrarium expresse statutum sit l.eum qui. §.in publiciana.ff.eod.notat Fab. hic nu.17. aduersus tamẽ verum dominum rei, publiciana actio dari non potest, sed veri dominij exceptio rectè publicianæ objici potest, quæ non ideo comparata est, vt res vero dño auferat, sed vt is, q bona fide emit possessioneq. eius ex iusta causa adeptus est, rẽ potius habeat, quàm ille, qui nullo iure possidet, & nullum ius in re habet l.penul.& fin.ff.eod.

Ad quid detur.

6 COmpetit hæc actio ad res tam corporales, quam incorporales, tam mobiles, quã immobiles l.si ego.ff.eod.& in hoc differt à rei vindicatione, quæ pro rebus corporalibus tantum datur, de quo vide Ias.hic nu.18.

Secundo datur etiam ad damna, fructus, expẽsas, & id quod interest, prout, & rei vindicatio, Ang.Ias.Fab.& alij hic.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit rescissoria actio.*
2 *Quæ requirantur ad hoc, vt competat.*
3 *Cui detur.*
4 *Contra quem detur.*
5 *Ad quid detur.*

§.Rursus.

DIctum est supra de prima actione pretoria, quæ Publiciana dicitur, in qua actor dicit, se vsucepisse rem, vel quasi, quam tamen non vsu cepit, nunc alterum pretoriæ actionis exemplum in hoc §. pponitur, actioni superiori è diametro contrarium, in quo agitur de alia actione ab eodẽ Publicio Prætore proposita, quæ vsucapionẽ cõpletam rescindit, est enim duplex actio Publiciana, vna quæ per fictionem vsucapionem introducit, altera quæ vsucapionem cõpletam rescindit, & ob id rescissoria dicitur l.in honorarijs.ff.de action.& obligat. & de hac pertractabimus hic.

Quid sit rescissoria actio.

ESt actio Prætoria in rem, quæ rescissa vsucapione propter absentiam ex iusta causa, datur pristino rei domino ad rem suam recuperan-
1 dam §.rursus hoc tit. & d.l. in honorarijs. ff.de action.& obligat. rescinditurq. vsucapio, non proprio, & peculiari aliquo iudicio, vt ferè omnes ex interpretibus nostris sentiunt, sed eo ipso, quod Prætor actionem Publicianam, siue Rescissoriam concedit, ita enim Iustinianus Imper. ipsum explicat, dum inquit. ita petere, vt dicat possessorem vsu non cepisse, & ob id suam esse, quod & à Borcholten hic viro doctissimo animaduersum video, nam cũ dicat, ita petere, vt dicat possessorem vsu non cepisse, clarè constat, quod petitio, & actio est ipsa, quæ rescindit vsucapionẽ, & facit possessorem vsu non cepisse, vtraq. igitur actio, tam Publiciana, quam Rescissoria agit de re amissa, sed illa de possessione amissa, hæc de amisso dominio, illa competit bonæ fidei possessori, qui nunquam fuit dominus, hæc ei, qui rei amissæ dominus fuit, ille agit pro vsucapionis suę cõfirmatione, hic pro vsucapionis aduersarij rescissione.

Quæ requirantur ad hoc, vt competat.

REquiritur primo, quod vsucapio cõpleta sit.
2 Secundo, quod quis fuerit absens ex iusta causa, puta Reipubl. militiæ, studiorum, &c.

Tertio, quod actor sit dominus rei.

Quarto, quod reus ipsam rem possideat.

Quinto, & vltimo, quod intra annum intentetur d.§.rursus hoc tit. & d.l.in honorarijs. §.pen. & notat Vulteius hic num.11.

Cui detur.

DAtur primo, ei qui ex iusta causa puta propter Rempubl. captiuitatem ab hostibus, vel literarum studia fuit absens contra eum, qui
3 in ciuitate præsens rem eius vsucepit d.§.rursus, & ibi glo.in verbo abesset hoc tit.

Secundo datur etiam præsenti contra absentẽ d.§.rursus, nec distinguit in hoc casu, ex qua causa fuerit absens, vt notat Mysing.Ias. & alij hic.

Tertio etiam si vterque fuerit absens, hęc actio locum habet secundum glo.hic, & ad hæredes transmittitur l.patri. ff.de minor. l.non solum.ff. de restitut. in integr.

Contra quem detur.

DAtur tam contra absentem, quam contra presentem, vt supra diximus, & monet Cuiac.lib.7.obseruat.cap.31.

Secundo non solum in eum, qui immediatè ex
4 læsione facta lucrum sentit, sed etiam in eum ad quem res peruenit l.in causę cognitione.§.interdum.ff.de minorib.notat Fab.hic nu.20.

Ad quid detur.

AD res corporales, incorporales, mobiles, & immobiles, & tunc dr̃ in rem rescissoria.

Secundo etiam ad actiones personales, & tunc in personam rescissoria dicitur, idem Fab. hic num. 7. & 10.

SVMMARIVM.

1 *Reuocatoria actio magnam cognationem cum publiciana, & rescissoria habet.*
2 *Quid sit reuocatoria actio.*
3 *Quot sint eius species.*
4 *Quid sit actio Pauliana.*
5 *Quæ requirantur ad hoc, vt locum habeat.*
6 *Cui detur.*
7 *Contra quem detur.*
8 *Ad quid detur.*

§. Item si quis in fraudem.

Dictum est supra de prima, & secunda prætoriæ actionis specie, publiciana sci. & rescissoria, nunc alterum prætoriæ actionis exemplũ proponitur, quæ reuocatoria dicitur, in qua agitur de rebus à debitore in fraudem creditorũ alienatis recuperandis, magnamque cognationẽ cum publiciana, & rescissoria habet, nam quemadmodum publiciana, & rescissoria, non de rebus
1 quibusuis, sed tantum de his, quæ nondum, vel vsucaptæ, vel quasi vsucaptæ sunt dantur, ita & reuocatoria non promiscuè de rebus omnibus competit, sed de his tantum, quæ à debitore in fraudem creditorum alienatæ sunt, prætoriæque omnes huiusmodi actiones sunt, cum ius ciuile impedimento sit, quominus eorum nomine rei vindicatione, cõfessoria, aut negatoria agi possit, quippe quod ita has actiones prodidit, vt non dentur, nisi ijs, qui domini sunt, sed hoc impedimentum remouet Prætor, & in publiciana fingit rem esse vsucaptam, eique vim, & effectum vsucapionis accõmodat, in rescissoria rescindit vsucapionem, & eius effectum perimit, in hac reuocatoria rescindit traditionem, atque ita translationem dominij rei à debitore factam reuocat.

Quid sit reuocatoria actio.

Est actio prætoria realis competens creditori contra eum, qui sciens, & particeps fraudis
2 accepit bona à debitore in fraudem creditoris alienata §. item si quis in fraudem hoc tit.

Quot sint species reuocatoriæ actionis.

Multæ, & variæ sunt reuocatoriæ actionis species, quibus quod in fraudem alienatum est, persequimur.

Prima dicitur Pauliana, quæ datur creditori ad bona corporalia debitoris tã mobilia, quàm immobilia in ipsius fraudem alienata, & de hac habemus in hoc §. nostro.

Secunda appellatur actio in factũ, & hæc datur
3 ad bona incorporalia in fraudẽ creditorũ alienata, de qua in l. hac in factum. ff. quæ in fraud. cred.

Tertia dicitur Fauiana, & hæc datur patrono in cuius fraudem libertus aliquid inter viuos alienauit, per quam reuocat ipse patronus res alienatas, vt legitimam portionem in successione liberti consequatur, quæ hodie tertia pars est l. 1. & 2. C. si in fraudem patroni, & l. 1. ff. si quid in fraud. patron. factum est.

Quarta appellatur Caluisiana, quæ indifferenter tam creditori in bonis debitoris, quam patrono in bonis liberti dari solet secundum glo. hic in verbo petere.

Quinta vtilis Fauiana dicitur, & hæc datur impuberi arrogato ad consequendam quartam in bonis arrogatoris in fraudem alienatis l. fin. ff. si quid in fraud. patron. est & sexto loco edictum fraudatorium, quod tunc propriè locum habet, cum quis non rem suam, sed alienam in fraudem alterius alienat. vt est in tutore alienante res pupilli l. pupilli debitor, & ibi glo. & Bar. ff. de solut. verum licet plura sint huiusmodi reuocatoriæ actionis remedia tamen in hoc §. de vna tantum agitur, quæ Pauliana dicitur, & in hoc concordat tit. ff. quæ in fraud. credi. & C. de reuocan. his quę in fraud. credit. alienat. sunt.

Quid sit Pauliana actio.

Actio Pauliana est actio prætoria, qua creditores reuocant id, quod per debitores in fraudem eorum alienatum, & alteri traditum est,
4 perinde ac si alienatio, & traditio nunquam facta fuisset §. item si quis in fraudem hoc tit. & l. 1. C. de reuocan. his, quæ in fraud. credit. alienat. sunt, dictaq. est Pauliana à Paulo Prætore, qui primus eam introduxit, ponamus igitur, quòd quis ære alieno obrutus, fundum in fraudem creditorum alienauerit, creditores bonorum possessione impetrata, & bonis debitoris per curatorem bonorum distractis, si integrum creditum consequi nõ poterant, nullum aliud remedium iuris habebãt, nec enim experiri poterant aduersus eum, qui emerat fundum actione in personã, quia cum eo minime contraxerant, non habebãt etiam actionem in rem, quia non erant domini fundi, Prætor igitur iniquum esse iudicans creditores à debitoribus fraudari, cõcessit eis Paulianam actionem, sic ab eius nomine dictam per quam fundũ alienatum reuocare possunt d. §. item si quis in fraudem, reuocatores tamen fundum, non dicunt fundum ipsorum esse, sed dicunt fundum, rescissa traditione, traditum non esse, & ob id in bonis debitoris mansisse d. §. item si quis in fraudem hoc tit.

Quæ requirantur ad hoc vt valeat.

Requiritur primo, quod alienatio à debitore fraudolenter, & animo decipiendi creditorem facta sit, vt hic in textu nostro, & constat ex rub. ff. & C. quæ in fraud. credit.

Secun-

Secundo requiritur, quod prius excussio bonorum debitoris facta sit, tûc enim si repertum fuerit bona debitoris non sufficere, poterunt creditores agere aduersus eos, in quos alienatio facta est, antequam necessaria est huiusmodi excussio, quia creditores agere non possunt, nisi damnificati sint, quod quidem constare non potest, nisi prius excutiantur bona, vt tradit Ias. num. 67.

Cui detur.

COmpetit hæc actio primo creditori tam ex contractu, vel quasi, quam ex delicto, vel quasi, hi enim omnes propriè creditores dicuntur d. §. item si quis hoc tit. l. 11. & 12. ff. de verborum signific. item tam præsenti, quam futuro, si animo fraudandi futuros creditores alienatio facta sit, vt Ias. notat hic nu. 64. & hoc siue in diê creditor sit, cum iam nata sit obligatio, licet ad diem dilata l. cedere diem. ff. de verborum signif. siue sub conditione, quo casu tamen necesse est, vt purificata sit conditio l. potior in princip. & in §. videamus. ff. qui pot. in pignor. habeât not. Fab. Ang. Ias. & alij hic.

Secundo competit etiam legatarijs, & fideicommissarijs, in quorum frandem res ab hærede alienatæ sunt, quibus, & hypothecaria datur Fab. hic num. 14. & Ias. num. 61.

Tertio competit etiam hæredibus, & successorib. creditorum l. ait prætor. §. fin. ff. quæ in fraucredit. sicut regulariter omnes actiones tam actiuè, quam passiuè ad heredes transeunt, vt in §. 1. infra de perpet. & temporal. action.

Contra quem detur.

DAtur hæc actio primo contra debitorem fraudulenter alienantem l. fin. §. fin. ff. quæ in frau. credit. vt detrudatur in carcerem, si omnia bona alienauit, a qua nec cedendo bonis liberari potest secundum glo. quam Doctor. communiter sequuntur in d. l. fin. §. fin.

Secundo datur etiam côtra possessores bonorum in quos alienatio facta est, etiâ non restituto pretio d. §. item si quis hoc tit. l. si debitor cum l. sequenti. ff. eod. & hoc sine dubio, si titulo lucratiuo res ad eum peruenit, sed si oneroso, tunc demum, si & ipse fuerit particeps fraudis, & nô aliter l. ait prætor in princ. & in §. quod ait prætor, & l. qui autem. §. similique modo. ff. eodem.

Diuersitatis ratio est, quia non est par, & eadê ratio lucri, & damni, vt inquit Imper. in l. fin. ante finem C. de codicill. sed habens rem titulo oneroso tractat de damno vitando, ideo nimirum si requiritur, quod & ipse fuerit in dolo, at habens titulo lucratiuo tractat tantum de lucro captando, ideo mirum non est, si etiam absque fraude, & dolo, ex solo euentu creditoribus teneatur d. §. similique modo.

Tertio datur etiam contra legatarios, quibus in fraudem creditorum aliquid legatum fuit leg. quod autem. §. penult. ff. eodem.

Quarto etiam contra hæredes, & successores bonorum l. ait prætor. ff. eod.

Ad quid detur.

HÆC Pauliana actio datur ad res corporales siue mobiles, siue immobiles, imo etiam ad incorporales. s. vsumfructum, & alias seruitutes, quæ fraude debitoris alienatæ sint reuocâdas secundum glo. hic in verbo eam tem per tex. in l. 3. ff. quæ in fraud. credit.

SVMMARIVM.

§. Item Seruiana.

Quid sit actio Seruiana.

SEruiana est actio prætoria realis, quæ datur domino fundi contra suum colonum ad eius
1 res in fundum, vel rusticum, vel vrbanum illatas pro annua pensione consequenda, quam ei colonus, vel inquilinus soluere tenetur §. item Seruiana hoc tit. & habet nomen hæc actio à Seruio Prætore Romano.

Quæ requirantur ad hoc, vt locum habeat.

PRimo requiritur præcedens contractus locationis.

Secundo res inuentæ, & illatæ in prædium l. 3. & 4. ff. in quibus causis tacitè contrahitur pignus, & l. certi iuris. C. locati.

2 Tertiò, vt conductor ius habeat obligandi res inuectas, & illatas l. qui filias in fi. C. quæ res pignori obligari possunt.

Quarto, vt res sit talis, quæ alijs obligari posset l. ob æs. C. de actionibus, & obligat.

Cui competat.

3 DAtur hæc actio primo domino rustici prædij, secundo domino prædij vrbani l. certi iuris. C. locati, tertio hæredibus locatoris l. viam veritatis. C. locati.

Contra quem.

PRimo datur contra colonum, secundo contra inquilinum, tertio contra coloni, & inquilini

quilini hæredes, quarto contra secundum conductorem, quinto contra quemcunque possesso-
4 rem rerum à conductore illatarum, debitoris tamen in hoc casu, atque fideiussoris bonis prius excussis l. persecutione cum Auth. hoc si debitor, & ibi Doctor. C. de pignoribus, & hypoth. l. certi iuris, & l. nemo. C. locati.

Ad quid detur.

5 DAtur primo hęc actio ad pensionē pro qua res inuectæ, & illatæ tacite obligantur.
Secundo ad id in quo res locata deterior facta est l. est differentia. ff. in quibus causis pignus, vel hypotheca tacite contrahitur Ias. hic num. 77.

Quid sit actio quasi Seruiana, seu hypothecaria.

QVasi Seruiana, seu hypothecaria est actio prætoria realis, qua creditor agit contra
6 possidentē ad rei possessionē consequendā, quæ ipsi iure pignoris, aut hypothecæ expressè est pignorata, vt eā, vel retinere, vel alienare possit, nisi à debitore redempta fuerit Mysing. hic nu. 32.

In quo differat actio quasi Seruiana à Seruiana.

DIfferentia inter actionē Seruianam, & quasi Seruianam hæc est, quia Seruiana ꝓ tacito
7 pignore tantū locatori conceditur, vt supra à nobis dictum est, quasi Seruiana vero cuiuis creditori, cui res expressè est pignorata, competit.

Quæ requirantur ad hanc actionem.

IN hac actione sex præcipuè requiruntur. Primo, quod res ipsa ad quam agendū est fuerit, & sit obligata, vel hominis cōuentione, vel legis prouisione l. cōtrahitur, & l. res hypothecę. ff. de pignorib. & hypothecis, & toto tit. C. in quib. causis pignus, vel hypotheca tacitè contrahitur.
8 Secundo requiritur, quod debitor sit in mora soluendi debitum l. debitor. C. de pignorib.

Tertio, quod debitum sit verum, nam cessante debito, cessat & hæc actio. l. & q̃ nondū. §. qd̃ dr. ff. de pignor. l. solutum. ff. de pignoratitia actione.

Quarto, quod is contra quem agitur rem obligatam possideat l. pignoris persecutio. ff. de pign.

Quinto, quod res ipsa fuerit in bonis debitoris tempore obligationis l. ea quæ nondum. §. qd̃ dr. ff. de pign. l. fi. C. quæ res pignori obligari possūt, nam res aliena sine domini voluntate obligari nō potest l. 1. & 2. C. si res aliena pignori data sit.

Sexto, quod nō sit de debito satisfactum per compensationem fructuū à creditore perceptorum l. 1. C. de distractione pignor. l. 1. in fi. C. de pignoratitia actione cum ibi notatis.

Cui detur.

PRimo datur creditori cui bona debitoris expressè hypothecata sunt l. si debitor, & l. si fundus. §. si duo pariter. ff. de pignor. & hypoth.
9 Secundo hæredibus creditoris l. 1. C. si vnus ex pluribus hæredibus l. solutum. §. si creditori. ff. de pignoratitia actione.

Tertio legatario, cui res legata obligata est.

Quarto cessionario, vel emptori pignoris.

Quinto creditori, cui à priore nomen sui debitoris obligatum sit, prius tamen principali debitore excusso iuxta Auth. hoc si debitor. C. de pignor. & hypoth. pluribus verò creditoribus in vnam hypothecam iuxta prioritatem hæc actio datur, cum priores tempore sint potiores in iure toto tit. C. qui potiores in pignore habeantur.

Contra quem.

PRimo datur contra principalē debitorē rem obligatam possidentē d. Auth. hoc si debitor.
10 Secundo contra eius hæredes, non quia hæredes sunt, sed quia possident l. si necessarias. §. si vnus. ff. de pignoratitia actione, & l. 2. C. si vnus ex pluribus hæredibus.

Tertio contra quemcunque alium extraneum possessorē rerū obligatarū l. pignoris. C. de pign.

Quarto cōtra eum, qui rem oppignoratā dolo possidere desijt l. fundus. §. in vindicat. ff. de pign.

Ad quid detur.

DAtur ad rem pignori datam, vt agens eius dominium consequatur, siue res sit mobi-
11 lis, siue immobilis, nam quantum ad actionem inter pignus, & hypothecam nihil inter est, licet pignus, & hypotheca inter se differant, cū pignus propriè in rebus mobilibus, hypotheca in immobilibus consistat §. item Seruiana hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit actio de constituta pecunia.*
2 *Quæ requirantur ad hanc actionem.*
3 *Cui detur.*
4 *Contra quem detur.*
5 *Ad quid detur.*

§. In personam, & §. de constituta.

SVpra in princ. §. sed istæ, dictum est actiones prætorias alias esse reales, alias personales, & alias pœnales, hactenus de realibus dictum est, ideo commodo ordine Imperator nunc de personalibus tradit, quarū tres refert hic in §. in personam, & eas vsq; ad §. pœnales declarat. s. actionem de cōstituta pecunia actionem de peculio, & eam, quæ ex iureiurando præstito descendit.

Quid sit actio de constituta pecunia.

ESt actio prætoria personalis qua agimus contra eum, qui per nudum pactum constituit se solu-

se solutorum id, quod prius ipse, vel alius quidā ex nudo pacto, vel quacunque causa debeat §. de constituta hoc tit. & l. 1. cum ibi notatis. C. de cō-
1 stituta pecunia, de hac enim actione extat tit. ff. & C. de constituta pecunia, & licet nudum pactum de iure ciuili actionem regulariter nō producat l. iurisgētium. §. sed cum nulla. ff. de pactis, Prętor tamē naturali æquitate motus inuenit hūc contractum cōstituti, qui est medium quoddam inter nudum pactum, & stipulationem, ita quod voluit, quod debitor per nudum pactum constituens se soluturum præcedens aliquod debitum ex tali nudo pacto efficaciter obligetur, & actione de constituta pecunia conueniri possit.

Quæ requirantur ad hanc actionem.

PRimo requiritur nudum pactum.

Secundo pręcedens debitum ex quocunque contractu, seu quacunque causa l. 1. §. debitum. ff. de constituta pecunia, dicitur autem aliquid deberi tripliciter, naturaliter, & ciuiliter simul, naturaliter tantum, & ciuiliter tantum, naturaliter, & ciuiliter simul debitum dubium nō est, quod
2 constitui potest l. 1. §. debitum. ff. de cōstituta pecunia, debitum naturale etiam tantum in constitutum deduci posse omnes consentiunt, ciuile verò tantum debitum constitui non potest, nam verè indebitum est l. 3. §. si quis autem. ff. de constituta pecunia, quare autem debitum ciuile in constitutum duci nequeat, cum tamen fideiussor ei accedere possit Doctor. latissime examinant in §. de constituta hoc titulo.

Tertio requiritur, vt fiat verbis ad hoc aptis qualia sunt, constituo, cōuenio, & similia, si enim verbis obligatorijs, & stipulatione hæc actio locum non haberet, sed actio ex stipulatu d. §. de constituta hoc titulo.

Quarto requiritur, vt persona constituens se pro alio obligare possit, ideo mulier, quæ ex Senatuscons. Velleiano pro alio intercedere nequit hac actione conueniri non potest, nisi pro se ipsa constituerit l. 1. §. 1. ff. de constituta pecunia, furiosus vero prodigus, pupillus, & infans, cum neque pro se, neque pro alio se ipsos obligare possint, etiam constituere nequeūt l. 1. §. ait prętor. ff. de constituta pecunia tradit glo. hic in §. de constituta pecunia hoc titulo.

Cui detur.

PRimo datur creditori, cui quis pro suo, vel alieno debito soluere constituit, vt hic.

Secundo hæredibus creditoribus, cui constitutum factum est l. 2. §. sed, & hæredibus. C. de constituta pecunia.

3 Tertio procuratori loco domini l. eum qui. §. fin. ff. de constituta pecunia.

Quarto pupillo, furioso, & prodigo ex constituto facto tutori, vel curatori d. l. eum qui. §. Iul.

Quinto domino ex constituto facto seruo d. l. eum qui §. fin.

Contra quem detur.

DAtur hæc actio primo aduersus eum, qui pro se, vel pro alio dare, vel facere constituit. §. de constituta, hoc tit. l. 1. §. debitum, & l. quod autem ff. de constituta pecunia.

Secundo, contra hæredes constituentium l. 1. & 2. C. de constitu. pecun.

Tertio, contra filium familias constituentem ita quod etiam pater ipsius de peculio teneatur.
4 l. 1. ff. de constituta pecunia.

Quarto etiam contra fœminas pro seipsis constituentes non autem pro alijs l. 1. §. ait prætor. ff. de constituta pecunia.

Ad quid detur.

5 DAtur hæc actio ad omnes res, quæ habiles sunt, vt in contractum deduci valeant, & super quibus contractus celebrari possunt l. 2. §. & neminem C. de constitut. pecun.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit actio de peculio.*
2 *Cur introducta huiusmodi actio sit.*
3 *De quo peculio intelligatur hæc actio.*
4 *Quæ requirantur ad hoc, vt competat.*
5 *Cui detur.*
6 *Contra quem detur.*
7 *Ad quid detur.*

§. Actiones.

Quid sit actio de peculio.

1 EST actio prætoria personalis, qua petimus à patre, vel domino, vt pro filiofamiliàs viuente, vel seruo, nobis ex contractu obligato, quatenus in peculio est soluat. §. actiones, hoc tit.

Cur intrudncta sic hæc actio.

INtroducta à Prętore fuit hęc actio, quia cum summo iure ciuili, pater, aut dominus non teneatur ex contractu filij, vel serui, & multo minus ex delicto secundum regulam l. 1. & per tot.
2 tit. C. ne filius pro patre, Prætor illam æquitate motus considerans, quòd pater habens filium ad negotiationes idoneum, ei aliquādo pusillam aliquam pecuniam, cum qua negocietur concedere solet, cuius occasione sæpè multum æris alieni filius cōflat, ideo æquum etiam esse indicauit, ne contrahentes cum ipsis decipiantur, statuitque, vt pater ex contractu filij teneatur, & conueniri possit ex eius præsumpta voluntate propter peculij concessionem, quandoquidem videtur filius de voluntate patris contraxisse ex, quo de voluntate ipsius habet peculium, & quia voluntas hęc non est simplex, & absoluta, sed limitata respectu illius quantitatis cōcessę in peculium

culium, propterea Prætor etiam moderamen adiecit, vt scilicet, pater, & dominus, non teneantur simpliciter, sed eatenus quatenus illa voluntas se extendit, & sic peculio tenus, vt inquit Imperator in d. §. actiones, idest, quatenus vires peculij se extendunt, notandum tamen est, quod ex contractu filijfamilias, vel serui, duæ nascuntur obligationes, vna cõtra filium, vel seruum ex proprio contractu l. filiusfamilias la 2. ff. de actionibus, & obligat. & l. ex contractibus. ff. de iudic. & hoc nõ solum quando habet peculium aduentitium, castrense, vel quasi, sed etiam quando nihil habet, & omnia patris sunt, quia executio nihilominus contra eum fieri potest, & in carcerem detrudi, nisi cedat bonis l. pen. C. qui bon. ced. poss. altera obligatio, & actio oritur contra patrem, vel dominium, non quidem in totum, sed quatenus in peculio est d. §. actiones hoc tit. & d. l. ex contractibus, nisi tamen eorum iussu contraxerint, vel ratum habuerint, vel in eorum vtilitatem verterint, his enim casibus etiam insolidum tenentur l. 1. ff. quod iussu. l. cum fundum. §. seruus. ff. si certum pet. hæc autem actio intelligitur de peculio profectitio tantum, neque. n. castrense peculium
3 huc pertinere potest, cũ in eo filiusfamilias vice patrisfamil. fungatur l. 2. ff. ad Senatusc. Macedon. & propterea filius rectè cõueniatur l. ex castrẽsi. §. vlt. ff. de castrensi peculio, eadem ratione, nec huius loci potest esse peculium quasi castrense, cum nec in eo pater vllum ius habeat l. cũ multa. C. de bonis quæ liberis, denique nec aduẽtitium, in quo cum pater hodie tantum vsumfructũ habeat nomine filij cuius est proprietas, nõ nisi tãquam legitimus administrator cõueniri potest l. cum oportet, & fin. C. de bonis quæ liberis, quare peculij verbo hic intelligitur modica illa pecunia, quam pater filio, aut dominus seruo ad negotiandum concedit à paternis dominicisvè rationib. separata l. 1. & l. depositi. §. vlt. ff. de peculio.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur, vt filiusfamilias, vel seruus sit adhuc in potestate patris, vel domini, nã si filius fuerit emãcipatus nõ peculium, sed verũ patrimoniũ habet l. fin. §. vlt. C. de inoffic. testam.

Secundò requiritur, vt filius, vel seruus profectitium peculium habeat, vt diximus supra.

4 Tertiò debitum filij, vel serui, & quia ex multis causis debitũ contrahi potest, ideo dicamus primo, quod ex quocunque contractu filijfamil. pater tenetur de peculio per textum nostrum hic in d. §. actiones, excepto ex cõtractu mutui, nam tunc nec filius, nec pater tenentur, sed habẽt exceptionem Senatusc. Macedon. l. 1. & toto tit. ff. & C. ad Senatusc. Macedon. dicit tamen Innocen. in cap. quia pleriq. de immunitate Ecclesiæ, quod licet hęc exceptio competat patri, & filio, si tamẽ vtantur ea, quando ob necessitatem filij pecunia accepta est, quod mortaliter peccãt, vt refert Ias. hic sub num. 35. quando etiam hæc exceptio opponi non possit, tradunt glo. & Doctor. in §. illud propriè inf. quod cum eo, qui in aliena potestate. Secundò tenetur etiam pater de peculio ex quasi contractu filij l. si filius. ff. de negocijs gestis, ex delicto vero, vel quasi delicto filij, ipsemet filius tantum non eius pater directo conueniri potest secundum glo. hic, ideo in delictis hæc actio locũ non habet, vt declarat Decius in l. pœnalib. ff. de regulis iuris, nisi ex delicto filij, veluti furto pater locupletior factus sit, nam tunc pater in quãtum locupletatum est peculium, de peculio tenetur l. 3. §. ex furtiua. ff. de peculio.

Cui detur.

DAtur hæc actio ei, qui contraxit cum filiofam. vel seruo, cui à patre, vel domino con-
5 cessum est peculium l. 3. §. si filiusfamilias, & l. si quis seruum. ff. de peculio.

Secundò ei, qui filium, vel seruum ex delicto, vel quasi obligatum habet ratione peculij, quod inde est locupletatũ l. 3. §. ex furtiua. ff. de peculio.

Contra quem.

DAtur contra patrem, vel dominum, filio, vel seruo peculium concedentem §. actiones hoc tit. & quidem perpetuo quandiu seruus, vel filius in potestate sit, sed si morte, emãcipatione, & manumissione, vel alienatione peculium extinguatur, infra annum vtilem tantum cõueniri potest, & si conditionalis fuerit obligatio, ex eo annus computari debet, non ex quo mortuus, emãcipatus, manumissus, vel alienatus est, sed ex quo
6 conditione existente efficaciter peti potuit l. 1. §. 1. & 2 ff. quando de peculio actio annalis est.

Secundò datur etiam contra Abbatem ex cõtractu Monachi, qui eius permissu negotiatus est, tenebitur enim Abbas de pecunia Monacho permissa Ias. hic num. 21.

Tertiò datur etiam contra nouum dominum serui, si seruus cum peculio ad eum peruenit l. 1. §. item si hæres. ff. quando de peculio actio annalis est, & l. Ancillarum. §. seruus. ff. de peculio.

Ad quid detur.

7 DAtur hæc actio ad tradendam rem, quæ est in peculio pro solutione debiti à seruo, vel filio contracti, quatenus peculij quantitas se extendit d. §. actiones hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit actio in factum ex iuramento præstito.*
2 *Quid sit iuramentum.*
3 *Quotuplex sit iuramentum.*
4 *Quæ requirantur ad hoc, vt hæc actio competat.*
5 *Cui datur.*
6 *Contra quem detur.*
7 *Ad quid detur,*

§. Item

§. Item si quis.

IMperator hoc §. tertiam actionem prætoriam personalē prosequitur, videlicet in factū, quæ ex iuramento præstito oritur §. itē si quis hoc tit.

Quid sit actio in factum ex iuramento præstito.

EST actio personalis prætoria qua agit is, qui deferente aduersario iuramentum inconti-
1 nenti iurauit aliquid sibi deberi, vel reum res suas possidere, quotiescūque enim aduersarius defert iuramentum parti, vt iuret, an sibi debeatur iuramento præposito competit actio in factum per q̄ petitur debitum super quo iuramentū præstitū est, nec quæritur amplius, an debeatur, necne, sed sufficit esse iuratum d. §. item si quis hoc tit.

2 Iuramentum est asseueratio quædam, quia iurans Deum in testem vocat, vt si à scopo veritatis aberret, seipsum puniat.

Triplex est iuramentum voluntarium, necessarium, & iudiciale, volūtarium est, quod ex libera voluntate, & partium conuentione extra iudiciū à parte parti defertur ad confirmandos contractus, & quæcunque alia negocia, vt promissa seruentur l. 1. & l. iusiurādum. ff. de iureiurando, necessarium est, quod iudex in dubijs causis, & probationū inopia pro motu suo defert l. admonēdi.
3 ff. de iureiurando, & l. 3. C. eod. de his duab. specieb. iuramenti in hac actione nihil agitur, iudiciale est, quod in iudicio pars parti iudicis consensu, & approbatione defert, quo controuersiæ deciduntur, vnde, & litis decisiuum dicitur l. generaliter, §. 1. C. de reb. creditis, & de hac specie in præsenti actione tractatur, & hoc iuramentū dupliciter præstatur secundum glo. hic in verbo debere. s. formiter, & informiter: formiter, quando cum causa adiecta, vel expressione contractus iuratur, vt iuro te mihi decē aureos debere ex causa mutui, informiter iuratur cum causa nō exprimitur, vt si ego decem petam à Titio, isque deferat mihi iuramentum, & ego iuro mihi eū debere decem, hoc dicitur informe iuramētum, quia nō contrahitur ad aliquam formam cōtractus, differentia est, nam ex iuramento formiter præstito nascuntur duę actiones, vna in factū ex iuramento, altera vtilis ex contractu nominato l. si duo. §. si quis iurauerit. ff. de iureiur. & tunc petimus hoc modo, peto fundum à Titio, quē ab eo emi, prout ipso deferente iuraui, ex iuramēto vero informi petitur hoc pacto, quia ad tuā delationem iuraui, ideo peto decē, quę te mihi debere iuraui.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur, quòd actor iurauerit deferente aduersario iuramentū, vt hic in §. nostro, idem est si actor paratus fuit iurare, & ei iuramentum remissum sit, tantum glo. hic in verbo iurauerit, parificantur enim quod quis iurauerit, vel quod iuramentum ei remissum sit.

4 Secundò requiritur, quod iuramentum incontinenti ad delationem partis, & approbationem iudicis præstitum sit l. non erit. §. fin. & ibi Bart. ff. de iureiurando, idem tamen est si acceptauerit in continenti iuramentum, & ex causa petierit dilationem ad deliberandum quid iurare velit, Bart. in d. l. non erit. §. fin. num. 2.

Tertiò requiritur, quod reus post præstitum iuramentum recuset solutionem rei, super qua iuratum est, vt ex textu nostro colligitur.

Cui detur.

DAtur hæc actio primo ei, qui ad postulationem rei iurauit rem suam esse, vel aliquid sibi deberi l. nam postea. §. fin. cum duab. seqq. & l. si duo. §. si quis iurauerit. ff. de iureiur.

Secundò datur domino ex iuramento sui procuratoris, vel defensoris. l. nam postea quam. §. iusiurandum. ff. de iureiurando.

5 Tertiò datur patri, vel domino ex iuramento filijfamilias, vel serui l. multo magis, & l. sed, & si seruus. ff. de iureiurando.

Quartò datur pupillo, & mulieri etiam, cum enim de commodo iurantis agitur, non quæritur cuius sexus, vel ætatis sit iurans l. qui iurasse. ff. de iureiurando.

Quinto datur ei cui remissum est iuramētum, 1
vt paulo supra declarauimus.

Sextò heredibus, & successoribus iurantis, sed eius cui iusiurandum remissum fuit l. ait Prætor, §. cuius rei. ff. de iureiur. cum l. seq.

Contra quem detur.

DAtur hæc actio primo contra deferentem iuramentum.

Secundò contra eum, qui in locum deferentis successit l. nam postquam. §. fin. cum duab. seqq. ibi Castren. & Ias. ff. de iureiur.

6 Tertiò datur contra socium iuramētum deferentis quamuis ille non detulerit l. in duob. cum ibi notatis. ff. de iureiur.

Quarto datur contra dominum, & patrem de peculio, si seruus, vel filius actori iusiurandum detulerit l. quidam de peculio. ff. de iureiur.

Ad quid detur.

DAtur hæc actio primo ad retinendam rē cū fructib. post iuramentū præstitū perceptis,
7 cum omnibus accessorijs rei, quam quis suā esse iurauit l. sed et si possessori. ff. de iureiur.

Secundò datur ad obseruationem contractus, & omnia quę ex contractu sequuntur si formiter iuratū sit l. si duo. §. si quis iurauerit. ff. de iureiur.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit actio de albo corrupto.*
2 *Quæ requirantur.*
3 *Cui detur.*

4 *Contra*

4 *Contra quem detur.*
5 *Ad quid detur.*
6 *Quid sit actio de in ius vocando.*
7 *Quae requirantur ad hoc vt competat.*
8 *Cui detur.*
9 *Contra quem detur.*
10 *Ad quid detur.*
11 *Quid sit actio de in ius vocando in exempto.*
12 *Quae requirantur ad hoc vt competat.*
13 *Cui detur.*
14 *Contra quem detur.*
15 *Ad quid detur.*

§. Pœnales.

QVoniam de actionib. prætorijs tam in personam, quam in rem competentibus hucusque diximus, superest vt ad tertiam causarum speciem transeamus, quæ pœnales complectitur, sic dictas, quia ad pœnam non etiam rei persequendæ causa competunt, quarum tres in hoc §. pœnales enumerãtur, prima est actio de albo corrupto, Secunda actio de in ius vocando parentem, vel patronum venia non impetrata, tertia actio de eximente vi eum, qui in ius vocatus est.

Quid sit actio de albo corrupto.

1 ACtio de albo corrupto est actio prætoria pœnalis, quæ datur contra eum qui per se, vel per aliũ, dolo malo corrupit, vel sustulit id quod in albo prætoris perpetuæ iurisdictionis causa propositum est, vt mulctetur pœna quinquaginta aureorum l. si quis id ff. de Iurisdictione omnium iudic. erat autem album tabula dealbata, vel vt Theophilus hic scribit albis litteris notata, in qua Prætores edicta, interdicta, actionesq. quo oĩbus innotescerent ptoponebant l. 2. §. ead. ff. de origine iuris, idque fuit triplex, vnum in quo edicta iuris ciuilis rigorem, & duritiam mitigantia proponebatur, de quibus hinc inde in corpore iuris fit mentio, & hæc perpetua erant, alterum in quo temporanea quędam edicta proponebantur, eaque, prout res incidebat affigebantur, item in quo scribebantur citationes, quando pet publica edicta aliqui citabantur, prout etiam hodie in foribus Ecclesiæ, vel Curiæ edicta citatoria contra absentes quandoque proponi solent, iuxta Clemẽtinam primam extra de iudicijs, tertium vero continebat magistratuum nomina, eorumque successionem, & ordinem in rogandis sententijs, & de hoc loquitur tit. ff. de albo scribendo, intelligitur autem hæc actio de corrump ente perpetuum, & generale edictum in albo prætoris propositum, is enim in pœnam quinquaginta aureorum incidit, quicquid dicat glos. in verbo ex albo, cuius opinio vno ore a Doctoribus reprobatur, corrũpens enim edicta tẽporanea tantum extra ordinem puniuntur, aut ære, aut corpore secundum facti, & personæ qualitatem, quia in tali casu in iure certa pena nõ est expressa l. prima §. expilatores ff. de effractorib.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur corruptio perpetui edicti prætoris non temporanei, vt iam à nobis dictum est, secũdo, vt tale edictũ proponatur ab habẽte iurisdictionẽ l. si qs id ff. de iurisdictione
2 omn. iudic. tertio vt interueniat dolus corrumpẽtis siue per se, siue per alium corruperit, nam si per imperitiam, vel rusticitatem, vel casu aliquis corruperit, nõ tenebitur d. l. si quis §. seruos propositum enim, & voluntas distinguunt maleficia l. diuus. ff. ad l. Corneliam de sicarijs.

Cui detur.

DAtur hęc actio cuilibet de populo cui in iudicio agere licet, vbi enim iudicis iurisdictio offenditur, quilibet de Populo agere potest iuxta Bal. in d. l. si quis ff. de iurisdictione, quod tamen intelligendum est, nisi expresse a iure postu-
3 lare, & in iudicio agere prohibeãtur l. 4. ff. de popularib. actionibus, ideo mulieri, & pupillo populares actiones non dantur l. mulieri. ff. de popularibus actionibus, & quando plures concurrunt præfertur magis idoneus l. 2. ff. de popularibus actionibus, & is cuius interest l. 3. in fine ff. de popularibus actionibus.

Contra Quem.

DAtur cõtra dolose corrumpentem id quod perpetuæ, non autẽ tẽporaneæ iurisdictionis causa, in albo propositum est, secundo contra tollentẽ, abscondentẽ, remouentem, maculantẽ, vel lacerantẽ d. l. si quis §. in seruos ff. de iurisdictione omn. iudic. notat Angelus hic, tertio cõtra mandantem corrumpi albũ d. l. si quis §. fin. & si
4 plures mandauerint, vel plures corruperint, quilibet eorum in solidum tenetur adeo, vt solutio vnius alios non liberet d. l. si quis iuncta. l. adeo. ff. de iurisdictione omn. iudic. 4. contra seruos, & filios familias, & etiam fœminas, masculinum n. à lege prolatum, quando materia subiecta vtrique sexui congruit etiam in materia pœnali, ad fauorem tamẽ publicum tẽdens fœmininum cõprehendit d. l. si quis, & ibi Iason. 5. datur contra abolentem eorum imagines, qui publicæ memoriæ causa, ob infamiam in publicum depicti sunt Bart. in d. l. si quis 6. contra corrumpentem libros armarij communis, Angelus, & DD. in d. l. si quis, septimo contra surripientem acta in archiuijs publicis reposita Iason hic numero tertio.

Ad quid.

DAtur hęc actio ad infligendã pœnam pecuniariam quinquaginta aureorũ illi, qui album Prętoris surripuit, amouit, cecidit, corrupit
5 glos. hic in verbo corrupisse, & quamuis in d. l. si quis communiter legatur quingẽtorum aureorũ, tamen

tamen quia secundum glo. ibi aliquando 50. legitur, posterior lectura, tanquam benignior accipitur iuxta leg. interpretatione. ff. de pœnis, vtrum autem hęc pœna, vel actori, vel fisco applicari debeat, variè à Doct. disputatum est, communis tamen sententia est, vt actori applicetur, Faber hic num. 7. Ang. & Ias. nu. 30. ideo actor in libello sibi illos 50. aureos assignari petere debet, illud etiā vlterius sciendum est, quod corrumpentes talia edicta, quando contra eos criminaliter agitur, puniuntur etiam pœna falsi tex. est in l. penult. ff. ad l. Cornel. de falsis.

Quid sit actio de in ius vocando.

EST actio pœnalis prætoria per q̄ filius emancipatus, & libertus, qui patrem, patronum ve sine venia Prætoris in ius vocauit pena 50. aureorum mulctatur l. pen. ff. de in ius vocando, & hæc actio summa honestate nititur, semper enim filio,
6 ac libero persona parentis, & patroni, sancta, & honesta videri debet l. liberto. ff. de obsequijs libertorum, sciendum tamen est, quod multæ sunt personæ, quæ in ius vocari prohibentur, quædā n. ratione imbecillis ætatis, aut consilij in ius vocari prohibentur l. neque. ff. de in ius vocando, quædā ratione iusti impedimenti, vt magistratus, quædā ratione publicæ lætitiæ, aut mœroris, vt qui ducit vxorem, aut qui in luctu est l. 2. ff. de in ius vocando, quædam vero ratione reuerentiæ, vt parens, & patronus l. 4. & l. generaliter. ff. de in ius vocando, hæc tñ actio non extenditur ad omnes istas personas, vt cōcludit glo. hic in verbo cum id nō impetrasset, sed solū ad vocantes in ius personas, quæ ratione reuerentiæ vocari prohibentur, ideo in alijs pœna arbitraria erit, iuxta regulam legis primæ §. expilatores. ff. de effractoribus.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur, quòd liberi extra patriā potestatē cōstituti sint, nam qui adhuc in sacris
7 parentum sunt, nec cum venia eos in ius vocare possunt l. fi. C. de in ius vocando, cū lis nulla inter patrē, & filium consistere possit, nisi in casib. de quibus diximus supra in tit. de patria potestate.

Secundo requiritur, vt talis sit persona in ius vocata, quæ ratione reuerentiæ prohibita sit in ius vocari, vt paulo superius diximus.

Tertiò, vt sine venia à iudice perita in ius vocata sit, nam si impetrata venia vocasset, Prætor actionem denegaret, generalis tamen permissio magistratus non sufficit, cum s. postulanti iustitiā decernit citationem, vt aduersarius in ius vocetur, sed venia solemniter est impetranda designata persona, cui reuerentia debetur, & in actis describenda secundum Mysing. hic num. 33.

Quartò, vt libertus, vel filius tanquam actores faciant parentes, aut patronos in ius vocari, quia si sint rei, & iudicem pro administranda iustitia interpellent contra eos non competit hæc actio, quando enim quis se defendit aduersus eum cui reuerentia debetur non necesse habet veniam impetrare textus est, & ibi Doct. in l. libertus la prima ff. de in ius vocando.

Quintò, quòd actionem aduersus parētes, vel patronum vsque ad litem cōtestatam in iudicio prosequutus sit, nam si ante litis contestationem pœnitentia ductus actionem remiserit, puniri nō debet l. quamuis, & ibi Alex. ff. de in ius vocando.

Cui detur.

DAtur hæc actio primò parentibus, & alijs ascendentibus in infinitum, quare si Adam hodie superstes esset, sine venia in ius vocari non posset l. 4. ff. de in ius vocando, tradit glo. hic in verbo, vel parentem.
8 Secundo datur parenti naturali tantum l. parentes. ff. de in ius vocando.

Tertiò parenti adoptiuo l. adoptiuum. ff. eod. Ias. hic num. 53.

Quarto, licet de patre spirituali sint contrariæ opiniones, tamen & ei hanc actionē competere communis est, & verior opinio, ita n. debemus diligere patentes nostros spirituales, sicut carnales cap. ita diligere 30. q. 3. Ang. hic nu. 6. Ias. nu. 64.

Quinto datur socero, & socrui, qñ à genero, vel nuru sine venia in ius vocantur, nam parētis loco sunt glo. in l. generaliter. §. fin. ff. de in ius vocādo, & l. quia parētis. ff. soluto matrimonio, his addere debemus vitricum, & nouercam, quādoquidē nec illi à priuignis sine permissu vocari possūt etiam dissoluta affinitate, vt recte sentit Ias. hic nu. 75.

Sexto datur patrono contra libertum, item vxori, parentibus, liberisque patroni vtriusque sexus vsque in infinitum l. 4. §. Prætor ait, & ibi Doct. ff. de in ius vocando l. 1. C. eod.

Contra quem detur.

DAtur contra liberos siue naturales, siue legitimos simul, siue naturales tantum, siue adoptiuos vtriusque sexus vsque in infinitum l. sed si hac §. libertos. ff. eod.

Secundo contra filios etiam spirituales d. cap. ita diligere.

Tertio contra libertum vocantem in ius patronum, parentes, vel liberos, vel vxorem eius l. 4. & l. adoptiuum. §. patronum. ff. de in ius vocando l. 1. C. eod.
9 Quarto contra libertum communem vocantem in ius quemcunque ex patronis l. communis ff. eod. & hac pœna non solum tenetur is, qui dolosè in ius vocauit, sed etiā, qui sine dolo p ignorantiā, aut rusticitatē, hac. n. rusticitati in hoc subuenitur, cū naturali ratione huiusmodi personis honor, & reuerentia debeatur l. 2. C. de in ius vocando, & ignorantia iuris naturalis neminem excuset l. regula. ff. de iuris, & facti ignorantia.

Ad

Ad quid detur.

DAtur ad pœnam pecuniariã, quæ est quinquaginta aureorũ l. penult. ff. de in ius vocando, & hæc pœna applicatur parti, & non fisco, Ias. hic nume. 41. hæc tamen pœna cessat, primo, si pęniteat filium, vel libertum, & actionẽ remittat. l. quãuis ff. eod. & pęnitentiæ locus vsque ad litis contestationem, vt diximus sup. esse potest, scd'o, qñ pater, vel patronus non inuitus citatus est, sed volens passus est se cõueniri sine venia. d. l. quãuis, volenti. n. non fit iniuria l. 1. §. vsq; adeo, de iniurijs, tertio, si citatus nõ cõparuit in iudicio l. quámuis, & si compareat, & non excipiat de venia non impetrata, pœnamque non petat, & sic vlterius procedi permittat, pœnam remittere censetur, nec amplius eam petere potest, & processus valet secundum Bat. in d. l. quamuis.

Quid sit actio de in ius vocato vi exempto.

EST actio prætoria pœnalis qua cum eo agitur qui in ius vocatũ vi exemit, dolove malo eximi curauit, vt quanti ea res ab actore ęstimatur damnetur l. 1. & l. si per aliũ ff. ne quis eũ qui in ius vocabitur vi eximat, eximendi autẽ
11 verbum generale est, nam non solũ eximere videtur qui manibus eripit, sed qui quoquomodo moram fecit, quominus in ius iretur, vt actionis dies exiret, vel res tempore amitteretur l. sed eximẽdi ff. ne quis eũ qui in ius vocabitur, vi eximat.

Quæ requirantur.

REquiritur primo, vt procedat citatio, & sic exemptus sit vocatus in iudicium, vt constat ex rubr. ff. eod. secundo, quod sit citatus in locum vbi sortiebatur forum l. 2. in fine ff. eod.
12 extra enim territorium ius dicenti impune non paretur l. fi. ff. de iurisdictione omnium iudicum, tertio, quod sit citatus ab habente iurisdictionẽ, vt notatur post textum, & gloss. in l. 3. ff. eod. quarto requiritur ius, & dolus eximentis l. 3. §. fin. ff. eod. Ideo si reus volens pateretur se detineri, vt quia causa officij, aut amicitiæ quis reum proficiscentem hospitio exciperet, & refoueret fessum, & interim iudicij dies exiret, non teneretur hospes, quinto requiritur, quod per talẽ exẽptionem, seu detentionem reus in ius vocatus comparere non potuerit, nam si exemptus quidem esset, nihilominus tamen tunc accipienda l. si per alium §. docere ff. eod. sexto requiritur, quod propterea dies actionis præterierit, vel res tempore amissa sit l. sed eximendi ff. eod.

Cui detur.

DAtur hæc actio actori vocanti aliquẽ in ius cui dies actionis exijt, vel res tempore amissa sit, per hoc quod aduersarius vocatum in ius vi eripuit, & fecit quominus citatus in ius veniret l. 4. ff. eod. adeo quod etiam aliqui ad eũ qui per calumniam quem in ius vocauit, extẽdi
13 volunt, quasi non ius actoris, sed factũ eximẽtis Prætor inspexerit, tamen benigna interpretatione, ad eos tantum casus, de quibus præcipue loquitur seueritas huius edicti restricta est, vnde Otilius recte putauit locum huic edicto non esse, si persona, quã in ius vocare nõ potuit, vi exẽpta sit, vt pater, & patronus, cum magis deliquerit qui vocauit, quam qui exemit. l. 1. & 2. ff. eod. vnde, & eadem æquitate moti idem esse censuerunt in eo, qui alió quàm quò debuerat, vocatus est, & cui ius sit ibi non conueniri d. l. 2. secundo datur hæredibus in ius vocatis, si eorum intersit l. si per alium §. fin. ff. eod.

Contra quem.

DAtur contra eũ qui in ius vocatum, vi vel dolo malo eripuit, vel exemit, idq. siue per se, siue per alium l. si per alium, & penult. ff. eod. secundo, non solum contra eum qui citatum verbaliter exemit, sed etiam, & multo magis con-
14 tra eum, qui realiter citatum é manibus familiæ iudicis eripuit, & tunc eximens tenetur, ac si pro exempto in omnem casum fidei iussisset l. quoties C. de exactionibus lib. 10. de quo Ias. hic nu. 102. tertio, contra occultantes debitores, vt non capiantur, nec soluant debitum, sicut concluditur hic per Ias. nu. 103. quarto, contra plures eximẽtes, & singulos in solidum, ita quod solutio vnius non liberet alium, quia hæc actio mere pœnalis est l. penul. §. fi. ibi glo. ff. eod.

Ad quid detur.

15 HÆc actio datur ad id quãti res, de qua fuit controuersia, ab actore mediante iuramento in litem de affectione æstimata est d. l. pen. §. fi. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Actio præiudicialis quot modis dicatur.*
2 *Prima actio præiudicialis cui, & cõtra quẽ detur.*
3 *Secunda præiudicialis cui, & ipsa competat, & contra quem.*
4 *Tertia de partu agnoscendo cui competat.*

§. Præiudiciales.

SCiendum est pro declaratione huius §. quod præiudiciales actiones multis modis dicuntur, primo dicũtur præiudiciales ratione contingentiæ, qñ causæ ita se contingunt, quod sententia lata in vna faciat præiudicium, & pariat exceptionem rei iudicatæ, in alia, exempli gratia, Intento contra te actionem familię erciscundę, qa petõ vt diuidas mecum hęreditatem Sempronij,
1 tu vero negas me esse Sempronij hęredem, hic concurrunt duo iudicia, vnum diuisorium hęreditatis,

ditatis, alterum declaratorium, an sim hæres, & hæc se contingunt, quia non diuiditur hæreditas, nisi inter cohęredes, prius igitur declarãdum est, an sim hęres, qua sententia lata pręiudicabitur alteri petitioni, si enim non fuero declaratus, nõ teneris mecum diuidere l. 1. ff. familię erciscundę, aliquando dicuntur actiones præiudiciales ratione maioritatis, & præeminentiæ, vt quia vna causa est magis ardua, quam sit alia, & tunc maior causa præiudicat, & facit minorem silere, donec maior expediatur, exemplum est in l. fin. C. de ordine iudiciorum, vbi causa criminalis præfertur ciuili, tertio dicuntur actiones præiudiciales, qñ agitur de statu personę alicuius, de quibus in hoc §. nostro traditur, priora enim duo genera nihil ad propositũ nostrum pertinent, eæ autem actiones de quibus in §. nostro mẽtio habet, tres sunt. Prima in qua quæritur, an quis sit seruus, vel liber, & de hac loquitur tit. ff. & C. de liberali causa. Secunda in qua quæritur, an quis sit libertus, vel ingenuus. Tertia in qua quęritur, an quis sit filius, vel non, de qua in tit. ff. de liberis agnoscen. & dicuntur pręiudiciales, quia omnes alię quęstiones silent donec declaretur, an aliquis sit seruus, libertus, vel filius, veluti titius vult te accusare de adulterio, & tu dicis eum esse seruum tuum, non auditur nisi prius discutiatur quęstio status, an sit seruus, quia seruus accusare non potest, vt notatur in l. vix ex certis. ff. de iudicijs.

Et quia hę actiones parum visitatę sunt in foro, ideo breuiter etiam eas explicabimus.

Prima actio pręiudicialis, qua quæritur, an aliquis sit seruus, vel liber, non ex iurisdictione pretoris, sed ex l. ciuili descẽdit, vt inquit Imperator
2 hic, & competit primò Domino contra seruum, quando scilicet seruus est in quasi possessione libertatis, vt quia gerit se pro libero homine ad declarandum eum seruum suum esse.

Secundo è diuerso competit hęc actio his, qui sunt liberi, & constituti sunt in quasi possessione seruitutis, quia possidentur, & tractantur, vt serui contra eos, qui dicunt se esse dominos eorum ad declarandum se esse liberos homines, & possidẽti ius seruitutis non competere, tertio datur non solum constitutis in quasi possessione seruitutis, sed etiam eorum parentibus vtriusque sexus legitimis, & naturalibus simul, & naturalib. tantum, item liberis, & fratribus, cęterisque cognatis, nec immodica est ignominia filij habere patrẽ seruũ, & è cõtra tex. est in l. 1. §. 2. & 3. ff. de liberali causa, secunda actio pręiudicialis in qua quęritur, an aliquis sit ingenuus, vel libertus, pretoria est, & datur primo patrono contra libertum, qui est in quasi possessione ingenuitatis ad declarandũ eũ esse suum libertum, ita quod competat ei ius patronatus de quo in tit. ff. de iure patronatus.

Secundo è contra datur liberto, qui est in quasi possessione libertinitatis cõtra patronum ad declarandum se nõ esse libertum, sed ingenuum, ita quod reo non competat ius patronatus de quo loquitur tit. ff. si libertus se ingenuum esse dicat.

Tertia actio pręiudicialis de partu agnoscẽdo, & ipsa pretoria est, & competit primo ipsi patri contra filium negantem se esse filium ad decla-
4 randum eum esse suum filium, & si lata fuerit sententia pro parte pręiudicat filio, vt cogatur redire in patriam potestatẽ, & relinquere Patri vsumfructum bonorũ aduẽtitiorum, & alia quę patria potestas producit, & quamuis hęc actio propriè competat ratione patrię potestatis cõtra filium subiectum paterno iuri, tamen eam cõtra filium emancipatum etiam locum habere, tenet hic Faber num. 15. cum adhuc multa iura supersint patri, nam & filius emancipatus patrem in ius fine venia vocare non potest, eumque alere tenetur l. si quis à liberis §. vel si parẽs ff. de liberis agnoscendis, vnde etiam inter matrem, & filium hęc actio locum habet, vt Faber hic notat.

Secundo competit hęc actio ipsi filio contra patrem ad declarandum se esse filium, quod sępe contingit cõtra duros patres, & sententia lata pro filio pręiudicat patri, vt ad alimẽta, & ad dotem teneatur l. qui liberos. ff. de ritu nuptiarum.

SVMMARIVM.

1 *Qua formula vtendũ sit, cũ quis in rẽ agere vult.*
2 *Dare nihil aliud est, quàm dominium transferre.*

§. Sic itaque.

1 HActenus Imperator de actionib. personalibus, & realibus, ciuilibus, & pretorijs dixit, nunc in hoc §. docet qua formula, & quibus verbis vtendum sit cum in rem quis agere instituit, qui enim in rem agit, & rem suam ab aliquo petit, nõ ita debet agere si apparet eum dare oportere, his verbis si apparet, respicit Imperator ad solemnitatem verborum, quib. olim vti solebãt, ideo autẽ qui in rem agit, non ita rectè agit, quia dixit rem, quã petit suã esse, eamq. proprietatis iure ad se spectare, non ergo petere debet, vt res sua efficiatur, & res propria ipsius fiat, nec enim quod alicuius est magis eius fieri potest, vt dixit Imperator hic, & amplius, quam semel res mea esse non potest l. cum res. C. de contrahẽ. empt. sed qui agit, vt aduersarius det, hoc agit, vt iudex
2 aduersarium cõdemnet, & rem quę petitur actoris faciat, dare. n. nihil aliud est, quam dominium transferre l. vbi autẽ §. fin. de verb. oblig. debet igitur actor, qui in rem agit dicere rem suã esse, eamque sibi restitui debere, fallit hoc in fure, à quo rectè peto rem meam mihi dari, idq. inquit Imperator noster odio furum receptum est, quo magis pluribus actionibus teneantur.

SVMMARIVM.

1 *Actionis nomen generale est.*
2 *Actiones personales præsupponũt obligationem.*
3 *Personales actiones condictiones appellantur.*

§. Appel-

§. Appellamus.

1 SCiendum est nomen actionis esse generale compræhendens reales, & personales actiones l. fin. C. de hereditate, vel actione vẽdita, propriè tamen secundum I.C. in l. actionum genera. ff. de action. & oblig. actiones reales dicuntur vindicationes, personales verò condictiones dictę à condicendo, quod est denuntiare §. appellamus hoc tit. de iure. n. antiquo, quando quis habebat debitorem obligatum sicut omnes actiones per-
2 sonales obligationem presupponunt, antequam eum in iudicio conuenire posset, requirebatur, vt prius debitori denuntiaret, hęc tamen denuntiatio non requirebatur in actionibus realibus, in quibus persona non est obligata, Ias. in l. certi cõdictio. ff. si cert. pet. hinc omnes actiones personales abusiue dicuntur condictiones, sed aduertendum est, quod quędam transeunt in speciale nomen actionis, vt actio ex vendito, locato, & tales large dicuntur condictiones iuxta glo. in d. l. actionum genera, quędam verò non habent speciale nomen, sed remanent sub generali nomine condictionis, & vt vna ab alia discernatur non dicuntur simpliciter condictiones, sed cum aliqua adiectione, vt condictio certi, condictio ob causam, & condictio indebiti.

SVMMARIVM.

1 *Actiones aliæ sunt persecutoriæ rei, aliæ pœnæ, & aliæ rei, & pœnæ simul.*
2 *Quid sit condictio certi specialis.*
3 *Cui detur.*
4 *Contra quem detur.*
5 *Ad quid detur.*
6 *Quid sit actio commodati, & quotuplex sit.*
7 *Directa actio commodati cui detur, & contra quẽ.*
8 *Ad quid.*
9 *Contraria actio commodati cui detur contra quem, & ad quid.*
10 *Quid sit actio depositi, & quotuplex sit.*
11 *Quæ requirantur ad eam, cui detur nu. 12. contra quem detur nu. 13. & ad quid nu. 14.*
15 *Contraria actio depositi cui detur contra quem, & ad quid.*

§. Sequens.

IN tertia actionum diuisione dictũ fuit quasdam actiones esse persecutorias rei, alias pœnæ tantum, alias pœnæ, & rei persecutorias simul, de his incipit tractare Imperaror hic in §. nostro, persecutorię rei sunt omnes actiones rea-
1 les, item personales, quæ ex contractu proueniunt, persecutoriæ pœnæ sunt, quæ ex delictis proficiscuntur, veluti actio furti tam manifesti, quam nec manifesti, persecutoriæ rei, & pœnæ simul sunt actio vi bonorum raptorum, actio legis Aquiliæ, & actio ex testamento pro legato venerabilibus locis relicto, & quia nonnullas actiones ex contractu descendẽtes, pponit Imper. ideo de ipsis videbimus, & primo de actione descendente ex mutuo, quæ condictio certi specialis appellatur, ad differentiã condictionis certi generalis, quę cõpetit pro omni cõtractu in quo aliquid certũ petitur l. certi cõdictio. ff. si cer. pet.

Quid sit condictio certi specialis.

2 EST actio in personam per quam quis petit pecuniam mutuatam.

Cui detur.

DAtur primo ei qui rem consistentem in numero, pondere, & mensura, mutuo dedit supra in principio quibus modis re contrahitur obligatio, secundo datur Domino procuratore eius pecuniam mutuante l. si pecuniam. ff. si cert.
3 petat. tertio Domino cuius seruo eo consentiente mutuauit l. rogasti. §. fin. ff. si cert. petat. quarto pupillo etiam sine tutoris auctoritate mutuanti l. non omnis. §. fin. ff. si cert. petat.

Contra quem.

DAtur primo contra eum, qui mutuum recepit patrem familias, scilicet compotem mentis, & puberem quoquo ille verterit pecuniam mutuo acceptam l. non aduersus, & l. eum qui. C. si certum petatur, non autem contra filiũ familias, neque eius patrem stante exceptione
4 S.C. Macedoniani §. illud proprie, infra quod cũ eo, qui aliena potestate, secundo contra Dominũ institore, vel procuratore illius mutuum recipiẽte l. si institorem. ff. si certum petatur, tertio contra ciuitatem, in cuius vsum administrator mutuum vertit l. Ciuitas. ff. si certum petatur, quarto etiam Ecclesia ex causa mutui obligatur si pecunia versa sit in vtilitatem Ecclesiæ Auth. hoc ius porrectum C. de Sacrosanctis Ecclesijs.

Ad quid.

DAtur ad hoc, vt debitor rem mutuatam restituat, non quidem in specie, sed in eo-
5 dem genere, vt pecuniam pro pecunia, vinum pro vino l. 2. cum ibi notatis ff. si cert. petat.

Quid sit actio commodati.

6 ESt actio in personam qua quis rem eandem in specie petit, qnam commodauit.

Quotuplex sit.

DVplex actio ex hoc contractu commodati oritur, scilicet directa, & contraria.

Directa actio commodati cui detur.

DAtur primo ei qui rem suam alteri commodauit l. 1. & l. rei commodatæ. ff. commodati,

dati, secundo datur Domino si seruus rem eius commodauit l.si seruus ia t .ff.commodati,tertio etiam furi, & prædoni rem alienam commodantibus l.commodare cum l.seq.ff.commodati.

Contra quem detur.

DAtur primo contra commodatarium Patremfamilias, & puberem cui aliqua res vtenda data sit §.item is cui supra quibus modis
7 re contrahitur obligatio, secundo contra filiumfamilias,& seruum directo,sed cōtra dominum, & patrem peculiotenus l.3.§. si filiofamilias.ff. ff.cōmodati,tertio contra impuberem accipientem rem commodato,sine tutoris auctoritate si locupletatus sit ex eo,aliás impuberes, & furiosi non tenentur l.1.§.fin.iuncta l.1.& 3.ff.commodati,quarto contra hæredem commodatarij pro ea parte,pro qua hæres est d.l.3.hæres.

Ad quid detur.

8 DAtur ad rem ipsam,quæ commodata est in specie, non deteriorem restituendam si extat d.§.item is, quib. modis re contrahitur obligatio, & si res non extat,datur ad æstimationem eius, si dolo, & culpa commodatarij perijt, quo casu tamen res peri debet, licet cōdemnatio fiat in æstimationem,quia ipsa res,& non æstimatio est in obligatione,vt notatur post text. in l.si seruum.§.fin. ff.de verb.oblig. secundo datur ad interesse deteriorationis,quando res deterior reddita est l.3.§. si reddita. ff.commodati, an autem quis teneatur recipere rem deterioratam oblato precio deteriorationis,dicendum est quod sic,vt concludit Angel.in l.eleganter.§.non solum.ff.de dolo,sequit Ias.in l.2.§.mutui datio.ff.si cert.pet.

Tertio datur etiam hęc actio,si commodatum gratia commodatarij tantum factum fuit ad pręstandum dolum,latam,leuem,& leuissimam culpam l.si vt certo.§.nunc videndum,& l.in rebus ff.commodati, non autem ad casum fortuitum, dicta l.in rebus,nisi in tribus casibus,primus est, quando culpa commodatarij præcessit casum.

Secundo, quando commodatarius commisit moram in restituenda re commodata.

Tertio, quando pactum fuit appositum cap. vnico, extra commodati.

Contraria actio commodati cui detur,contra quem, & ad quid.

DAtur commodatario contra commodantē,primo ad recuperandas expensas,quas ad commodatarius in re commodata fecit l.in rebus.§.possunt.ff.commodati.

Secundo datur,quando commodans rem cōmodatā intempestiue reuocare vult, vt patiatur
9 cōmodatarium vti re in eum vsum, in quem cōmodauit l.in commodato.§.sicut.ff.commodati.

Tertio ad damna, quæ passus est commodatarius ex re vitiosa commodata, si commodans sciens vitium rei commodauit, aliàs non l.in rebus.§.item qui sciens,& l.penul.ff.commodati.

Quid sit actio depositi.

EST actio personalis persecutoria rei,qua quis rem apud alium depositam petere potest.

Quotuplex sit.

10 DVplex est depositi actio directa, & contraria.

Quæ requirantur ad directam actionem depositi.

11 PRimo requiritur,quod res deposita sit, nam depositum re interueniente tantummodo contrahitur §.præterea supra quib. modis re cōtrahitur obligatio,secūdo quod depositarius gratis receperit depositū, nam si merces in pecunia numerata pro custodia rei constituta esset, actio locati cōpeteret,si alia res,actio præscriptis verbis locum haberet l.1.§.si quis seruū.ff.depositi.

Cui detur.

12 PRimo datur deponēti,siue sit pater familias, siue filius familias l.Iulianus.ff.depositi,adeo quod etiam furi,& prædoni competit,quia ipsorum interest,cum vero Domino ad rem restituendam per furtum subtractam teneantur l.1.§. si prædo.ff.depositi,verum bene est,quod si dominus,& fur deponens in petitione concurrant dominus præferri debet l.bona fides.ff.depositi, secundo datur Domino ex deposito facto per seruum,siue sit vsufructuarius,siue proprius,siue alienus bona fide seruiens,siue hæreditarius d.l.1. §.non solum.ff.depositi,tertio datur hæredibus d.l.1.vers.hæc actio.§.si apud,& si plures sint hęredes depositumque commode diuidi possit,pro parte hæreditaria cuilibet hæredi hæc actio datur d.l.1.§.si pecunia.

Contra quem.

13 DAtur primo cōtra depositarium d.l.1.§.inde scribit, secundo contra filium familias, & seruum in solidum, & eius patrem, & dominū peculiotenus d.l.1.§.filiusfamilias, tertio contra pupillum doli capacem, vel locupletiorem factū d.l.1.§.an in pupillum, quarto contra hæredem depositarij,& si plures sint, quilibet pro parte hęreditaria conueniri potest l.si hominem.§.1.& l. in depositi actione.ff.depositi.

Ad quid detur.

HÆc actio datur regulariter ad simplū,idest, ad ipsam rem depositam restituendam

d.l.1.§.1.ff.depositi, in quatuor tamen casibi hic in §.nostro enumeratis, etiam ad duplum datur, &tunc est mixta, quia persequitur rem ipsam depositam, & simul pœnam, videlicet, quando quis incendij, ruinæ, naufragij, vel tumultus causa rem
14 deponit, & depositarius postea inficiatur depositum per dolum, his casibus condemnabitur in duplum ad rem s. restituendam, & etiam ad eius æstimationem §. rei persequendæ hoc tit.l.1.§.f. ff.eod. secundo datur etiã ad pretium rei, si hęres nesciens rem esse depositam pœnes testatorem, eam alienauit, & deinde redimere nõ potest d.l. 1.§.fi.cũ duab.legib.seq.ff.eod. tertio ad fructus etiam, & accessiones rei depositæ d.l.1.§.hanc actionem, quarto ad interesse deteriorationis d.l. 1.§.si res deposita deterior; quinto ad prędstandũ dolum, & latam culpã, non autem leuem, nec leuissimã, & multo minus casum fortuitum §.prætęrea supra quib.modis re contrahitur obligatio.

Contraria actio depositi cui detur contra quem, & ad quid.

Contraria actio depositi datur ipsi depositario, & eius hæredibus contra deponentem
ad recuperandas expensas necessarias, & vtiles in
15 rem depositam factas l.si in Asia.ff.depositi, item
datur ad omnem indemnitatem eius, qui depositum suscepit l. ei apud quem.ff.depositi.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit actio furti.*
2 *Quot actiones contra fures introductæ sint.*
3 *Quæ requirantur ad actionem furti.*
4 *Cui detur.*
5 *Contra quem detur.*
6 *Ad quid detur.*
7 *Quid sint actiones partim rei, & pœnæ persecut.*
8 *Quid sit actio vi bonorum raptorum.*
9 *Quæ requirantur.*
10 *Cui detur.*
11 *Contra quem detur.*
12 *Ad quid detur.*
13 *Quid sit actio legis Aquiliæ.*
14 *Quotuplex sit.*
15 *Quot sint capita l. Aquiliæ.*
16 *Quæ requirantur ad hoc, vt ex primo capite legis Aquiliæ agi possit.*
17 *Cui detur actio l. Aquiliæ ex primo capite.*
18 *Contra quem detur actio l. Aquiliæ ex primo cap.*

§. Ex maleficijs.

Absoluto primo membro diuisionis supra positæ in §. præcedenti Imperator in hoc §. posteriora duo membra prosequitur, & primo de actionibus, męre pœnalibus, & deinde de mixtis, tam rei, quam pœnæ persecutorijs per exempla tradit, inter quos primo loco actio furti pręponitur, quæ pœnæ persecutoria est.

Quid sit actio furti.

1 Est actio pœnalis, quæ cõpetit ad persequendam pœnam quadrupli, si furtum manifestũ
sit, & dupli, si non manifestũ, nec duplo, aut quadruplo inest res furtiua, sed illa per alias actiones
rei persecutorias peti potest §. ex maleficijs hoc
tit. odio.n. furum plures actiones contra eos introductæ sunt, prima est actio ad exhibendũ, quę
est præparatoria rei vindicationis, de qua in §.
prætetea infra dicemus, secunda est rei vendicatio, quæ competit solo Domino iuxta l.in rem.ff.
2 de rei vindicationę, contra ipsum furem, & quem
cũque possessorem rei furtiuæ simpliciter ad recuperandam ipsam rem furto subtractam §.fin.
de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur, tertia dicitur condictio furtiua, quæ est etiã rei persecutoria l. si pro fure. §.furti.ff.de condictione furtiua, & hæc datur tantum ipsi domino, eiusque hæredibus contra ipsum furem, & eius hæredem tantum, non autem cõtra alium extraneum possessorem, & sic in hac differt á rei vindicatione l.1.& l.sed nec.ff.de condictione furtiua, quarta est actio furti, quæ est męre pœnalis, nec ipsam rem furtiuã persequitur, sed solum pęnam dupli, vel quadrupli, & de hac tractatur hic in §.nostro.

Quæ requirantur ad actionem furti.

Primo requiritur, quod furtum sit cõmissum
ab eo, qui conuenitur, nam licet á tertio, &
3 bonæ fidei possessore res furtiua, non refuso pre-
tio sit restituenda, iuxta tex. in l. inciuilem.C.de furtis, tamen neque is, neque etiam hæredes furis pœnali hac actione conueniri possunt, cũ pęnæ suos debeant tenere auctores l.sancimus. C. de pœnis. 2. requiritur, quod actor sit dñs rei, vel aliás eius intersit rem furto subtractam non esse.

Cui detur.

Hæc furti actio datur primo ipsi domino
cui res subtracta est l.si vendidero. ff.de
furtis, secundo datur ei cuius interest rem non
esse subtractam licet non sit dominus, vt est cre-
ditor, cui expedit pignori potius, quam perso-
næ incumbere §.furti autem actio, supra de obli-
4 gationibus, quæ ex delicto nascuntur, tertio da-
tur Colono pro fructibus agri, quem colit l.cum qui, & l.si Apes.ff.de furtis, quarto datur commodatario, vel depositario, qui rei custodiam recepit, & ei etiam, qui precario rem accepit d.l.cum qui.§.is qui precario, & §.si res commodata.ff.de furtis, quinto datur bonę fidei emptori, quamuis aliena res subrepta sit l. cum æs pignori.ff.de furtis, sexto datur hæredibus eius cui res furto subtracta est §.non autem infra de perpetuis, & temporalibus actionibus l.1. §.hæredem. ff.de priuatis delictis.

Contræ

Contra quem.

DAtur actio furti primo contra furem, rem mobilem, vel celandi, vel lucri faciẽdi animo inuito Domino furripientem l. 1. falsus §. qui alienum, & l. inter omnes §. recte ff. de furtis, secundo datur contra falsum procuratorem, citra
5 Domini voluntatem exigentem æs alienum l. falsus procurator C. de furtis, tertio contra abutentem re, cuius possessionem, vel vsum, vel custodiã accepit, vt commodatarium, & depositarium §. furtum autem, cũ §. sequenti supra de obligationib. quæ eȩ delicto nascunt, quarto datur contra impuberem pubertati proximum, & doli capacem, §. penult. d. titu. de obligationib. quæ ex delicto nascuntur, & l. impuberem ff. de furtis, quinto cõtra Dominum rem surripientem, in qua alter vsumfructũ habet, vsufructuario enim actione furti tenet l. creditoris §. 1. ff. de furtis, sexto datur cõtra creditorem, qui dato pignore vtitur, vel illud soluta pecunia restituere negat l. si pign. & l. si is qui rem ff. de furtis. 7. datur contra eum, qui se creditorem simulat, cum tamen creditor non sit, vt eo commento nummos accipiat alienos l. falsus creditor ff. de furtis. 8. datur contra scienter suscipientes, & celantes res furtiuas §. cum ceptum supra de obligatioib. quæ ex delicto nascuntur. 9. cõtra præstantes opem, & consilium ad committendum furtum §. interdum d. tit. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur, & l. qui seruo iuncta l. in furti actione ff de furtis. decimo, & vlt. datur contra hæredes furis, si aliquid ad ipsos scientes, & contrectantes ex furto peruenit, aliter non §. non autem, & §. pœnales, infra de perpetuis, & temporalibus actionibus.

Ad quid.

DAtur hęc furti actio ad persecutionem legitimę pęnę, quæ de iure ciuili in furto manifesto est quadruplum, in furto non manifesto est duplum, & in hac pœna pecuniaria rerũ æstimatio refertur ad pretium eius tẽporis, quo res fuit preciosior, cũ omnib. accessionib. seu fructib. rei furtiuę §. si. supra de obligationib. quę ex delicto nascuntur l. si pro fure ff. de condictione fur-
6 tiua, & l. qui tabulas, cum l. qui facum ff. de furtis, & in hoc quadruplo nõ cõtinet rei persecutio, vt supra à nobis dictum est, cum absque quadruplo adhuc in ipsam aduersus furem, vel ipsius hæredẽ cõdictione furtiua, vel aduersus quecunq. possessorem rei vẽdicatione agere possit is cui p furtũ quicq ablatũ est §. ex maleficijs hoc tit. & l. 1. ff. de condictione furtiua, hodie iu iure nouo consuetudinario pro furto summam quinq. aureorũ excedente, ptæsertim, si aliquoties iteratum sit, corporalis pęna laquei scilicet imponit §. si quis quinq. solidos de pace tenẽda, & eius violatorib. in vsib. feudorũ, quæ consuetudo fures puniendi propter huius delicti frequẽtiam per totum fere orbẽ recepta est, abolita hac iuris ciuilis actione de pœna quadrupli, aut dupli, & licet pœna hæc granis nimium quibusdam videatur, quod qui in pecunia tantum delinquit in corpore puniatur; vtrumq. pro ęre reddere cogatur, tamen omnib. fere populis placuit, & necessaria visa est propter delictorum frequentiam, vt diximus.

Quot sint actiones partim rei, & pœnæ persecutoria.

7 TRes sunt actiones pœnæ, & rei persecutoriæ, scilicet actio vi bonorum raptorum, actio l. Aquiliæ, & actio ex testamento pro legatis venerabilibus locis relictis.

Quid sit actio vi bonorum raptorum.

EST actio prætoria per quam ab eo, qui rem violenta manu eripuit quadruplum intra annum exigitur, post annum vero simplum dun-
8 taxat §. 1. supra de vi bonorum raptorum §. ex maleficijs, hoc tit. & l. 4. ff. de vi bonorum raptorũ in quadruplo autem, & rei persequutio inest, ita vt pœna tripli sit, ideo, & hęc actio mixta dicitur, quia tam pœnæ, quam rei persecutoria est.

Quæ requirantur.

REquiritur violentia in re mobili dolo malo commissa, nam si quis bona fide rem suam esse putans, vel imprudens iuris eo animo rapuit, quasi domino liceat etiam per vim rem suam à possessoribus auferre, hoc iudicio conueniri non potest §. ita tamen, supra de vi bonorum rapto-
9 rum, ne tamen raptores suam temeritatem, hoc fuco, exquesito colore excusare possint, diuialib. constitutionib. introductum est, vt si quis rem suam vi ab altero rapuerit, eius dominio cadat, sinautem alienam post restitutionem eiusdem, quoque rei æstimationem præstet, quod generaliter tam in rebus mobilibus, quam immobilib. in quibus proprie inuasiones fiunt, obtinere voluerunt d. §. ita tamen supra de vi bonorum raptorum, & l. 1. §. hæc actio. ff. de vi bonorum raptorum l. si quis in tantam C. vnde vi.

Cui detur.

DAtur ei, cui dolo malo bona mobilia per vim ablata sunt l. 2. ff. vi bonorum raptorum, & l. C. eod.

Secundò ei cuius interest non inspecto vtrum rei dominus sit necne, vnde siue apud alium cõmodata res sit, siue locata, siue etiam pignorata, vel deposita, siue bona fide possessa, siue vsufru-
10 ctũ vel aliquod ius in ea habet, ei hæc actio cõpetit, non, vt, dominium accipiat, sed illud solum quod ablatum est l. 2. §. in hac actione ff. vi bonorum raptorum, & sic in hoc casu non agitur ad quadruplum, sed solũ eius, quod actoris interest.

Tertio datur donatario à quo res per hæredem donatoris ablata est l. 2. C. eod.

Quarto, hæredi ceterisque successoribus l. 2. §. fin. ff. eod.

Contra quem detur.

Datur hæc actio primo contra raptorem rei mobilis, quantumuis illa minima fuerit. §. 1. supra de vi bonorum raptorum, & l. pen. ff. eod.

Secundo contra eum qui præcedente consilio ad hoc ipsum collegit homines armatos, vt damnum det, bonave rapiat. l. 2. §. dolo autẽ malo ff. eod. siue igitur ipse q. cogat homines siue ab alio coactis ad capiẽdum vtatur, hac actione tenetur.

11 Tertio datur cotra dominũ si seruus vim fecisse dicatur l. de his, quæ seruus C. vi bonor. rapt.

Quarto, contra dominũ familiæ, & continẽtur nomine familiæ hi, qui in ministerio sunt, etiã si sint liberi homines, vel serui alieni bona fide seruientes, liberatur tamẽ dñs, quando pro omnib. seruis semel offert quadruplum, vel si noxæ dederit eos qui dolo fecerunt. l. 2. §. familiæ ff. eod.

Quinto datur contra creditorem res sibi obligatas vi rapientem l. res obligatas C. eod.

Sexto, contra impuberem pubertati proximũ, & doli capacem l. 2. §. impuberem ff. eod.

Septimo, contra heredem donatoris, qui per vim à donatario rem donatam rapit. l. 2. C. eod. contra autem aliorum heredes, quia pœnalis est non datur l. 2. §. fin. ff. eod.

Ad quid detur.

Datur hæc actio ad quadruplum intra annũ in quo, & rei psecutio inest, adeo quod triplum est pęna, post annum vero in simplum §. ex
12 maleficijs, hoc tit. & §. 1. supra de vi bonor. rapt. item datur ad interesse eius, qui non est dominus rei l. 2. §. in hac actione ff. vi bonorum raptorum.

Quid sit actio legis Aquiliæ.

EST actio ciuilis in personam quæ datur domino aduersus eum qui damnum iniuria dedit, vel saltem causam danni dedit, vt quanti plu-
13 rimi res, vel anno proximo vel triginta diebus proximis fuerit, tanti damnetur: iniquum enim erat alterum ab altero, etiam, si non dolo, sed culpa id fiat, lędi, nemo enim suam negligentiam in alterius damnum conuertere debet, toto tit. ff. ad l. aquiliam, hęc actio quandoque alio nomine dicitur actio damni iniuriæ.

Quotuplex sit.

Actio legis Aquiliæ duplex est, directa, & vtilis, directa in eum datur, qui immediatè
14 suo corpore, vel manibus damnum dedit vtilis in eum, qui aliquo medio damni causam prestat.

Quot sint capita legis Aquiliæ.

15 TRia sunt capita legis Aquiliæ, quorum duo tantum hodie sunt in vsu, secundum enim huius legis caput, vtpote sub alijs satis comprehensum in desuetudinem abijt, & quia de his sa-tis suo loco diximus, ideo hic omitto.

Quæ requirantur ad hoc, vt ex primo capite legis Aquiliæ agi possit.

PRimo requiritur, quod reus interfecerit seruum, aut quadrupedem, secus si tantum vulnerauit supra in principio de l. Aquilia.

16 Secundo, quod occisus sit seruus, vel quadrupes, quæ pecudum numero sit, hoc est, quæ gregatim pascitur, vt equi, boues, capræ, oues, & similia animalia.

Tertio, quod per iniuriam occisio talis facta sit sup. in prin. de l. Aquil. l. 1. & 3. eod.

Cui detur actio legis Aquiliæ ex primo capite.

DAtur primo, domino directo, qui damnum passus est l. item mela §. legis ff. ad legem Aquiliam.

17 Secundo, datur domino vtili, & emphyteutæ, & feudatario l. cedere §. eius actiones ff. arbori furtim cæsarum.

Tertio, vtilis actio datur etiam vsufructuario d. l. item mela §. fin. & ibi glo.

Quarto, hæredi cæterisque successoribus l. inde Neratius §. hanc actionem ff. eod. Bonæ fidei autem possessori non datur cum non sit dominus, sed ei actio in factum competit propter operas amissas d. l. item mela §. sed etsi seruus, ideo nec commodatario datur pro re cõmodata damnificata d. l. item mela §. cum cui.

Contra quem datur actio legis Aquiliæ ex primo capite.

PRimò datur, contra occidentem iniuria seruum, siue pecudem alterius, quæ gregatim pascitur l. 2. in princ. ff. ad l. Aquiliam.

18 Secundo, contra creditorem occidentem seruum pignoratum, quo casu etiam pignoratitia actione reus conueniri potest, sed actor altertra contentus esse debet l. sed etsi is ff. eod.

Tertiò, contra socium qui seruum commune occidit pro ea parte pro qua dominus est l. etsi communem cum l. seq. ff. eod.

Quarto, contra præceptorem nimia sæuitia discipulum castigantem, nimia enim sæuitia culpæ annumeratur l. præceptoris ff. eod.

Quinto, contra medicum imperite secantem, quia, & imperitia culpæ ascribitur l. qua actione §. si medicus ff. eod.

Sextò, contra impuberem doli capacem l. sed etsi §. & ideo ff. eod. contra heredes vero cęterosq; successores non datur, quia pœnalis est, nisi forte ex damno dato locupletiores facti sint l. inde Neratius §. hanc actionem ff. eod.

Ad

Ad quid detur actio legis Aquiliæ ex primo capite.

Datur ad id quanti in eo anno plurimi fuerit id quod occisum est, & in simplum datur aduersus confitentem, aduersus vero negantem inficiatione in dúplũ crescit l.inde Neratius. §.hæc actio.ff.eod. & l.contra negantem. C.eod. si negatio dolo malo facta sit, alias non, quamtamen negationem, vsque ad litis contestationẽ impune reuocari posse manifestum est l.electio. §.neque.ff.de noxalib.actionib.

Quæ requirantur ad hoc, vt tertio capite legis Aquiliæ agi possit.

Primo requiritur vulneratio serui, aut quadrupedis, quæ inter pecudes numerantur.

Secundo, cuiuscunque alterius animalis, quod pecudum numero non venit, veluti, canis, vrsi, leonis, & similium lęsio, aut occisio.

Tertio, damnum omnib.rebus, quæ anima carent per rupturã, aut vstionem iniuria, dolo, malo, vel culpa illatũ, veluti, si quis arbusta, vel villas alterius incenderit, nã si solo casu fortuito, vel vi timore cogẽte damnũ datũ sit, hęc actio locũ nõ habet cũ extra dolum, & culpã sit, quod humana diligentia prouideri non potest l.si quis fumo.§. quod dicitur, & l.qui occidit.§.in hac quoque actione.ff.ad l.Aquil. §.iniuria, supra de l.Aquilia.

Cui detur actio legis Aquiliæ ex tertio capite.

Datur primo, dño serui, vel quadrupedis vulnerati, vel feræ sauciatæ, & omnis rei inanimatę corrũptę §.tertio autẽ capite supra de l.Aquil.l.itẽ mela.§.legis, & §.si seruus seruũ.ff.eod.

Secundo dãtur domino agri depasti alieno pecore inducto cap.fin. de iniurijs, & damno dato.

Tertio, datur domino exustę domus contra vicinum male ignem custodientem l.si seruus seruum.§.item in arbustum.ff.eod. cap.si egressus, & cap.si quis domum extra de iniurijs.

Contra quem detur actio legis Aquiliæ ex tertio capite.

Primo datur cõtra eum, qui vstione, ruptura, vel fractura damnum iniuria dedit l.si seruus. §.tertio autem cap.ff.ad l.Aquil.& l.1.C.eod.

Secundo contra lędentem, vel occidentem feram, quę pecudum numero non est l.quemadmodum.§.penult.ff.eod.

Tertio contra iubentem, & mandantem l.liber homo la 2.ff.eod.

Quarto contra eũ, qui canem irritauit, & fecit, vt aliquem morderet l.item mela.§.item.ff.eod.

Quinto contra delentem chirographum, vel testamentũ l.si quis testamentũ.ff.eod.quamquam, & hoc casu falsi crimine ex l.Cornelia agi possit l.qui testamentum.ff.ad l.Corneliam de falsis.

Sexto contra dominum scientem, & patientẽ seruum vulnerare, vel occidere l.in lege, & lege scientiam.ff.ad l.Aquil.

Septimo contra magistratus, non iure aliquem damno afficientes l.quemadmodũ.§.pen.ff.eod.

Octauo cõtra plures percutientes seruum, vel aliam rem corrũpentes in solidũ, nec quod alius præstitit, alium releuat cum sit pœnã, si tamẽ appareat cuius ictu perierit, ille quasi occiderit, tenetur, cęteri de vulnere, sed si non appareat, oẽs quasi occiderint tenentur quemadmodũ si plures trabem deiecerint, & hominẽ occiderint, omnes occidisse censentur l.itẽ mela.§.si plures.ff.eod.

Ad quid detur actio legis Aquiliæ ex tertio capite.

Datur ad id quanti ea res quæ perijt, vel deterior reddita est in 30.dieb.proximis plurimi valuerit, & sic ad omne id quod quoquomodo alterius interest, adeo quod comprehenditur non solum damnum datum, sed & quod cõsequi potuimus, aut erogare cogimur l.ait lex.§.sed vtrum cum duabus sequentibus.ff.eod.hęc tamen omnia nõ ex affectione eius, qui damnum passus est æstimanda sunt, sed quanti res omnibus valeret, pretia enim rerum non ex affectione singulorum æstimantur l.si seruum.ff.eod. & l. pretia. ff.ad l.Falcidiam, à qua æstimatione etiam deducendum est id, quod dominus ex rebus corruptis in vtilitatem suam vertit l.si seruus.§.boue surrepto.ff.de condictione furtiua, & in simplum datur aduersus confitentem, in duplum vero aduersus negantem, vt superius etiã diximus de actione, quæ ex primo capite descendit.

Quid sit actio ex testamento in quo venerabilibus locis legata relicta sint.

Est actio personalis in duplũ cõpetens aduersus eũ, qui ex hęreditate, q̃ ipse adiuit Ecclesiæ, vel alteri venerabili loco, seu miserę personę ad pias causas aliquid legatum esse negat, vel fatetur quidẽ, sine tamen iusta causa eius legati solutionem differt, & sic licet actio ex testamento regulariter rei persecutoria sit, & in simplum tantũ cõpetat, tamen in his duobus casibus ob mendacium, vel dilationem fraudulentam mixta est, & in duplum datur d.§.ex maleficijs in fi.hoc tit.

Quæ requirantur ad hanc actionem.

Requiritur legata esse relicta Ecclesię, aut venerabilibus locis, quorum nomina referuntur in l.fin. C.de Sacrosanctis Ecclesijs.

Secundo requiritur, quod hæres, vel omnino neget legatum esse relictum, vel illud sine iusta causa soluere differat d.§. ex maleficijs iuncta glo.in verbo distulerunt.

Tertio, quod hæreditas ab hærede adita sit, aliter non obligatur ad hanc pœnam, vtcunque legata non soluantur.

Cui detur.

DAtur hæc actio Ecclesiæ, vel administratori eius, aut venerabilis loci.

Secundo datur singulis personis, quibus aliquid relictum est.

Contra quem detur.

DAtur contra heredem, qui adiuit hereditatē defuncti l. si quis absentis. §. heres quoque. ff. de actionibus, & obligationibus, item & contra quamcūque aliam personam à testatore ad prestanda huiusmodi legata grauatam l. 1. & ibi Doctor. notāt. C. communia de legatis, secundo etiā contra executores testamenti sine causa solutionem differentes ita Doctor. omnes hic.

Ad quid detur.

DAtur ad rem legatam, ad pœnam dupli, cui tamen inest res legata, & simul debentur vsuræ, & interesse ex mora iniusta, Faber hic nu. 5. & Angel. num. 25.

SVMMARIVM.

1 *Quot modis actiones mixtæ dicantur.*
2 *Quid per reales, & quid per personales actiones petatur.*
3 *Quid sit actio familiæ ercifcundæ.*
4 *Quotuplex sit.*
5 *Quæ requirantur ad hoc, vt competat.*
6 *Cui detur.*
7 *Contra quem detur.*
8 *Ad quid detur.*
9 *Quid sit actio communi diuidundo.*
10 *Quotuplex sit.*
11 *Quæ requirantur ad hoc, vt competat.*
12 *Cui detur.*
13 *Contra quem detur.*
14 *Ad quid detur.*
15 *Quid sit actio finium regundorum.*
16 *Quotuplex sit.*
17 *Quæ requirantur ad hoc, vt competat.*
18 *Cui detur.*
19 *Contra quem detur.*
20 *Ad quid detur.*

§. Quædam actiones.

ACtiones in iure nostro multis modis mixtæ dici possunt.

Primo mixtæ dicuntur illæ, quæ partim rei, partim pœnæ persecutoriæ sunt, de quibus in præcedenti §. diximus.

Secundo mixtæ dicuntur actiones illæ in quibus quilibet litigator est actor, & reus, nec facile discerni potest quis sit actor, vel reus, verum bene est, quod actor in his casibus dicitur ille, qui
1 prior ad iudicium prouocat l. in tribus cum l. sequenti. ff. de iudicijs, & l. inter cohæredes. §. si familiæ. ff. familiæ ercifcundæ.

Tertio mixtæ dicuntur, quæ partim realium, & partim personalium actionum naturā sapiunt, cum igitur supra Imperator dixerit de actionibus mixtis rei, & pœnæ persecutorijs, nunc de mixtis, quæ realium, & personalium naturam habent, & in quibus vterque litigantium actoris, & rei vice fungitur proponit, hę autem sunt actio familiæ ercifcūdæ, communi diuidūdo, & finium regundorū, per actiones reales petimus id quod nostrum est ratione dominij, vel quasi, vel in quo ius quoddam habemus, per personales vero pe-
2 timus id quod nostrum adhuc non est, sed nobis debetur ex contractu, vel quasi, ex delicto, vel quasi, quia igitur ad vtrumque agitur in his trib. actionib. euidens ratio patet, cur mixtam actionem habere dicantur, respectu igitur portionis meæ dicuntur reales, nam ago ad id quod meum est, sed respectu portionis cohæredis, eæ aliarum personalium præstationum, vt puta redditum perceptorum, & impensarum factarum personales dicuntur, cum ex quasi contractu oriantur l. item Labeo. §. familiæ ercifcundæ.

Quid sit actio familiæ ercifcundæ.

3 EST actio mixta, quæ datur cohæredib. postulantibus, vt & hæreditas diuidatur, & si quid alter alteri debet præstetur, ercifcere enim diuidere significat secundū glo. hic fortasse ab arceo, quod vtraq. pars ab altera arcetur, de hac actione extat tit. ff. & C. familiæ ercifcundæ.

Quotuplex sit.

DVplex est actio familiæ ercifcundæ directa, quæ competit hæredi possidenti, aut non possidenti hæreditatem de iure ciuili l. 1. ff. eod.
4 vtilis, quæ conceditur de iure pretorio bonorum possessori, & hæredibus fideicommissarijs, quib. ex Senatusconf. Trebelliano hæreditas est restituenda l. sed eius. §. familiæ. ff. eod.

Quæ requirantur ad hanc actionem.

PRimo requiritur, quod aliquis sit hæres, siue ex testamento, siue ab intestato l. 2. & l. cum putarem. ff. eod.

Secundo, quod actor sit cohæres illorum aduersus quos hanc actionē intendit, vel quod possideat, nam si alij hæredes eum cohæredem esse negent, vel non possideat, hæc actio locum non habet, sed petitio hæreditatis intentabitur, in qua
5 se cohæredem esse probare debet l. 1. ff. eod.

Tertio, quod res hæreditariæ per testatorem non fuerint diuisæ, nam tunc diuisio testatoris est attendenda l. quoties. C. eod.

Quarto,

Quarto, quod res tales sint, quæ in diuisionem venire possint, nam si indiuiduæ sint, vt iura seruitutum, & similia, non diuiduntur, sed adiudicãt l. hæredes. §. an ea stipulatio, & l. fundus. ff. eod.

Quinto, quod antea hoc iudicium non sit intẽtatum, vniuersale quippe est, omniumque rerum du[illegible] um iudiciũ deduci debet, quod si nõ fi[illegible], & res aliquæ remanserint indiuisæ communi diuidundo agi debet l. si filia. §. familiæ. ff. eod.

Cui detur.

6 DIrecta competit cohęredi hęreditatem possidenti, vel etiam non possidenti, si aduersarius eum hæredem confiteatur l. 1. & 2. ff. eod. vtilis vero datur bonorum possessori, vel ei cui ex Senatusconf. Trebell. hæreditas restituta est l. sed & eius. ff. eod.

Contra quem detur.

7 PRimo contra hæredem siue possidentem, siue non possidentem l. 1. ff. eod.

Secundo contra eum cui ex Senatusc. Trebell. hæreditas restituta est l. sed, & eius. §. 1. ff. eod.

Ad quid detur.

PRimo datur ad diuisionem rerum corporalium, siue mobilium, siue immobilium, quæ commodam diuisionem recipiunt, sed si res aliqua commodam diuisionem patitur iudici per-
8 mittitur, alteri rem ex bono, & æquo etiam totam adiudicare, atque eundem alteri certa pecunia in rei locum inuicem condemnare §. quædã hoc tit. l. mœuius. §. arbiter. ff. eod.

Secundo ad præstationes personales fructus, scilicet, hæreditarij fundi l. inter cohęredes. §. fructus, & l. fundus. ff. eod.

Tertio ad sumptus bona fide à cohęredes factos l. is. §. sumptuum. ff. eod.

Quarto ad damna ab vno hęrede dolo, vel culpa data l. damno, & l. & puto. ff. eod.

Quinto ad commoda, & incommoda communicanda l. item ex diuerso. ff. eod.

Quid sit actio communi diuidundo.

ESt actio mixta, & ex quasi contractu proueniens in qua res cõmunis particularis inter aliquos officio iudicis diuiditur, siue ea sit legata, siue donata, siue aliter ex quacunque causa in
9 eo translata excepta causa societatis, differt enim ab actione pro socio, quia actio pro socio præsupponit expressam, & voluntariam societatem, in qua communicatio, & diuisio rerum vtrinque est communis §. item si supra de obligationibus, quæ ex quasi contractu nascuntur, differt etiam ab actione familiæ erciscũdæ, quia hæc semel hęredi ꝓ re vniuersali cõpetit, illa vero pro re particulari pluries cõcedit §. itẽ si supra de obligationibus, q̃ ex quasi cõtractu nascuntur l. si filia. §. si. ff. familiæ erciscundæ, de hac actione cõmuni diuidundo extat titu. ff. & C. communi diuidundo.

Quotuplex sit.

10 DVplex est, directa, & vtilis.

Quæ requirantur.

11 PRimo requiruntur, quod res aliqua cõis, & indiuisa sit l. 1. ff. communi diuidundo.

Secundo, quod res diuidendæ sint corporales l. per hoc iudicium. ff. eod. nam incorporales, ipso iure sunt diuisæ, adeo quod non veniunt diuidendæ, sed adiudicandæ l. ea q̃ C. familiæ erciscundæ.

Tertio, quod aduersarius fateatur rem mihi, & sibi esse communem, nam si neget aliud iudiciũ est experiendum rei, scilicet vindicatio.

Cui detur.

DIrecta datur solis veris Dominis, qui rem communem habent, & eam pro indiuiso possident l. 1. 4. & penul. ff. eod. vtilis datur etiam ei, qui putat se habere rem cõmunem cum alio, quo casu tamen non agitur ad rei diuisionẽ, sed
12 ad sumptus in ipsa re factos l. si quis putans. ff. eod. item, & ei qui bona fide emit, vel ex aliqua iusta causa possidet cui, & publiciana datur l. cõmuni diuidundo. §. 1. & §. si duo sunt. ff. eod. item tutori, & curatori, qui Dominorum loco habentur, si pupillo expedit rei diuisionem fieri, quo casu, & decretum iudicis si res sit immobilis pręcedere debet, nam sicut alienari res immobilis sine decreto iudicis non potest, ita nec diuidi l. inter omnes. C. de prędijs minorum sine decreto iudicis nõ alienandis, & l. interdum. §. qui tutelã. ff. de furtis, similiter, & personis ecclesiasticis hęc actio competit pro rebus diuidendis, quas Ecclesia cũ alijs cõmunes habet l. iubemus la 2. C. de Sacros. Ecclesijs, interuenientibus, & in hoc casu solemnitatibus, quæ in alienatione rerum Ecclesiasticarum requiruntur de quibus in Authen. hoc ius porrectum. C. de Sacros. Ecclesijs.

Contra quem.

DAtur contra consortem, aut socium rem particularem communiter possidentem,
13 siue diuisionem omnino neget, siue inæqualiter diuidere velit, sicut enim nemo in communione inuitus manere cogitur l. fin. C. communi diuidundo, ita quoque nemo, iniqua alterum diuisione grauare debet l. 1. C. eod.

Ad quid detur.

PRimo datur ad diuidendam rem singularem corporalem cum societate, vel sine societate communem l. 2. & 4. ff. eod.

Secundo ad præstationes personales impẽsas, scilicet in re communi factas d. l. 4. §. sicut.
14 Tertio ad sumptus, & damna, cõmoda, & incommoda l. 3. & 4. ff. eod.

Quarto ad fructus post communionem perceptos d. l. 4. §. plane.

Quinto ad id quod in communi, vel ipsius socij culpa, vel alterius res eius gerẽtis admissum

est l.si is.ff.eod.l.nam,& seruius.§.fin.ff.de negotijs gestis, pacta autem, & conuentiones specialiter per socios initę per hoc iudicium seruari debent l.3.iu fi.ff.eod.

Quid sit actio finium regundorum.

EST actio mixta illis competens, qui prædia rustica confinia habent aduersus vicinum
15 possessorem ad constitutionem nouorum terminorum, vel antiquarum reparationum, & ad præstandum interesse, de qua actione extat tit. ff. & C.finium regundorum.

Quotuplex sit.

16 DVplex est directa, & vtilis finium regundorum actio.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur, quod actor sit Dominus prædij, vel directus, vel vtilis, vel ius saltem in eo habeat l.sed & loci.§.finium.ff.eod.
17 Secundo, quod prædia sint rustica, nō vrbana, quia vrbana communibus parietibus potius, quā terminis dignoscuntur l.1. & l.sed & loci.§.hoc iudicium.ff.finium regundorum.

Tertio, quod sint confinia, nec aliquid sit medium puta via publica, vel flumen, nam tunc hæc potius confinia sunt, quam ager vicini, riuus tamen priuatus si interueniat nihil obest, quin hac actione agi possit, quia pars fundi est d.l. sed & loci.§.fin.cum duabus sequentibus.ff.eod.

Quarto, quod actor propria auctoritate lite pendente fines non occupauerit, alias ab hac actione cadit l.si constiterit.C.eod.

Quinto, quod reus prædium confine habeat, actoreq. terminos ponere prohibeat, vel positos remoueat.

Cui detur.

DIrecta competit Dominis prædia rustica contigua habentibus l.2.ff.eod.vtilis vero datur emphiteutæ, qui vtile dominium habet l.4.
18 §.finium.ff.eod. item vsufructuario, & creditoribus, etiam qui iure pignoris possident fundos vicinos d.l.4.§ finium, hinc etiam vasallo datur, quia & ipse vtile dominium habet cap.omnes filij, si de feudo defuncti contentio sit, in vsib. feudorum, item datur Prælatis Ecclesiæ, qui prębēdas confines habent in villis quas ipsi possident cap.ex litteris de probationibus, similiter, & dominis habentibus iurisdictiones vicinas in Territorijs tantum glo hic aliquando etiam, & dominis Vrbanorum prædiorum, hæc actio competit si ex vna parte sit rusticum prædium, ex altera vrbanum glo.hic in verbo confines.

Contra quem detur.

19 DAtur contra quemlibet vicinum prędia rustica contigua habentem l.4.§.qui communem, & §.finium. ff.eod.

Ad quid.

DAtur ad diuisionem fundorum confinium, quorum dominium, vel directum, vel vtile habemus, vt termini noui constituantur, vel antiqui reparentur l.4.in princ.ff.eod.

Secundo ad diuisionem iurium incorporaliū, cuiusmodi sunt iurisdictiones tēporales, & spirituales argumento l.arbor. §.fin. cum ibi notatis
20 per Bart.& alios.ff.cōmuni diuidundo, & cap.super eo de parochijs, & alienis Parochianis, sciendum tñ est, quod cū nulla mortalium ad rixas, & arma procliuior sit cōtrouersia, q̄ de finib.agrorum, ideo legislatores alia tria remedia ad hanc perniciem tollendā introduxerunt, primum est codictio ex lege, & hoc habet locum, quādo quis post delatam finium regundorum quæstionē lite pendēte propria auctoritate partem fundi alieni occupat, tunc.n.non solum restituere debet, qđ occupauerit, sed tantundem etiam de suo amittere cogitur l.si constiterit. C.finium regundorū.

Secundum remedium est lex agraria, quā Caius Cęsar aduersus eum tulit, qui terminos statutos extra suum agrum dolo malo, mouerint, vt pro singulis terminis, quos eiecerint quinquagin ta aureis damnetur l.fin.ff.de termino moto.

Tertiū est accusatio criminalis ex cōstitutione Adriani Imper. qua is q pessimo facto terminos finium causa positos protulerunt, pęna corporalis, vt relegationis, verberū, operis publici ex conditione personę, & animo facientis irrogatur l.1. 2.& 3.ff.de termino moto, & hęc accusatio ciuile iudicium finium regundorū non tollit, neq; ab eo tollitur, sed qui finium regund.agit, accusare etiā termini moti reū potest, & ē contra l.4.§.fi dicatur. ff.finium regundor. alterutro tamen iudicio pendente æquum est, alterum vsque ad finem prioris differri l.4.ff.de publicis iudicijs, & l.1.C. quando ciuilis actio præiudicet criminali.

SVMMARIVM.

1. *Nulla actio vltra quadruplum extenditur.*
2. *Quæ actiones dentur in simplum.*
3. *Quæ actiones dentur in duplum.*
4. *Quid sit actio serui corrupti.*
5. *Quotuplex sit.*
6. *Quæ requirantur ad eam.*
7. *Cui detur.*
8. *Contra quem detur.*
9. *Ad quid detur.*

§. Omnes autem actiones.

QVoniam hucusque tres actionum diuisiones cum earum speciali resolutione expositæ sunt, reliquum est, vt ad quartam progrediamur, ea autem est, quod actionum aliæ in simplum,
1 aliæ in duplum, aliæ in triplum, & aliæ in quadruplum competunt, vltra quod nulla actio extenditur §. omnes hoc tit.

Quæ

Quæ actiones in simplum dentur.

IN simplum dantur omnes actiones reales, & pœnales, quæ ex contractu, vel quasi descen-
2 dũt, vt rei vindicatio cõfessoria, & negatoria actio mutui, empti, locati, & similia, in quibus insistendum non est, cum de quibusdam supra dictum sit, vt de reliquis in §. actionum infra commodiori loco dicendum sit.

Quæ actiones dentur in duplum.

ACtiones, quæ in duplum dantur quinque referuntur hic ab Imperatore in d. §. omnes,
3 quæ sunt actio furti non manifesti, actio l. Aquil. actio ex legato venerabilibus locis relicto, actio depositi, tumultus, incendij, ruinæ, & naufragij causa facti, & actio serui corrupti, cumque de quatuor prioribus superius dictum sit, de quinta tantummodo hic dicendum erit.

Quid sit actio serui corrupti.

EST actio prætoria pœnalis, quæ in duplũ conceditur aduersus eum, qui animum serui al-
4 terius, vel filij, vel vxoris dolo, hortatu, consiliovè malo corrupit l. 1. & 2. ff. de seruo corrupto, differt ab actione l. Aquiliæ, quia hęc competit quoties corpus, illa vero quoties mores serui corrũpuntur secundum glo. huc super verbo deterior.

Quotuplex sit.

5 ACtio serui corrupti duplex est, directa, & vtilis l. 1. & l. si quis seruum. §. si in seruo. ff. eo.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur, quòd quis dolo malo corrumpat seruum filium, vxorem, vel filiam
6 alterius, nam si sine dolo puta per iocum non tenetur l. dolo malo. ff. eod.

Secundo, quod seruus sit alienus, alioquin si seruum suum quis corrumpat, hac actione non tenetur l. 1. in princ. ff. eod.

Cui detur.

DIrectã cõpetit dño serui l. 1. in prin. ff. eod. verum quia hodie dura illa seruitus abolita est, ideo hæc actio directa ab vsu fori recessit, vtilis vero in multis casibus rectè, & vtiliter per extensionẽ datur, & primo patrifamilias ob corruptum filiũ, vel filiam l. vt tantũ. §. de filio. ff. eod.
7 Secundo, marito pro vxore corrupta secundum Doctor. hic.

Tertio, magistratui de subditis corruptis, & omnibus, quorum aliquo modo interest familiam suam non esse corruptam l. si quis seruum. §. si in seruo. ff. eod. argumẽto ducto à seruitute ad legitimam subiectionem. Quarto hæredibus eius, cuius seruus corruptus est l. sed & hæredes. ff. eodem, contra autem hęredem corrumpentis, cum pœnalis sit non datur l. hæc actio. ff. eod.

Contra quem detur.

DAtur primo contra eum, qui suo consilio, vel persuasionibus seruum, vel filium alterius bonum corrupit, vel malum deteriorem fecit l. 1. §. sed vtrum, & §. is quoque, & l. in hoc iudicium. ff. eod.

Secundo contra eum, qui quoquomodo improbe aliquẽ ad aliquid faciendum sollicitat etiã si nihil effecerit, idque ne ex huiusmodi impuni-
8 tate in alium, qui facile corrumpi posset, facile per tentent l. si quis seruo. C. de furtis, & seruo corrupto. l. 1. §. persuadere. ff. eod.

Tertio, datur marito contra vxorem corrumpentem liberos, vel familiam mariti, non quidem ad duplum, sed ad simplum tantum, quia inter personas sibi coniunctas lex tam atrocem actionem dare erubuit l. vlt. ff. eod. l. fin. §. vlt. C. de furtis, & seruo corrupto.

Quarto, datur contra vsufructuarium, & hæc directa domino proprietatis, datur etiam cõtra proprietarium ex aduerso ipsi vsufructuario, si seruus in quo vsumfructum habet corrupit, vtilis tamen l. si quis seruum. §. 1. ff. eod.

Quinto, contra recipientem seruum cum rebus domini aufugientem, & eum abscondentem l. 1. in princ. & in §. quod autem. ff. eod.

Ad quid detur.

DAtur ad duplum damni dati l. vt tantũ. §. in hac l. doli verbo. §. hæc actio, & §. fin. ff. eod.
9 Secundo ad interesse, & quodcunq; damnũ ex serui, vel filij, corruptione, & seductione emergẽs qđ cũ re ipsa duplicandũ est l. vt tantũ. §. is cõsequenter, & ibi Bart. & l. in hoc iudicium. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Vnica est actio, quæ in triplum competit.*
2 *Salaria apparitorum hodie qualiter constituantur.*
3 *Hodie nulla actio in triplum datur.*

§. Tripli.

1 *Quæ actiones dentur in triplum.*

VNica est actio, quæ in triplum competit de qua in §. tripli hoc tit. quando enim ma-
1 iorem summam quis in libello expresserat, quã ei debebatur, eo prætextu, vt litium executores maiores sportulas acciperent conditione ex lege pœna tripli mulctabatur, sed hæc in desuetudinem abijt, quia viatorum, seu apparitorum salaria, qui partibus citationes offerunt, hodie non secundum quãtitatem in libello petitam, sed iux-
2 ta miliarium numerum constituuntur, cum itaque huius actionis in foro nullus sit vsus, præser-
3 tim quoad nunciorum sportulas, diutius in eius explicatione immorari non licet, ideo rectè glo. hic in fine dixit nullam ad triplum hodie actionem dari.

SVMMARIVM.

1 *Quæ actiones dentur in quadruplum.*
2 *Quid sit actio in factum contra calumniatores.*
3 *Quæ requirantur.*
4 *Cui detur.*
5 *Contra quem detur.*
6 *Ad quid detur.*
7 *Quid sit condictio ex lege contra ministros publicos.*
8 *Quid sit actio, quod metus causa.*
9 *Quæ requirantur.*
10 *Cui detur.*
11 *Contra quem detur.*
12 *Ad quid detur.*

§.Quadrupli.

Quæ actiones dentur in quadruplum.

QVatuor actiones enumerantur hic, quæ ad quadruplum dantur.
1 Prima est actio furti manifesti, secunda actio in factum contra calumniatores, tertia cōdictio ex lege contra ministros publicos, quarta actio, quod metus causa, verum cum de actione furti manifesti supra dictum sit, nunc de tribus posterioribus dicemus.

Quid sit actio in factum contra calumniatores.

EST actio personalis, quæ proprie in eum datur, qui pecuniam accepit, vt innocenti ali-
2 cui in iudicio per calumniam negotium faceret, vel qui alteri pecuniam dedit, ne sibi negotium fieret l.1.ff.de calumniatoribus.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur pecuniam esse acceptam propter calumniam, vt.s.calumniosa actio in-
3 stituatur, vel nō instituatur, alias si simpliciter pecunia daretur in hoc ne quis accusaretur, hæc actio locum non haberet secundum Fabrum hic nu.5.

Secundo requiritur, quod data sit pecunia ob negotium calumniosum iudiciale secundum eundem Fabrum hic.

Cui detur.

DAtur ei, qui pecuniam dedit, ne calumniosum iudicium pateretur l.& generaliter.§.fin.ff.de calumniatoribus.

Secundo ei in cuius læsionem pecunia data est, vt sibi calūnia fieret d.l.& generaliter.§.illud eo.
4 Tertio hæredi eius, qui pecuniam dedit ne sibi calumnia fieret, sed non nisi in simplum ad repetendam, scilicet eam pecuniam quam defunctus dedit l.hæc actio.ff.eod.

Quarto etiam ei, qui Innocentis misertus pecuniam eo nesciente pro eo dedit ne in iudicio per aduersarium vexaretur l. si quis ab alio.§.si autem. ff.eod.

Contra quem.

DAtur primo contra eum, qui à tertio accepit pecuniam, vt cōtra alium calumniosam actionem institueret l.1.§.1.ff.eod.
5 Secundo contra eum, qui accepit pecuniam ne calumniosam litem alteri moueret, siue danti, siue alteri l.si quis ab alio.ff.eod. honeste enim hęc pecunia datur ne innocens patiatur calumniam, inhoneste vero, & turpiter accipitur, cum quis à calumnijs, & delictis vltro abstinere debeat l.iurisgentium.§.si ob maleficium.ff.de pactis.

Tertio datur etiam domino contra suum procuratorem, qui pecuniam accepit, vt domini negotium per calumniam ageret.i.vt per collusionem pateretur se ab aduersario vinci, quo casu tenetur ad quadruplū is, qui accepit, & is, qui dedit, vt est glo.in l.1.§.sed & cōstitutio, & ibi Bar.ff.eo.

Quarto datur etiam contra heredē accipientis in id, quod ad eum peruenit l.in heredem.ff.eod.

Ad quid detur.

6 DAtur intra annum ad quadruplum eius pecuniæ, quam quis accepisse dicitur, post annum vero in simplum, qui annus à die scientiæ currere incipit l.1.& l.annus.ff.eod.

Quid sit condictio ex lege contra ministros publicos.

EST actio personalis, quæ datur contra executores magistratuū, seu contra publicos nuncios, qui plus debito exigunt à litigantib. ratione
7 sportularum secundum Fab.hic nu 7.verum cum huius actionis non ita frequens sit vsus, plura de ea addere superuacaneum esse iudico, illud tamē diligenter hoc in loco notādum est, quod publici nuncij asserentes se commissionem pignorandi, aut capiendi aliquem habere, cum tamen nō habeant, atq; ita metum incutiant, vt aliquid à miseris extorqueatur, non solum incidunt in pœnam quadrupli eius pecuniæ, aut rei, quæ ipsis data fuit, sed etiam propter crimen concussionis extraordinarie, & criminaliter per iudicem sunt puniendi secundum glo.in l.1.ff.concussionibus, & per Ias.pleue hic num.1.2.3.& 4.

Quid sit actio quod metus causa.

EST actio prætoria personalis in rem scripta, per quam is, cui res per vim, vel metum in constantem virum cadētem extorta est, intra annum quadruplum eius, vel post annum simplum consequatur ab eo, qui rem extortam possidet §.
8 quadrupli hoc tit.& l.1.cum aliquot sequen.ff.de eo, quod metus causa, quoniam autem plura violentiarum genera sunt, sciēdum est vim compulsiuam tantum hanc actionem producere, quādo scilicet, quis per vim, & metum cadentem in constantem virum compellitur ad aliquid dandum, vel faciendum, nām pro alijs violentiæ speciebus ablatiua, scilicet, expulsiua, turbatiua, & inquietatiua

ſtatina aliæ actiones, & interdicta competunt, de quibus glo. in l.extat.ff.& in l.1. C. & in cap. ad audientiam, extra quod metus cauſa.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur, quod pro violentia compulſiua agatur, vt iam dictum eſt.

Secundo, quod metus ſit illatus, & talis quidē,
9 qui in conſtantem virum cadere poſſit, vt eſt metus, vel periculum mortis, aut cruciatus corporis l.metum cum ſequen.ff.de eo, quod metus cauſa.

Tertio, quod metus, tam in cōtractu, quam in ipſa traditione interueniat, alioquin ſi ſpontanea fuerit traditio, licet metus præceſſerit, hæc actio locū non habet, quia per ſequētem traditionem, metus purgatus cenſetur l.1. C.quod met.cauſa.

Quarto, quod propter metum illatum res tradita ſit l.metum autem.§.ſed quod Prætor.ff.eod.

Quinto, quod periculum ſit inſtans, & metus præſens d.l.metum.

Sexto, quod alius metum inferat, & non quis ſibi ipſi l.ſi mulier. ff.eod.

Cui detur.

DAtur hæc actio primo ei, qui metum præſentem, & qui in conſtantem virum cadere poteſt, paſſus eſt, ob quem rem ſuam dereliquit,
10 aut in alium tranſtulit, ſiue metum paſſus ſit in propria perſona, vel liberorum, vel coniunctorū ſuorum l.metum autem.§.volenti.l.nec timorem & l.iſti quidem.§.fin.ff.eod.

Secundo datur hæredibus cæteriſque ſucceſſoribus, quoniam rei perſecutionem habet l.quod diximus.ff.eod.

Contra quem detur.

PRimo datur contra inferentem metum, ſiue per ſe, ſiue per alium, etiam ſi res ad alium peruenerit.

Secundo datur contra quemcunque poſſeſſorem, vel detentorem rei per metum ablatæ, ſiue poſſideat titulo lucratiuo, aut oneroſo, vel ſine
11 titulo, alienum enim metum in alterius præmiū verti non oportet l.item ſi cum exceptione.§.pedius quoque, & l.metum.§. penul.ff.eod.

Tertio datur contra dominum ex metu per ſeruū facto, ſi modo res ad eum peruenit l. quod diximus.§.1.ff.eod.

Quarto contra hæredes, & hæredis hæredes, cæteroſque ſucceſſores ad id tātum, quòd ad eos peruenit, ſiue res metu extorta extet, ſiue in pecuniam, aliamve rem conuerſa, ſiue etiam conſumpta ſit, quia ſufficit ſemel ad proximum hęredem perueniſſe, licet enim pœna ad hæredes nō tranſeat, tamen quod turpiter, & ſcelere quæſitū eſt ad compendium hæredis pertinere nō debet l.quod diximus.§.fi.& l.videamus.ff.de eo, quod metus cauſa, interitum tamen, atque caſum pręſtare non coguntur, ſi res apud eum cui metus factus eſt, ſimili modo peritura fuiſſet, alioquin ſecus eſt l.ſi ipſa res, & l.item ſi. §. quid ſi homo, cum §.ſequen.ff.eod.& l.1.C.eod.

Ad quid detur.

DAtur primo ad res mobiles, & immobiles corporales, & incorporales per metum mutatas, & ablatas in integrum, & priſtinum reſtituendas l.metum.§.ex hoc edicto.ff.eod.

Secundo ad fructus, qui percepti ſunt, & percipi potuiſſent l.ſed & partus, & l. ſi mulier. §.1. ff.eod.iuncta l. 1.C.eod.in bonæ fidei autem poſſeſſoribus ſecus eſt, hi enim niſi de fructib. perceptis non tenentur l.item ſi.§.aliquando, & l.ſi ipſa res.ff.eod.

Tertio datur intra annum ad quadruplum, poſt annum autem in ſimplum l.ſi per vim.C.eod.rem ēn iuſſu iudicis intra tempus à iudice pręſcriptum reſtituens hac pœna non tenetur, quod in alijs actionibus, quæ in quadruplum dantur, non eſt ita §.item actio hoc tit.& l.item.ſi.§.ſi quis, & g.hęc actio.ff.eod.& ſic hęc pęna quadrupli nō eſt pęna metus, ſed cōtumacię, & morę in nō reſtituēdo.

SVMMARIVM.

§. Actio-

§. Actionum . .

Dictum fuit supra inter diuisiones actionũ, alias actiones esse bonæ fidei, & alias stricti iuris, ideo Imperator in hoc §. earum tractationem incipit,& bonæ fidei actiones tantummodo proponit,cum declarato vno contrariorum facile,& alterum cognoscatur, vt alias diximus supra in tit.de his,qui sunt sui, vel alieni iuris, & quia primo loco actio empti , & venditi proponitur, in primis etiam,& ante omnia de ea à nobis erit agendum . .

Quid sit actio empti .

Est actio in personã bonę fidei ciuilis,quę datur emptori contra venditorem pro re empta, cuius rei pretium soluit l. ex empto. ff.de actionibus empti, & venditi, complectitur autem hæc actio tres alias actiones sub se, primo actio-
1 nem de euictione, qua agitur contra vẽditorem, qui rei venditæ dominus non fuit, vt euictionem emptori de re vendita præstet toto tit.ff.de euictionibus, secundo redhibitoriam actionem,qua emptor intra sex menses ad rescindendum contractũ agere potest, si res vendita latens aliquod vitium in se habeat l.exempto.§.redhibitionem. ff.de actionibus empti, & venditi , tertio actionem præscriptis verbis , qua compellitur venditor ad implenda pacta venditioni adiecta Mysinger. supra in §. rei persequendæ hoc tit.

Quæ requirantur .

Primo requiritur à parte actoris, quod res empta sit, & à patre venditoris,vt tradita l. ex empto.ff.de actionibus empti, &venditi,& l.si traditio.C.eod. secundo requiritur,quod vendi-
2 tori integrum pretium sit solutum,aut oblatum, vel de eo fides habita sit, aliàs repellitur exceptione pretij non soluti l.Iulia. §.offerri cum ibi notatis per Bart.& Paul.de Castr. ff.de actionib. empti, & venditi.

Cui detur.

Datur primo emptori , qui integrum pretiũ soluit,vel obtulit,aut aliàs satisfecit d.l.Iulia.§.offerri. ff.eod.l.quod vendidi. ff.de contrah. empt. secundo datur domino,cuius procurator rem,ipsius nomine emit,& hæc vtiliter datur d.l. Iulia.§.si procurator.& l.cum per eos. C.si quis alteri,vel sibi , tertio hæredibus empt.l.fistulas.§. qui fundum,& l.dolia.§.fin.ff.de contrah.vendit.

Contra quem detur .

Datur primo contra venditorem nolentem rem venditam tradere l. 1 .ff.de actionibus empti,& venditi, secundo contra eundem qualitatem rei venditæ celantem l. 1.§.fin.l. ex empto. §.si quis virginem. ff.eod. tertio contra eundem
4 ob rem euictam l.exempto in princip. ff.eodem, quarto contra eundem dolum, vel culpam in re vendita committentem l.tenetur.§.si dolo malo, d.l.Iulianus.§.si venditor. ff.eod. quinto contra pr ocuratorẽ vendentis directo,contra vero Dominum mandantem vtiliter ad exemplum institorię actionis d.l.Iulianus.§.si procurator.ff.eod. sexto contra hæredes venditoris.§.aliquando infra de perpetuis, & temporalibus actionib.l.Lucius Titius, & l.creditor. §.prædium. ff. de actionibus empti, & venditi .

Ad quid detur .

Datur primo ad persequendam rei venditæ possessionem l.2.in princip.ff.eod. cuius,si Dominus fuit venditor,in emptorem eius dominium transfert,si vero nõ Dominus, tantum euictionis nomine emptor debitorem obligatũ habet l.ex empto.ff.eod.sed si venditor rei præstandæ facultatẽ non habeat,nec possidere dolo malo desierit, præstando id quod interest liberatur, quod interdum pretium egreditur,si pluris quam res empta est intersit l.1.in princ.ff.de actionibus
5 empti,& venditi,& l.si traditio. C.eod. secundo datur ad rei venditæ fructus pendentes,& omnia commoda,quæ postea accesserunt, nisi aliter cõuentũ sit d.l.Iulianus.§.si fructibus cum duabus sequentibus. ff.eod. tertio ad præstanda iura realia,& personalia,etiam si de hac nihil conuentum sit l.si aquæductus in princ. ff. de contrah.empt. quarto ad exhibenda instrumenta rei venditæ,& fines ostẽdendos, hoc enim bonę fidei consonat l.Titius hęres.ff.de actionibus empti , quinto ad cedendas actiones pro pensionibus fundi venditi l.si minor. C.de actionib. empti,& venditi, sexto ad interesse qualitatis celatæ,item euictionis l.1. §.venditor,& l.si sterilis.§.quamuis.ff.eod. & l. non dubitatur.C.de euictionibus , sexto ad præstãdum periculum,si se ad tempus ei subiecit, vel dolo,aut culpa venditoris res perijt,aut in mora tradendi fuit, de quibus omnibus extat tit. ff. & C .de periculo,& commodo rei venditæ.

Quid sit actio venditi.

6 Est actio bonæ fidei ciuilis qua venditor vtitur aduersus emptorem,vt iustum pretium pro re vendita cõsequatur l.ex empto, & d.l. Iulianus. §.ex vendito.ff.eod.

Quæ requirantur .

Primo requiritur contractum venditionis celebratum esse, secundo, quod res vendita
7 emptori tradita sit sine interuentu pretij §. pretium supra de emptione,& venditione, & d.l.Iulianus.§.ex vendito.

Cui detur.

Datur primo venditori d.l.Iulianus.§.ex vendito, secundo datur Domino ex venditione facta per procuratorem suum vtiliter d.l.Iu-
8 lianus,§.si procurator,tertio hæredibus venditoris ad quos actiones ex contractu defuncti actiuè,& passiuè transeunt §. nõ solum infra de perpetuis,& temporalibus actionibus .

Contra

Contra quem detur.

PRimo datur contra emptorē non soluentem pretium l.si per emptionem,& l.Iulianus §.ex vendito ff.eod.2.contra non soluentem sumptus per venditorem ante traditionem in re vendita factos l. si pendentes §. penult. ff. de vsufructu, tertio contra non implentem pacta incontinenti apposita l.2.C.de pactis inter emptorem,& venditorem,quarto contra hæredes emptoris d.l.2.

9

Ad quid detur.

DAtur primo ad pretium rei venditæ præscripto tempore consequendum d.l. Iulianus §. ex vendito ff. eod. secundo ad consequendos sumptus in re vendita ante traditionem factos d. l.Iulianus §.ex vendito versiculo præterea,tertio ad præstandum ea,quæ in cōtinenti adiecta sunt, nam secundum fidem antecedentis, vel incontinenti secuti pacti venditor experiri potest d.l.Iulianus §.ex vendito vers.si inter emptorem,& vēditorem, quarto ad restituendum id quod plus
10 debito præstitum est per venditorem l. si tibi ff. de actionib empti, quinto ad implendum factū puta si is, qui lapides ex fundo emit, eos tollere nolit, tunc enim ex vendito cum eo agi potest, vt eos tollat l.si is qui lapides ff.eod. sexto ad rescindendum contractū quando fundus venditus fuit sub pacto legis cōmissoriæ, hoc est vt nisi intra certū diem pretium soluatur res sit inempta septimo ad reuēdendū fundum,si pactū de reuēdendo in contractu venditionis appositum fuit l.2.C.de pactis,inter emptorem,& venditorem.

Quid sit locati actio.

ESt actio personalis bonę fidei ciuilis,quę locatori aduersus cōductorem competit pro repetēda annua pensione rei locatę,& est duplex
11 directa,quę datur regulariter,& vtilis,quæ interdum competit,cum quis. s. rem,quam conduxit alij rursus locat,quod fieri potest,nisi aliter conuentum sit l.nemo C.de locato,& cōducto, & l. si locauero ff.eod.

Quæ requiruntur.

GEneraliter requiruntur ad hoc,vt hæc actio cōpetat omnia ea, quæ ad perficiendā locationem interuenire solent, de quib. supra suo
12 loco diximus,specialiter autem requiritur quod pensio, vel illud quod in locationem deductū est solutum non sit l.quæro §.inter locatorem ff.eod.

Cui detur.

PRimo datur locatori prædij vrbani,aut rustici,vel ei qui rem mobilem,vel operam suam locauit l.sed adest.§.vltimo,& §.qui operas ff.locati,& conducti, secundo locatori operis faciendi,hoc est qui opus perficiendum paciscitur cōstituta,aut in singulos dies,aut in vniuersum mercede l.1.§.si seruum ff.depositi l.item si pactio §.1.ff.locati.

13 Tertio datur vsufructuario locāti,quantū vsufructus durat l.si quis domū §.huic subiungi ff. eo. Quarto ei qui id quod faciendum conduxerat, alij locauerit vtiliter l.si cui ff.eod.
Quinto locatori operarum, hoc est ei qui obligauit se ad laborandum, aut præstandas operas diurnas, si ut quotidie videmus l. qui operas ff. eod.sexto hęredibus locatoris l.viam veritatis C. locat.l.sed adest §.ex conducto ff.eod.

Contra quem.

14 DAtur primo contra conductorem l.si in lege ff.eod. secundo contra fideiubentem in omnem causam l.quæro ff.eod. tertio contra hęredes conductoris l.cum conductorem,& l.contractus C.eod.

Ad quid detur.

DAtur ad pensionem rei locatæ soluendam, vel ad integram mercedem si non steterit per locatorem quo minus locatas operas soluerer, vel sine causa ante tempus finitam locationis conductionem deseruerit, vel sua culpa casus occurrerit, quo minus re conducta perfrui potuerit l.quæro §.inter locatorem l.sed adest l.dominus §.fi.& l.penult,ff.eod.secundo ad deteriorationē rei locatæ, quæ vel ex culpa sui ipsius vel ministrorum, & domesticorum processit l. item quæritur §.si fullo l.merces §.penult.l. qui insulā §.fi.l.videamus,& l.si quis fundum §.cellus ff.lo-
15 cati,tertio ad colendum,seu inhabitādum fundū, more diligentissimi patris familias iuxta legē cōductionis nē fūdus reddatur deterior l.si merces §.conductor ff.eod. quarto ad præstanda omnia ea quæ in locationis conuētione expresse conuēta sunt l.1.C.eod.l.4.& l.in lege ff.eod.quinto ad dimittendam rem conductā ante tēpus conductionis finitum,si inquilinus pensionem non soluat, vel rem conductam deteriorem efficiat, vel ad vsum inhonestum trāsferat,vel locator ea domo,pro se vti velit l æde,& ibi,glos.& Bal.C.eo. sexto ad id quod interest si non demiserit l.si cui & l.sed adest §.illud nobis ff.locati,& conducti.

Quid sit actio conducti.

16 EST actio ciuilis bonæ fidei in personam per quam is,qui vel rem vtendam, vel opus faciendum conduxit, perfecti operis mercedem postulat l.ex conducto ff.locati.

Quæ requiruntur.

PRimo requiritur quod locator rem conductam non præstet, vel non patiatur cū re tota vel aliqua eius parte vti, vel aliàs non præstet quod in contrahendo conuentum est d.l.ex con-
17 ducto in princ.ff.eod.secundo quod locator sine iusta causa ante conductionis tempus conductorē expellat d.l.ex cōducto ff.eod.& l.æde C.eod.

Cui detur.

DAtur primo conductori aduersus locatoré, vt re, aut opera, quam conduxit ei frui nō
18 liceat d.l. ex conducto. §. 1. & §. vbicunq; iuncta l. si in lege. §. colonus. ff. eod. secundo hęredi conductoris l. sed addes. §. ex conducto. ff. eod. l. viam veritatis. C. eod.

Contra quem.

19 DAtur contra locatorem, vel eius hæredem, l. emptorem, & l. viam veritatis. C. eod.

Ad quid.

PRimo datur ad vtendum, aut fruendum re conducta in tempus præfinitum l. ex conducto, & l. si quis domum ff. eod. secundo ad reficiendam domum, seu rem conductam d. l. ex cōducto ff. eod. & l. ædes. C. eod. tertio ad repetēdas
20 expensas necessario, & vtiliter in re conducta factas, etiam si nihil conuentum sit l. Dominus. §. 1. & ibi Paulus de Castro ff. eod. quinto ad remissionem mercedis propter aliquod detrimentum rei conductæ ex tempestate, sterilitate, aut alio casu fortuito sine culpa conductoris secutum, d. l. ex conducto §. si vis tempestatis ff. eod. sexto ad interesse damni ex re vitiosa cōducta accepto l. sed ædes. §. si dolia. ff. eod. septimo ad omnia ea, quæ in hoc contractu, qui ex connentione legem accipit expressa sūt, siue pœna sit, siue quiduis aliud l. legem. C. eod.

Quid sit actio negotiorum gestorum.

EST actio prætoria bonæ fidei personalis ex quasi cōtractu proueniens, qua qui alterius negotiū sine mandato, ac sponte sua gessit, quidquid eo nomine, vel abest, vel absuturum est a
21 Domino repetit, vicissimq; actus sui rationem probare, & si quid, vel nō, vt oportuerit, gesserit, vel ex gestis quid retinuerit, præstare cogitur §. igitur cum supra de obligationibus, quæ ex quasi contractu nascuntur l. 2. ff. de negotijs gestis.

Quotuplex sit.

HÆc negotiorum gestorū actio duplex est, directa, & contraria directa aduersus eum
22 datur, qui absentis, vel ignorantis negotia sine mandato gessit, contraria aduersus eum cuius negotia gesta sunt, de eo quod alterum alteri ex æquo, & bono dare, aut facere oportet.

Quæ requirantur.

IN directa actione negotiorum gestorum, primo requiritur, quod negotia absentis, vel præsentis, ignorantis tamen gesta sint §. igitur supra de obligat. quæ ex quasi contractu, alioquin ei præsenti, & patienti, actio mandati competeret,
23 vt ibi diximus, & facit l. 2. & l. mādasti. ff. mādati, secūdo, quod quis sponte gesserit, aliás si necessitate aliqua, vel necessitatis suspitione vrgente, gesserit, vtilis locum habet l. 2. §. hac actione. ff. de negotijs gestis, in contraria requiritur primo, qd negotia absentis gesta sint sine mandato, secundo, quod negotium vtiliter gestum sit l. sed an vltro §. 1. ff. eod.

Cui detur.

DIrecta competit primo domino, cuius negocia absentis gesta sunt, seu præsentis ignorantis tamen l. 2 ff. eod.

Secundo curatori furiosi l. 3. §. curatori ff. eod.

Tertio hæredib. omnibusq. generaliter quorū interest l. 3. §. hæc autem actio, & l. sed an vltro ff. eod. contraria vero datur primo ei, qui alterius absentis negotia sine mandato gessit d. l. sed an vltro §. 1.

24 Secundo ei qui dedit procuratori alicuius mutuam pecuniam sui contemplatione, vt creditorem, vel pignus haberet l. si pupilli §. 1. ff. eodem.

Tertio soluenti pecuniam alterius nomine, qui nihil mandauit l. cum pecuniam ff. eod. & l. negotium C. eod.

Quarto fideiubenti sine mandato l. mandasti in fine ff. eod.

Quinto patri gerenti vtiliter negotium, quod filio mandabatur contēplatione mandantis, non filij d. l. mandasti in princ.

Sexto, cohæredi contra cohæredem pro debito communi soluto l. 3. C. eod.

Contra quem.

DIrecta datur primo, contra eum, qui sine mandato absentis negotia gessit l. 3. in prin. & l. soluendo ff. eod.

Secundo, contra eum, qui mādauit alteri alterius negotia gerere l. nam, & seruius § fin. ff. eod.

25 Tertio contra Nuntium pecuniam ad dominum perferendam accipientem l. si pupilli §. si quis pecuniam ff. eod.

Quarto contra hæredes, & cohæredes aliosq. successores l. si ab ea, & l. curatoris C. eod. contraria vero datur aduersus eos omnes quorū negotia vtiliter gesta sunt, siue effectum habuerint, siue non, sufficit. n. vtiliter geri negotia cœptū esse, licet euentus secutus nō sit l. sed an vltro ff. eod.

Ad quid detur.

DIrecta datur primo, ad reddendam rationē administrationis l. 2. ff. eod.

Secundo vt negotiorum gestor eo nomine condemnetur quicquid vel non gessit, vel non vt oportuit, gessit, puta dolo, aut culpa etiam leui l. si pupilli §. sed, & si quis, & §. videamus cum ali-
26 quot legibus sequentibus ff. eod. l. tutori C. eod.

Tertio ad restituendum quicquid ex gestione quocunque modo acquisitum, & perceptum est, vel acquiri, aut percipi potuit l. si autem §. item si fundum, & l. at qui §. non tamen ff. eod. contraria vero datur ad præstandum gerenti aliena negotia quicquid ratione gestionis impendit, vel amisit l. 2. ff. eod. veluti ad sūptus necessarios probabiles, & honestos l. qui aliena §. vlt. & l. quæ vtiliter ff. eod.

Quid

Quid si actio mandati.

EST actio ciuilis bonæ fidei personalis qua vel mandator agit contra eum cui mãdauit
27 ob non perfectum, vel intempestiue renunciatũ
mandatum, vel è contra mandatarius aduersus
mandatorem ad repetendos, & consequendos
sumptus, & expensas in re mandata factos l. si
mandauero §. interdum, & l. si quis alicui §. qui
mandatum ff. mandati.

Quotuplex sit.

28 Duplex est actio mandati, directa, & cõtraria.

Quæ requirantur.

29 REquiruntur omnia ea, quæ ad mandatum constituendum necessaria sunt, de quibus cum suo loco dixerim, hic non repeto.

Cui detur.

30 DIrecta datur primo mandati, & ei cuius interest mandatum negotium recte geri, nã si nihil interest mandati actio cessat. l. si procuratorem §. mandati actio ff. eod. secundo, hæredib. mandantis l. si quis §. morte, & l. inter causas ff. eod. contraria datur primo mandatario l. si vero §. contrario ff. mandati, secundo, procuratoribus ad sumptus probabiles litis etiam si causa ceciderint l. 4. C. eod. tertio, hæredib. mandatarij in hæredes mandantis §. item si adhuc sup. de mandato, & l. post solutionem C. mandati si tamen rem adhuc integram, vel à defuncto mandatario cæptam, sed nondum completam perfecerint, mandati quidem actionem nõ habent, quoniam liberum eis fuit se se tali mandato, quod morte solutum fuit immiscere, negotiorum tamẽ gestorum actionem experiri possunt, ne officium alteri præstitum ipsis sit damnosum l. si præcedente, & l. si quis §. morte ff. eod.

Contra quem detur.

31 DIrecta conceditur primo, contra administrantẽ negotia alterius ex mandato eiusq. hæredes, contraria vero ex aduerso datur contra mandãtem negotia geri, eiusq; similiter hęredes, nam licet mandatum morte mandantis, vel mandatarij extinguatur, tamen mandati actio non soluitur l. si negotia mea, & l. præcedente ff. eod.

Ad quid.

DIrecta conceditur ad pręstandã indemnita-
tem mandati puta ad interesse directi offi-
cij, vel ad custodiendam legem mandato præscri-
2 ptam l. diligenter ff. eod. l. si quis, & l. cum man-
dasti C. eod. contraria vero competit ad recupe-
randum id quod mandatarins de soo soluit, &
ad omne id quod ex bono, & æquo interest l. si
vero §. si mihi, & l. qui mutuam §. fin. ff. eod. suc-
cedit nunc, secundum ordinẽ Imperatoris actio
depositi, de qua nobis supra dictum fuit, ideo sequentem actionem aggrediar, quæ est actio pro socio, primo loco ab Imperatore proposita.

Quid sit actio pro socio.

EST actio ciuilis bonę fidei in personam per
quam hi qui non fortuna, sed voluntate res
communes habent, ad perficiendam, vel dirimẽ-
33 dam societatem, vel ad alias prestationes secũ-
dum societatis conuentionem agere possunt l. vt
sit pro socio cũ l. seq. & per totũ tit. ff. pro socio.

Quæ requirantur.

34 REquiruntur omnia ea, quæ ad societatem perficiendam, & ineundam necessaria sunt de quibus suo loco diximus.

Cui detur.

35 DAtur socio omnium bonorum, vel certæ negotiationis etiam, eiusque hæredibus, licet enim, morte finiatur societas, bona tamen fides nõ patitur, vt ea quę per defunctũ inchoata sunt, per hæredem relinquantur l. 1. & l. hæres ff. eod.

Contra quem detur.

36 PRimo datur contra socium, cuius persona in contrahenda societate spectata est l. fin. ff. eo.

Secundo contra Dominum, cuius seruus societati præpositus male in ea versatus est l. de illo §. idem quęrit ff. eod.

Tertio contra intempestiue societati renunciantem ad id quod interest l. si conuenerit, & l. actione §. diximus ff. eod.

Quarto contra hæredes socij defuncti, vt per defunctum incohata perficiant l. nemo potest cũ l. sequenti ff. eod.

Ad quid detur.

PRimo datur ad societatem contractã adimplendam, vt scilicet fiat nominum, & rerum
in communionẽ collatio secundũ conuentionis
formã l. 3. ff. pro socio, & l. tãdiu vbi glos. C. eod.
37 Secundo ad personales præstationes, vt ad im-
pensas, & fructus, & cætera damna in societate
communicanda l. pro socio §. tecum, & l. cũ duo-
bus §. damna ff. eod.

Tertio ad diuidendam, & dirimendam societatem l. tandiu C. eod. quarto ad pacta societatis conseruanda l. penult. C. eod.

Quid sit actio tutelæ.

38 EST actio ciuilis, & prætoria bonæ fidei in personam ex quasi contractu proueniens.

Quotuplex sit.

39 DVplex est actio tutelæ directa, & contraria, quæ, & vtiliter in certis casibus conceduntur l. 1. §. 1. ff. de contraria tutelæ, & vtili actione.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur quod tutor in administratione dolum, seu culpam latam, vel leuem faciendo, vel omittendo admiserit, lege quidquid
40 C. arbitriū tutelæ, & l. 1. ff. de tutelis, & rationib. distrahendis.

Secundo quod tempus tutelæ administrandæ sit finitum, durante n. tutela hæc actio competere non potest l. 1. §. fi. & l. nisi finita ff. de tutelis, & rationibus distrahendis.

Cui detur.

DIrecta conceditur primo pupillo adulto facto. Secundo marri pupilli ad reddendum suspectum eum, qui filij sui res fraudulenter administrat durante tamen tutela, nam si tutela finita esset à pupillo tutelæ iudicio conueniretur l. 1. C. de suspectis tutoribus.

41 Tertio hæredibus pupilli l. 1. §. hanc actionem ff. de tutelis, & rationibus distrahendis, contraria vero datur primo tutori, & ei qui pro tutore se gessit l. 1. & l. hæc actio ff. de contraria tutelæ, & vtili actione.

Secundo curatori prodigi, vel furiosi dicta l. 1.

Tertio hæredibus ad quos ea res pertinet, lege quid ergo §. hanc actionem ff. eod.

Contra quem detur.

DIrecta competit primo contra tutorem testamentarium legitimum, vel datiuum l. 1. & 2. C. si tutor, vel curator.

Secundo contra fideiussorem, & nominatorē, eorumq. hæredes l. 4. & fere per totum titulum ff.
42 de fideiussorib. & nominatorib. & hæredib. tutorum, & curatorum, contraria vero datur contra pupillum legitimæ ætatis factum lege prima §. fin. de contraria tutelæ, & vtili actione, lege si pater in fine C. de contrario iudicio tutelæ.

Secundo contra hæredes, cæterosque, successores d. l. quid ergo §. hanc actionem ff. eod

Ad quid detur.

DIrecta conceditur primo ad reddendam à tutore administrationis suæ rationem finita tutela l. 1. §. officio, & l. nisi finita ff. de tutelis, & rationibus distrahendis.

43 Secundo ad restituendas res minoris, quas tutor pænes se habet l. tutorem C. arbitrium tutelę.

Tertio ad id quod dolo, culpa, & negligentia tutoris, vel abest commodi, vel adest damni l. 1. in principio ff. de tutelis, & rationibus distrahendis, contraria vero datur ad consequendum à pupillo, iam adulto facto id, quod propter gestā tutelam abest, dummodo ex officio, & bona fide sumptus fecerit, & obligationes susceptæ sint, quamuis contrarium exitum habuerint, vt si bona fide litem mouit, sumptus fecit, & succubuit l. 1. §. penult. & l. 3. & ibi Bart. ff. de contraria tutelę, & vtili actione.

Quid sit commodati actio.

44 EST actio ciuilis bonæ fidei in personam per quam id quod alicui vtendum datum est, commodator sibi reddi, vel è contra commodatarius impensas in re commodata necessario, & vtiliter factas sibi restitui postulat §. itē is cui supra quibus modis re contrahitur obligatio.

Quotuplex sit.

45 DVplex est commodati actio directa, & contraria, quæ etiam vtiliter conceduntur l. 3. in principio, & l. si filio familias ff. commodati.

Quæ requirantur.

IN directa actione commodati omnia ea, quæ ad commodatum constituendum necessaria sunt, interuenire debent, in contraria vero specialiter requiritur quod commodatarius præter
46 cibaria expensas fecerit in re commodata, nam cibariorum expensę à commodatore non restituuntur, quia res est in seruitio commodatarij l. si vt certo §. sumptus, & l. in commodato § contraria ff. eod.

Cui detur.

DIrecta datur primo commodanti rē suam, vel alienam, adeo vt etiam furi, & prędoni concedatur l. 1. & l. commodare cum l. sequenti ff. eod.

47 Secundo Domino pro re à seruo suo commodata l. si seruus ff. eod.

Tertio hęredibus commodantis l. 3. §. heres ff. eod. contraria vero competit commodatario si sumptus fecerit, vel ad modum, & finem pręscriptum vsus non sit l. in commodato §. contraria, & §. sicut ff. eod.

Contra quem.

DIrecta competit primo contra commodatarium, cui res aliqua vtenda data est §. itē is cui, supra quib. modis cōtrahitur obligatio.

Secundo contra filium familias, & seruum, directo, sed contra patrem, & Dominum peculio tenus l. 3. §. si filiusfamilias ff. eod.

Tertio contra impuberem quoque pupillum, & furiosum, absque tutorum, & curatorum au-
48 ctoritate rem in commodatum accipientes, si exinde locupletiores redditi sint, & vtiliter hęc actio porrigitur, quia ex contractu tantū amico, & naturali propter rem gratuito acceptam equitatis intuitu obligantur l. 1. §. fin. l. 2. & 3. ff. eod.

Quarto contra plures qui rem commodato acceperunt iure veteri in solidum, sed iure nouissimo pro virili nisi specialiter in solidum se obligauerint l. si vt certo §. si duob. ff. eod. nouella de duobus reis, in principio constitutione 99.

Quinto

Quinto contra hęredes cōmodatarij pro ea parte,qua quis hęres est l.in commodato §.ex facto, & lege sed mihi §.hæres ff.eodem:contraria vero conceditur contra commodantem, eiusque hæredes ad id quod cōmodatarij interest d. l. in cōmodato §.sicut,& l.3.§.hæres ff.eod.

Ad quid.

DIrecta datur primo ad rem commodatam in eadem specie,& bonitate restituendā l.3.§.si reddita ff.eod.

Secundo ad id quod interest commodantis rē deteriorem non esse factam d.l.4. si reddita, vel ad æstimationē eius,l. si vt certo §.primo ff.eod.

49 Tertio ad præstandum dolum latum,leuem,& leuissimam culpam, si commodatū solum gratia accipientis datum sit,si vero solius dantis doli ratio tantum habetur,si autem vtriusque, & dolus, & culpa præstanda veniunt l.si vt certo §.nunc videndum,& §.interdum ff.eod.

Quarto ad omnia accessoria, & quicquid ex re commodata fructus, vtilitatisque quomodocunque prouenit d.l.si vt certo §.vsque adeo, & §.commodatum ff.eod.contraria vero datur primo ad perendum quod commodarij interest, si res commodata ante vsum expletum à commodante auferatur l. in commodato §. sicut, & l. rem mihi ff.eod.

Secūdo ad damnū,quod ex re vitiosa commodato à sciente Domino data passus est l. in rebus §.item qui sciens ff. eod.

Tertio ad impensas,& sumptus in re commodata factos extra cibaria,& modica impendia, quæ naturali ratione ad eum pertinēt,qui re vtitur l.in rebus §.possunt ff.eod.

Quid sit actio pignoratitia.

EST actio ciuilis bonæ fidei in personam quę competit debitori aduersus suum creditorem ad repetendum pignus satisfactione facta,
50 vel è contra creditori aduersus debitorem, qui pignus pro debito non sufficiens dedit,aut si aliquid impensarum in rem pignori datam necessario fecit l.si rem ff.de pignoratia actione.

Quotuplex sit.

51 PIgnoratitia actio duplex est directa, & contraria,directa datur debitori,contraria conceditur creditori.

Quæ requirantur.

IN directa requiritur quod pecunia soluta,vel alio quocunque modo creditori satisfactum sit d.l.si res §.omnis ff.eod.

In cōtraria vero requiritur quod creditor impensas in pignore accepto fecerit,dummodo nō sint nimis graues, aut onerosę l. si necessarias. ff. eod.l.in summa.C.de pignoribus.

52 Secundo requiritur, quod debitor creditorem deceperit, puta ęs, pro auro pignori dando, vel rem alienam pignorando,eamve obligando,quę antea alicui obligata est,nec ambobus pro re credita sit sufficctura l.1.§.vlt.& l.si quis pign.ff.eod.

Cui detur.

DIrecta competit primo debitori post solutionē debiti factā l.si rem.§.omnis.ff.eod.

Secundo etiam ei, qui rem alienam pignori dedit, licet prędo sit, vtiliter soluto debito, hęc
53 actio datur d.l.si rem.§.is quoque,& l.si pignore §.si prędo.ff.eod.

Tertio hęredibus creditotis l. nec creditores. C.de pignoratitia actione, contraria vero datur primo creditori cui loco pignoris res, vel aliena, vel morbosa,aut alia pro alia,vel alij obligata fuit tradita,ad vtrumque creditum minime sufficiens l.si rem,& l.si tutor.§.contrariam.ff.eod.

Secundo facienti impensas necessarias, & vtiles pignori tamen nō onerosas l.si seruus. ff. eod.

Tertio hęredibus creditoris, vt & in directa paulo ante diximus.

Contra quem detur.

DIrecta conceditur primo contra creditorē, qui sine legitima causa post debiti solutionem pignus detinet l.solutum.§.in sortem.ff.eod. vel dolo, aut qualibet culpa damnum in pignore
54 dedit l.si cū venderet.§.vlt.cum l.sequēti.ff.eod.

Secundo contra eundem pignus pluris, quam debitum est vendentem l. eleganter. §. si vendiderit.ff.eod.

Tertio contra hęredes creditoris l. nec creditores. C.eodem,contraria vero datur primo contra debitorem obligantem ęs pro auro l.1. & l.si quis.ff.eod.

Secundo cōtra eundem oppignorantem rem vitiosam,vel subijcientem furem, qui pignus auferat l.si seruus,& l.3.ff.eod.

Tertio contra eundem necessarias expensas in pignore factas restituere negantem l. si necessarias.ff.eod.

Quarto contra hęredes debitoris, vt & in directa dictum est.

Ad quid detur.

DIrecta datur primo ad pignus soluto debito consequendum l.debitor.§.vlt. & l. si rem.§.fin.ff.eod.

Secundo ad ęstimationem,damni dolo creditoris in re pignorata lata, vel leui culpa dati l.si rem.§.vlt.ff.eod.l.pignoris,& l.creditor.C.eod.

55 Tertio ad restituendum id, quod creditor ex venditione pignoris plus debito accepit l.elegan-

tet.§.si vendiderit.ff.eod.contraria verò datur ad repetendas necessarias impensas,& ad omne id, quod eius interest in pignore,seu per pignus deceptum non esse l.si necessarias,& l.tutor.§.contrariam.ff.eod.sequitur nunc actio familiæ erciscundæ, & communi diuidundo, de quibus cum superius à nobis dictum sit, hoc in loco eius tractatio recte omitti debet, vt citius ad alias deueniamus, quorum cognitio ex antecedētib. nulla, nullaq. eorum ab Imperatore mentio habita est.

Quid sit actio præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur.

DEcimoquarto loco proponitur ab Imper. hic in §. nostro actio pscriptis verbis, quæ
56 de æstimato proponitur,quæ ciuilis est, bonę fidei,& in personam,eique competit, qui rem aliquam alteri certa æstimatione, aut vendendam, aut vtendam dedit,vt rem eādem, vel æstimationem eius restituat l.1.ff.de æstimatoria actione.

Quotuplex sit.

DVplex est,directa,quando,scilicet,quis gratuito suscepit rem æstimatam vendendam,
57 & vtilis, quando res vendenda ab aliquo ita suscipitur, vt sui laboris certam mercedem habeat l.fin.ff.eod.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur, quod res aliqua, vt vendatur data sit.

Secundo, quod fuerit æstimata, idque certo pretio.

58 Tertio, quod neque res, neque pretium sit restitutum, vel solutum.

Quarto, quod alter rem recipiat, atque ita rei æstimatæ periculum in se transferat, quæ omnia colliguntur ex l.1.ff.de æstimatoria actione.

Cui detur.

DIrecta datur ei, qui rem æstimatam vendēdam, vel vtendam dat l.1. ff.de æstimatoria actione, & l.si tibi.ff.de præscriptis verbis, vtilis vero conceditur primo ei, qui rem vendendam,
59 vel vtendam certa mercede venditori constituta dedit, nam etsi merces pro opera cōstituta locationem inducere soleat, tamē quia hic æstimatio, quæ venditionem facit adiuncta est, placuit æstimatoriam potius actionem dari l.fin. ff.eod.

Secundo hæredibus ad exemplum reliquarum bonæ fidei actionum, omnia enim hic locum habent, quæ & in ceteris bonæ fidei iudicijs dicta sunt l.1.§.quare. ff.eod.

Contra quem detur.

DAtur primo contra suscipientem rem æstimatam vendendam, vel gratis, vel pro mercede, puta aduersus vendentem rei domino pretium reddere negantem, vel non vēdentem, rem
60 autem incorruptam, & illæsam, seu æstimationem de qua conuenit restituere, vel soluere recusantem l.2. ff.de præscriptis verbis.

Secundo contra hæredes eadem actione, quæ in præcedenti loco adnotata est.

Ad quid detur.

DAtur primo ad rem, si extet incorrupte, reddendam.

Secundo ad eiusdem rei, si vendita sit æstima-
61 tionem soluendam l.1.§.final. de æstimatoria actione.

Tertio ad pręstandum dolum,& culpam, item quandoque, & casus fortuiti periculum, si scilicet recipientis rogatu res vendenda data sit, si autē solius dantis respectu res vendenda concessa sit, dolus tantum pręstabitur, sin vero vtriusque, dolus,& culpa simul pręstanda veniunt l.si gratuitā §.si margarita,& §.Papinianus.ff.de pręscr.verbis notat Bart. in l.1.§.fin. ff.de ęstimatoria actione.

Quid sit actio præscriptis verbis ex permutatione.

ESt actio ciuilis bonę fidei in personam ei cōpetens, qui rem suam animo permutādi alteri dedit, vt ipse aliam rem in specie ab eo, ex permutatione recipiat l.rebus. C.de rerum per-
62 mutatione,& l.naturalis.ff.de pręscriptis verbis, differt autem permutatio à contractu innominato, do, vt des, quia in eo ex vtraque parte, vel ex altera tantum genus, vel res incerta, in permutatione vero certa species vtrinque pręstatur secundum glo.in l.1.in verbo postulabis. C.de rerū permutatione.

Quæ requirantur.

REquiritur primo, quod pręcedat conuentio de permutando, idque nudo pacto, post-
63 modum tamen vestito, nam si stipulatio interueniret ex stipulatu ageretur l.ex placito.C.de rerū permutatione.

Secundo requiritur, quod permutatio ex vtraque parte fiat in re certa l.quoniam.C.de rerum permutatione.

Tertio, quod actor permutationis contractū ex sua parte impleuerit d.l.quoniam.

Quarto, quod rei permutatę dominiū sit translatum l.rebus.C.de rerum permut.l.1.C.eod.

Cui detur.

DAtur primo ei, qui rem suam animo permutandi dedit, vt aliam sibi magis deser-
64 uientem reciperet l.ex placito, cum tribus legib. sequentibus. C.eod.

Secundo hęredibus eius, qui contra eum parte sua adimpleuit l.1.C.eod.

Contra quem detur.

COnceditur primo contra accipientem rem alterius, nec vicissim suam ei tradentem l.cum precibus. C.eod.

Secun-

65 Secundo contra tradentem rem alienam, quæ euincitur l. 1. ff. & C. eod.

Tertio contra hæredes illius, qui permutationem implere distulit d. l. 1. & l. cũ precib. C. eod.

Ad quid detur.

DAtur primo ad permutationis contractum implendum, hoc est rem, de qua conuentum est tradendã d. l. cum precibus l. rebus. l. emptionem, & l. fin. C. eod.

66 Secundo ad præstandam rem à morbis, vitijsq́uè liberam l. 1. ff. eod.

Tertio ad id quod permutantis interest præstandum d. l. 1. C. eod.

Quid sit hæreditatis petitio.

EST actio ciuilis bonę fidei mixta in qua actor petit se hæredem declarari, vel in totum, vel pro parte, & reum sine tit. possidentem condemnari ad res hæreditarias restituendas cum fructibus perceptis, & percipiendis §. quædam, & §. actionum hoc tit. l. sed etsi lege. §. fin. ff. de petitio-
67 ne hæreditatis, & l. cum hæreditatis. §. 1. & fin. C. eod. dicitur autem mixta hæc actio, quia participat de reali, & personali actione, in rem enim est ex possessione aduersarij, adeo quod datur ad declarandum, sicut cęterę reales, verum quia in ea veniunt etiam personales præstationes, & iura incorporalia, vt actiones per quas petuntur hæredi debita, sicut in alijs personalibus actionibus, ideo mixta actio dicitur Paulus de Castro in l. hæreditatis, & d. l. sed etsi lege. §. penul. vbi etiam Bart. notat. ff. de petit. hæredit.

Quæ requirantur.

PRimo, quod hæreditatis petitor sit heres defuncti, de cuius hæreditate agitur ex testamento, vel ab intestato in totum, vel pro parte l. 1. & l. minimam. ff. eod.

Secundo, quod antea non habuerit possessionem rerum hæreditariarum, hæres enim, qui se-
68 mel adeptus est possessionem rerum hæreditariarum, non potest amplius intẽtare petitionem hæreditatis pro aliqua ex istis reb. hæreditarijs, quarum possessionẽ habuit, & inde amisit secundum glo. in cap. 1. de confessis lib. 6.

Tertio requiritur, quod reus conuentus sine titulo possideat, nam contra titulo possidentem, non petitione hęreditatis, sed rei vindicatione agi oportet l. sed etsi lege. §. quod autem. ff. de petitione hæreditatis.

Quarto, quod idem reus totam hæreditatem, vel partem eius, vel etiam rem minimam possideat l. 1. §. qui hæreditatem. ff. si pars hæreditatis petatur l. regulariter cum l. seq. ff. de petitione hæreditatis.

Cui detur.

DIrecta conceditur ei, qui se hæredem de iure ciuili asserit, siue ex testamento, siue ab intestato per se, vel per alium, quem in potestate habet l. 1. 2. & 3. ff. eod. vtilis vero datur ei, qui hę-
69 reditatẽ ab alio emit, siue à fisco, siue à priuato, itẽ ei, cui ex Senatusc. Trebell. hæreditas restituta est l. ei q. ff. de petitione hæreditatis, & l. emptor. C. de hæreditate, vel actione vendita, item ei, qui se hęredem de iure prætorio facit, vtilis hęc actio conceditur, vt notatur post text. in l. item veniũt. §. fin. ff. eod. cui etiam, & possessoria hæreditatis petitio à iure prætorio introducta competit, de qua tit. ff. de possessoria hæreditatis petitione.

Contra quem detur.

DIrecta datur primo contra possidentem pro hærede l. regulariter iuncta l. seq. & l. pro hęrede. ff. eod.

Secundo contra possidentem pro possessore, qui scilicet non contendit se esse hęredem, sed de facto sine tit. possidet d. l. regulariter, cum quatuor sequentibus. ff. eod.

Tertio contra dolo possidere desinẽtem alie-
70 nata s. hęreditate, quominus cõueniri possit l. nec vllam. §. is autẽ, qui, & §. item si quis dolo. ff. eod.

Quarto contra eum, qui culpa aliquid amisit, quominus restituere habeat l. item videndum, & d. l. sed etsi lege. §. quod ait. ff. eod.

Quinto contra possidentem pretia rerum hęreditariarum, vel debita exacta à debitoribus hęreditarijs l. quod si in diem. §. sed & is. ff. eod.

Sexto contra debitorem hęreditatis, possessor enim iuris est, & iura etiam hac actione petuntur d. l. nec vllam. §. fin. & l. sed verum, cum aliquot sequentibus. ff. eod.

Septimo contra eum, qui vi pro hærede possidẽtem deiecit l. quod si in diem. §. Iulian. ff. eod.

Octauo datur contra mulierem alienam hęreditatem in dotem afferẽtem directa quidẽ, vtilis verò contra maritum d. l. nec vllam. §. apud Marcellũ. ff. eod. vtilis etiam datur secundo loco contra eum, qui alienam hæreditatem, totam, vel aliquam eius partem sciẽs emit d. l. nec vllam. §. q d si quis hæreditatis. ff. eod. contra vero hæredes, & possessores tam directa, q̃ vtilis actio porrigitur, non quod successores sint, sed quia possident d. l. nec vllam. §. Neratius, & §. hæredem. ff. eod.

Ad quid detur.

DAtur primo ad vniuersas res hæreditarias corporales, & incorporales l. item videndũ, §. fin. & ibi glo. & Bart. iunctis duabus legibus sequentibus. ff. eod.

Secundo datur etiam ad res non hæreditarias, sed quarum periculum ad hæredem pertinet, vt
71 sunt res pignori defuncto datæ, vel commodatę, aut depositæ l. aut non tantum. ff. de petitione hæreditatis.

Tertio ad restitutionem eorum, quæ hęreditatis causa comparata sunt l. item veniunt. ff. eod.

Quarto

Quarto ad fructus, & pretia rerum distractarum, & quæ harum ex causa accesserunt, aut accedere potuerunt l. item veniunt. §. non solum, & §. fructus. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Duæ actiones olim pro dote competebant.*
2 *Quid sit actio ex stipulatu pro dote.*
3 *Cui detur.*
4 *Contra quem detur.*
5 *Ad quid detur.*

§. Fuerat.

SCiendum est, quod olim tam marito pro dote promissa consequenda, quā vxori pro dote data repetenda, duæ actiones competebāt, actio
1 scilicet ex stipulatu, quādo stipulatio erat interposita, & rei vxoriæ actio, quando stipulatio nulla interuenerat, quæ actiones habebāt inuicem differētias, & cōmunicationes, itaq. multa superuacanea introducebat antiquitas, vt dicitur in l. vnica. C. de rei vxoriæ actione, ideo Imperator noster sublata rei vxoriæ actione reduxit ad vnicam ex stipulatu actionem, tanquam pleniorem, & quidquid plus iuris fuit in rei vxoriæ actione, in actionem ex stipulatu pro dote transtulit, itaque actio ex stipulatu, quæ aliàs est stricti iuris, hoc casu efficitur bonæ fidei addito priuilegio tacitæ hypothecæ, in bonis tam ex parte mariti pro restitutione dotis, q̄ ex parte vxoris pro ipsa dote præstāda, & etiā priuilegio prælationis, vt vxor. s. cęteris creditoribus præferatur, tantus est fauor dotis. §. fuerat hoc tit. l. 1. ff. soluto matrimonio.

Quid sit actio ex stipulatu pro dote petenda, vel repetenda.

EST actio ciuilis bonæ fidei in personam, quæ datur marito constante matrimonio ad cōsequendam dotem in matrimonij contractu sibi
2 promissam, vel vxori ad eandem repetendam, vel matrimonio adhuc durante ob mariti incidentem inopiam, vel facta dissolutione matrimonij per mortem, aut diuortium.

Cui detur.

DAtur primo, marito pro dote consequenda, siue certa, siue incerta dos promissa fuerit, siue stipulatio interuenerit, siue non, licet. n. non interuenerit stipulatio, nihilominus fauore dotis præsumitur interuenisse, quæ præsumptio est iuris, & de iure aduersus q̄ non admittitur ꝓbatio in contrarium, tex. est in l. vnica. C. de rei vxoriæ actione, & in l. si ꝓ dote. C. de dotis promissione.
3 Secundo datur vxori pro dote marito data repetēda, de iure enim communi soluto matrimonio per mortem, vel diuortium, dos nō cedit lucro mariti, sed reuertitur ad ipsum patrem dotantem l. dos à patre. C. soluto matrimonio, iure. n. succursum est patri, vt filia amissa, solatij loco ei dos reddatur l. 2. ff. soluto matrimonio, nisi per pacta dotalia, aut statuta aliter fuerit prouisum, de quibus extat tit. C. de pactis conuentis.

Tertio datur etiam patri vxoris filiæ familias, cum eius interfit, ne eam denuo dotare cogatur d. l. vnica. §. extraneum. C. de rei vxoriæ actione.

Quarto datur etiam extraneo, qui pauperis puellæ misertus, eam dotauit, si expressè sibi restitui dotem stipulatus est, alioquin donasse præsumitur, & puella sibi tacitè stipulata d. l. vnica. §. accedit.

Contra quem.

ACtio pro dote petenda constante matrimonio datur primo contra eum, qui dotē dare promisit, siue sit vxor, siue pater vxoris, siue etiā extraneus l. si extraneus. ff. de iure dotium.

Secundo contra hæredes, & successores eius,
4 qui dotē promisit l. si pro dote. C. de dotis promissione, actio vero pro dote repetēda constāte matrimonio, competit primo contra maritum, vel socerum vergentem ad inopiam l. si constante in princ. & ibi glo. super verbo mariti. ff. soluto matrimonio. l. vbi adhuc. C. de iure dotium, soluto autem matrimonio per diuortium culpa mariti, vxor, & dotem repetit, & donationem etiam propter nuptias lucratur l. consensu. §. fin vero. C. de repudijs, similiter, & soluto per mortē dos vxori, vel eius hæredibus restituenda est l. dos à patre. C. soluto matrimonio, & l. 2. ff. soluto matrimonio, item competit contra patrem mariti, qui dotem sui, vel filij nomine recepit l. fin. C. de dote cautè non numerata, demum, & contra hęredes, ac successores mariti defuncti hæc actio competit, & quidem priuilegiata, vt propter tacitam hypothecam alijs creditorib. omnib. mariti præmortui pręferatur l. vnica. §. maneat, & §. vt plenius. C. de rei vxoriæ actione, item & cōtra hæredes hæredis, & fiscum etiam, qui bona damnati hominis occupauit l. 2. C. soluto matrim.

Ad quid detur.

SI à parte mariti instituatur hæc actio, datur primo ad præstandam dotem promissam, eiusque euictionem d. l. vnica. §. vt plenius. C. de rei vxorię actione.

Secundo ad fructus dotis pro oneribus matrimonij l. pro oneribus. C. de iure dotium, è contra vero, quando vxor agit contra maritum, vel
5 socerum, aut eius hęredes, conceditur primo ad recuperandas res in dotem datas, quas maritus male, & negligenter administrat, vt dos vxori integra, & salua reseruetur d. l. vnica. plenius. C. de rei vxorię actione.

Secundo datur ad donationes propter nuptias quas vxor, vel vigore pacti, vel statuti lucratur, l. vbi adhuc cum Auth. sequen. C. de iure dotium.

Tertio

Tertio ad bona paraphernalia, quę vltra dotē marito attulit d.l.vbi adhuc.

Quarto ad vsuras dotis debito tempore non restitutę d.l.vnica. §.vt plenius. C. de rei vxorię actione.

SVMMARIVM.

1 *Differētia inter actiones bonæ fidei, et stricti iuris.*
2 *In actione depositi nulla admitti potest cōpēsatio.*

§. In bonę fidei.

VEteri iure differebant inter se bonę fidei, & stricti iuris actiones quantū ad compensationes, in bonę fidei enim per iudicem cōpen-
1 satio fieri poterat, in stricti vero iuris locum com pensatio non habebat, nisi reus conuentus doli exceptionem obiecisset aduersario dicendo dolo facis, quia petis, quod restituturus es, hanc antiqui iuris differentiam Iustinianus sua constitutione sustulit, de quā in l.vlt.C.de compensationibus statuens compensationem, & in stricti iuris, & in bonę fidei iudicijs consistere, & hoc non solum in actionibus in personā, sed etiam in rem, excipit tamen Imperator hic in §. bonę fidei so-
2 lam depositi actionem, cui aliquid compensationis nomine opponi non vult d.§.in bonę fidei.

SVMMARIVM.

1 *Iudicis officium in bonæ fidei actionibus.*
2 *Quæ sint arbitrariæ actiones.*
3 *Iudicis officium duplex nobile, & mercenarium.*
4 *Quot modis arbitraria actio dici possit.*
5 *Quid sit doli mali actio.*
6 *Quæ requirantur.*
7 *Cui detur.*
8 *Contra quem.*
9 *Ad quid.*
10 *Quid sit actio de eo, quod certo loco dari oportet.*
11 *Quæ requirantur.*
12 *Cui detur.*
13 *Contra quem.*
14 *Ad quid.*
15 *Quid sit actio ad exhibendum.*
16 *Quæ requirantur.*
17 *Cui detur.*
18 *Contra quem.*
19 *Ad quid.*

§. Pręterea cum sequenti.

SVpradictum fuit quasdam actiones esse bonę fidei, quasdam stricti iuris, & quia in actionibus bonæ fidei iudex officium suū ostendit aliquando largius, & ex bono, & æquo secundum propriam actionis naturā æstimat quantū actori
1 restitui debeat, officiumque suum extēdit etiam ad ea, quæ nec conuenta, nec dicta sunt, verum quia etiam interdum in stricti iuris actionib. propter aliquod accidens, extrinsecum, iudex habet arbitrium aliquid faciendi pręter naturam ipsarū actionum, quo casu videntur habere naturam actionum bonę fidei, ideo Imperator de istis actionibus stricti iuris, quæ propter arbitrium iudicis arbitrarię dicuntur in hoc §.subijcit.

Quæ sint arbitrariæ actiones.

ARbitrarię actiones secundum Doct. omnes hic dicuntur actiones stricti iuris, in quib.
2 exercetur officium iudicis mercenarium actioni deseruiens propter aliquod extrinsecum accidēs pręter naturam actionis propositę, dixi officium iudicis mercenarium, quia duplex est officium iudicis, aliud nobile, quod per se stat non deseruiens actioni, quod iudex sua iuris auctoritate exercet, etiam si nulla proponatur actio, nec ordinaria aliqua actio competat, vt quando minores petunt se restitui in integrum, hoc nō fit iure
3 actionis, sed officio iudicis nobili, quod obligationem non pręsupponit, aliud dicitur mercenarium, quod per se non stat, sed actioni deseruit, & cessante actione, cessat quoque hoc officium iudicis, & hoc aliquando deseruit actionibus bonę fidei, & stricti iuris, & eis inhęret secundum earum naturam, & de hoc in §.nostro nō agitur, aliquando vero inhęret actionibus stricti iuris arbitrarijs, ita vt nō deseruiat actioni propositę secundum eius naturam, sed accidētaliter propter aliquod accidens extrinsecum, vltra naturam actionis eueniens, & de hoc agitur hic, ideo adiecta fuit in diuisione clausula illa propter naturā actionis bonę fidei, in qua officium iudicis deseruit actioni secundum eius naturam, de cuius natura est, vt veniant vsurę, interesse propter morā, & iuretur in litem etiam de affectione, vt Docto. in §.actionum supra hoc eod.tit. nostro tradunt, hęc autem in actionibus stricti iuris fieri nō possunt secundum naturam actionis, tamen ex quodam intrinseco accidente superueniēte fieri possunt, exempli gratia, conuentus rei vindicatione, & iussus à iudice rem restituere, si actori non restituat, iuratur contra eum in litem etiam de affectione, nō quidem ex natura rei vindicationis, sed ex arbitrio iudicis propter illud accidens extrinsecum contumaciam, s. illius rei cōuenti tex. est, & ibi notant Doct. in l.qui restituere. ff. de rei vindicatione, & in l.in actionib. in princ. ff. de iureiurando, quælibet igitur actio stricti iuris, siue sit personalis, siue realis, siue etiam mixta arbitraria fieri potest, idque pluribus respectibus, & primo respectu certi loci, quo casu habetur ratio interesse propter locum, si pecunia nō fuit soluta in loco, in quo solutio fieri promissa erat l.si hæres cum l.sequenti. ff. de eo quod certo loco.

Secundo, aliquando actio efficitur arbitraria ratione penę imponendę propter dolum à principio cōmissum, vel metum illatum, vt in actione
4 qđ metus causa, in qua si restituat reus id quod per

per metum traditum est, non punitur, sed si iussus à iudice rem restituere non restituat, propter hoc accidens superueniens fit arbitraria actio, vt condemnetur reus ad quadruplum l.fin.§.in hac actione.ff.quod metus causa.

Tertio efficitur arbitraria aliquando propter iudicis interrogationem, vt in noxali actione, vbi iudex potest dominum serui interrogare, an velit resarcire damnum illatum à seruo, vel seruum pro noxa dare si respondeat se seruum daturum, & postea non faciat, tunc oritur arbitrium iudicis, vt etiam ad totam summam damni dati eum condemnare possit.

Quarto, aliquando efficitur actio arbitraria propter iussum iudicis de restituendo, vel exhibendo rem, vt supra in exemplo de rei vindicatione diximus, quãquam igitur plures sint actiones arbitrariæ, quam quæ hic in paragraphis nostris enumerantur, quia tamen multæ hactenus explicatæ sunt, de tribus tantum in præsentia dicetur, & primo de actione doli mali, secundo de actione de eo, quod certo loco dari oportet, tertio, & vltimo de actione ad exhibendum.

Quid sit doli mali actio.

EST actio prætoria arbitraria, & subsidiaria, personalis, quæ datur aduersus decipiẽtem dolo malo, vt deceptus, seu circumuentus consequatur id in quo damno affectus est l.1. & l.arbitrio.ff.de dolo malo, vtimur autem hac actione in subsidium, quoties alia haberi non potest, nõ
5 solum in contractibus innominatis, sed etiam nominatis, & tam bonæ fidei, quam stricti iuris, nam dolus, siue det causam contractui, siue incidat in contractum, semper per doli mali exceptionem purgatur, similiter si det causam contractui bonæ fidei, & insuper ei traditio accedat, huic actioni de dolo malo ad rem recuperandã locus erit, sed non facta traditione propter dolum bonæ fidei contractus ipso iure redditur nullus l.dolo.C. de inutilib.stipulat. & l.elegãter.ff.de dolo malo.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur, quod dolus malus rei conuentiin contractu, vel nominato, vel nõ nominato præcesserit, causam contractui præbens, vel in eum incidens l.elegant er. ff.de dolo malo.
6 Secundo, quod à tempore doli commissi continuum biennium non effluxerit, nam hæc actio etiam lite contestata vltra biennium non porrigitur, quod in hac actione singulare est, cum aliàs regulariter omnes actiones, etiam pœnales per litis contestationem perpetuentur l.fin.C. de dolo malo.§.non solum infra de perpetuis, & temporalibus actionibus.

Tertio requiritur, quod alia actio non competat, merito enim prætor ita hanc actionem pollicetur, si alia non sit, quoniam tam famosa actio non temere à Prætore decerni debuit, si competat alia, qua quis experiri, & indemnitati suæ consulere possit l.1.§.ait Prętor.l.eleganter.§.nõ solum, & l.cum à te.ff.de dolo malo.l.2.C.eod.

Cui detur.

DAtur hæc actio doli mali primo circumscripto, seu decepto ex sua simplicitate, vel in bonæ fidei, vel stricti iuris contractibus l.1. & l. eleganter.§.non solum.ff.de dolo malo.l.1. in fi.
7 ff.de doli mali, & metus exceptione.

Secundo datur ei, qui dolo deceptus hęreditatem minus idoneam, vel adijt, vel lucrosam repudiauit l.vlt.& l.si legatarius.ff.de dolo malo.

Tertio hæredibus decepti l.si quis affirmauerit §.1.& l.hæredibus.ff.eod.

Contra quem detur.

PRimo datur contra eum, qui dolo, vel calliditate aliquem decepit, nisi sit persona, cui pietate, officio, & reuerentia obligamur, aduersus quos cum sit famosa hæc actio non porrigitur l.1.& l.non debet.ff.eod.

Secundo datur cõtra reum colludentem cum procuratore actoris, si procurator soluendo non sit d.l.eleganter.§.penult.ff.eod.

8 Tertio contra eum, qui dolo malo efficit, vt actio temporaria legitimis temporib. transactis periret l.arbitrio.§.dolo.ff.eod.

Quarto contra pupillum ex dolo tutoris locupletiorem redditum l.sed ex dolo.ff.eod.

Quinto contra hęredes, & cęteros successores etiam eorum, qui hoc iudicio ipsimet conueniri non possunt, de eo duntaxat quod ad eos peruenit, hoc est quatenus ex dolo defuncti locupletiores facti sint, vel quominus fierent, fraude, & calliditate sua effecerint l.si plures.§.hæc actio, & l.hęredib.ff.eod.

Ad quid detur.

PRimo datur ad restituendam rem, quę ad alterum, vel tua, vel alterius fraude peruenit l. sed & ex dolo. §. item si quid, & l.si plures in princ.ff.eod.

Secundo ad id quod interest actoris, si res perempta sit, vel quanti actor in litem iurauerit, qđ tamen iuramentum non admittitur, nisi reus ad
9 rem restituendam condemnatus, eius restitutionem ad sententiam vsque diffinitiuam distulerit, tunc enim actori iuramentum affectionis defertur, & reus ad id non quanti in veritate est, sed quanti ex affectione iuratum est condemnatur, & hoc modo conuictus in infamiam incurrit, quam per restitutionem ante definitiuam latam euitare poterat l.arbitrio.ff.eod.

Tertio datur ad rescindendum contractum dolo factum l.si id quod.ff.de verbor.oblig.Bart. notat in l.eleganter.ff.eod.

Quid

Quid sit actio de eo, quod certo loco dari oportet.

EST actio stricti iuris arbitraria aduersus eum
competens, qui certo loco se se soluturum
10 obligans promissioni non satisfecit, sed in mo-
ra soluendi constitutus ad id, quod actoris inter-
est iudicis arbitrio condemnatur.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur contractum in loco aliquo
celebratum fuisse, secundo solutionem in
11 alium locum destinatam esse, tertio promisso-
rem in mora soluendi fuisse.

Cui detur.

12 DAtur contrahenti cum aliquo in tali loco,
vt tamen in alio soluat l.contraxisse. ff. de
actionibus, & obligationibus.

Contra quem detur.

13 DAtur contra promittentem se in loco de-
stinato, & tempore solutionis præscripto
soluturum d.l.contraxisse.

Ad quid detur.

14 DAtur ad consequendam debitam ex con-
tractu solutionem, & id quod ex culpa, &
mora tardatæ solutionis iuxta arbitrium iudicis
debitoris interest.

Quid sit actio ad exhibendum.

EST actio personalis arbitraria in rem scripta,
& aliarum realium actionum preparatoria,
15 quæ cuilibet interesse pecuniarum prætendenti
datur aduersus quemcumque, qui copiam exhi-
bendi habet, vt rem mobilem publice exhibeat,
seu in iudicio coram iudice ostendat, quo sibi ex-
periendi potestas sit.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur, quod actoris intersit l. in
hac actione. §. sciendum. ff. ad exibendum.
Secundo, quod interesse sit pecuniarium l. si li-
ber homo. ff. eod.
Tertio, quod ex iusta, & probabili causa acto-
ris intersit l. ad exhibendum. ff. eod.
16 Quarto, quod vtroque tempore, & litis conte-
statæ, & sententiæ latæ actoris intersit l. tigni ap-
pellat. §. si quis, & §. item scribit. ff. ad exhibendũ.
Quinto, quod res, quæ exhiberi postulatur sit
mobilis, nam pro re immobili nõ potest quis hac
actione experiri, cum illã nemo exhibere possit,
sed ipsa se met exhibeat l. meminimus. §. sed vbi.
C. quando, & quib. quarta pars debetur lib. 10.

Sexto, quod actor signa rei, quam exhiberi po-
stulat describat l. in hac actione. ff. de furtis.
Septimo, quod reus facultatem exhibendi ha-
beat, nam si restituere non possit, ad hoc solum
tenetur, vt caueat se exhibiturum, si in eius pote-
statem peruenerit l. Celsus scribit. §. si quis facul-
tatem. ff. eod.

Cui detur.

DAtur primo ei, cuius peculiariter interest
exhiberi sibi rem, hoc est, qui probabilem
causam habet, propter quam exhibitionẽ rei po-
stulat, siue is sit dominus directus, siue vsufru-
ctuarius, siue possessor, siue nudus detentor, vel
custos d.l. in hac actione. ff. eod.
17 Secundo datur debitori soluto debito, vt ei
chirographa, & debiti instrumenta exhibeantur,
ac reddantur l. fin. C. eod.
Tertio datur filio pro re matris à patre non
iure vendita l. 1. C. eod.
Quarto datur hæredi, qui tamen non quasi he-
res, sed suo nomine, & agit, & conuenitur l. de eo.
§. fin. ff. eod.

Contra quem.

PRimo datur contra possidentem l. in hac a-
ctione. ff. eod.
Secundo contra eum, qui dolo malo possidere
desijt, vel qui corrupit formam, vel interemit, vel
ad alium transtulit l. Iulianus. §. si quis rem, & l. si
vir. ff. eod.
Tertio datur contra creditorem, qui pignoris
rem habet, item depositarium, commodatarium,
18 & conductorem d.l. in hac actione in fi. cum l. se-
quenti. ff. eod.
Quarto datur contra eos omnes, qui faculta-
tem exhibendi habent, siue rerum, vel legatorum
seruandorum causa in possessione sint l. Cels. scri-
bit §. Iulian. & §. item si quis iuncta l. de eo. ff. eo.
Quinto contra hæredem ex dolo defuncti si lo-
cupletior eo nomine hereditas facta sit d.l. de eo.

Ad quid detur.

PRimo datur ad præstandam, seu exhibendã
rem, quam quis qualicumque actione repe-
tere vult l. in hac actione. §. est autem. ff. eod.
Secundo, vt rem in eadem causa præstet in
qua fuit cum iudicium acciperetur puta non læ-
sam l. Iulianus. §. quantum. ff. eod.
19 Tertio, vt vtilitates, si quæ ob hoc, quod res
fuit exhibita, vel tardius præstita amissę sunt à iu-
dice æstimentur, non quanti res sit, sed quanti a-
ctionis intersit d.l. Iulianus in fine.
Quarto vt reus periculo, & impendijs actoris
rem ibi exhibeat, vbi fuit cum lis contestaretur l.
sed & fin. ff. eod. explicatis actionibus arbitrarijs
subijcit Imperator hic in vers. curare, quod iudex
quantum potest certam sententiam ferre debet,
etiam si de incerta quantitate actum sit.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Quæ pœna iure antiquo plus petentibus imposita esset.*
2 *Quot modis quis plus petere dicatur.*
3 *Quæ pœna hodie imponatur plus petentibus.*

§.Si quis agens cum pluribus seqq.

DIctum est hactenus in toto hoc titulo nostro qualiter per actiones id, quod nobis debetur peti possit, verum quia sæpe contingit, quod actor plus debito petit, ideo Imperator nunc docet qua pęna puniantur illi, qui plus debito petũt.

Quæ pœna de iure antiquo plus petentibus imposita esset.

1 OLim ille, qui plus petebat à causa, & iure suo cadebat, remque totam cuius creditor erat amitebat tex. est hic in §. si quis hoc tit. & hoc siue plus re, siue tempore, siue loco, siue causa peteret secundum glo. hic in verbo plus, siue ageret personali, siue reali actione secundum Fabrum, & Iasonem hic, siue scienter, siue ignoranter plus debito petitum sit, dummodo crassa, & supina fuerit ignorantia secundum eundem Fabrum per textum nostrum in verbo constantissime, & hoc adeo verum erat, vt nec per remediũ restitutionis in integrũ restitueretur, nisi esset minor d.§.si q.s. maior.n.nõ nisi ex magna causa iusti erroris, nõ autẽ ex quolibet errore restitui poterat, vt exẽplo posito hic in textu nostro patet.

Quot modis quis plus petere dicatur.

QVatuor modis quis plus petere dicitur, primo petitur plus re quando quis petit viginti pro decem, vel totum fundum cuius pars tantum debetur, vel totam hæreditatem in qua tantum pro parte hæres institutus est §. plus autem hoc tit. secundo dicitur plus peti tempore, quando quis ante diem petit, sicut.n. minus soluit, qui tardius soluit, ita è contra plus petit,
2 qui citius petit d.§. plus autem, tertio plus petitur loco, quando quis id, quod in certo loco, vt puta Patauij sibi dari stipulatus est, in alio loco postea puta Venetijs petit, aufertur.n. hoc casu debitori vtilitas, quam haberet, si in loco conuento peteretur, potest.n. ipsius debitoris multũ interesse, quia fortasse debitor conuentus in loco non destinato cogitur fœnerari sub maioribus vsuris, vt satisfaciat creditori, eadem vtilitas, & interesse consideratur etiam in mercibus, vt in Frumento, Vino, Oleo, & similibus rebus, quarum pretia variantur secundum varietatem Regionum, ita vt in vno loco carius, quam in alio vendatur §. loco plus petitur hoc tit. & l. ideo in arbitrium ff. de eo quod certo loco, & l. pretia rerum §. fin. ff. ad legem Falcidiam, quarto plus petitur causa, quãdo creditor ex plurib. alternatiue debitis vnum particulariter petit, vel in specie certum quid à reo petit, qui in genere tantum rem promittit, & ratio est, quia in debito alternatiuo, & debito generis ad debitorem electio spectat, quam rem dare velit, cũ igitur ista electio auferatur debitori per creditorem petentem certam aliquam speciem, creditor plus causa petere dr §. huic autẽ hoc tit.

Quæ pœna hodie imponatur plus petentibus.

3 HOdie plus petens tempore punitur vltra sumptus litis in duplicatione induciarum, siue temporis ex Diui Zenonis constitutione de qua mentionem facit Imperator hic in §. sed hęc quidem, petens vero plus re, loco, & causa omne damnum, quod debitor ex ea re passus est in triplum resarcire cogitur, idque ex Imperatoris nostri cõstitutione de qua in §. tripli supra hoc eod. tit. mentio facta est, & hic in §. sed hæc quidem, quæ tamen constitutio nõ extat, sicut nec Zenonis, sed vtraque desideratur sub tit. C. de plus petitionibus, vtramque tamen Cuiacius refert lib. 11. obseruationum, hodie etiam in vno casu ad ius vetus relabimur, vt plus petẽs causa cadat. s. quando dolosè quis plus petit, & dolosè etiam extorquet cautionẽ obligatoriam, vel satisfactoriam à reo tex. est in l. vnica. C. de plus petitionib.

SVMMARIVM.

1 *Qui minus petit ius suũ nihilominus saluũ habet.*
2 *Error libelli corrigi potest.*

§. Si minus.

1 IN præcedenti §. dictum est, qualiter puniatur auctor, qui plus debito in libello petit, in hoc vero § docet Imperator quid iuris sit in casu cõtrario, quando actor minus, quã ei debetur petit, item si aliud pro alio petat, an errorem corrigere possit, quo ad primum dixit Imperator, quod si actor minus in libello petit, quam ei debetur, non punitur, sed saluum manet ius suum, nec sibi preiudicat in reliquo, quin & reliquum in eodem iudicio petere possit, intelligite, nisi actor apposuisset in libello dictionem taxatiuam tantum, veluti peto decem, quæ tantum mihi debes, tunc preiudicaret sibi, nec aliquid amplius petere posset, vt notant Doctor. in l. rationes. C. de probationibus, quoad secundum similiter dixit Imperator, quod quãdo quis ex errore aliud pro alio, vel ex alia causa petierit potest errorem suum in iudicio corrigere tex. est hic in §. si minus, ideo li-
2 cet regula sit, quod si quis in libello aliquid ponat, quod contra se faciat, stare debeat assertioni contra ipsum libellantem in fauorem rei, vt est tex. in l. cum precum, & ibi glo. C. de liberali causa, debet tamen intelligi, nisi interuenisset error in libel-

libel-

libellando, quia errore interueniẽte talis affectio non nocet libellanti, vt habemus hic in textu nostro, & quia materia hæc libellorum ex professo, & late traditur per Doct. in l. edita. C. de edendo, ne dotem debitam alijs legibus detrahamus, hic eius tractationem omittemus.

SVMMARIVM.

1 *Quæ personæ teneantur in id tantum, quod facere possunt.*
2 *Cedens bonis si ad pinguiorem fortunã deueniat tenetur satisfacere creditoribus.*

§. Sunt præterea cum multis seqq.

Quoniam superius adnotatum fuit quasdam actiones in solidum, hoc est ad integram debiti summam cõsequendam competere, quasdam vero in id tantum dari, in quãtum reus condemnatus facere possit, etiam de priori actionum genere satis abunde hactenus dictũ sit, nunc de posterioribus vsque ad finem huius tit. Imper. differit. quædam igitur personę iure singulari munitæ sunt, vt non in solidum cõueniantur, hoc est nõ totum qnod habeant illis extorqueatur, sed ipsorum ratio habeatur, ne ad nimiam egestatem perducantur, & hæ multæ sunt, quædã enim hoc beneficium habent ex natura ipsius rei,
1 vt exemplum habemus in patre, & Domino, qui si debita filijfamilias, vel serui excedant eorum peculium non condemnantur in solidum, sed tãtum modo peculio tenus, idest quatenus est in peculio §. sunt præterea hoc tit. nisi fuerint in dolo, vt puta, quia dolo diminuerint peculium l. in bonæ fidei. ff. de peculio, quædam personæ hoc beneficium habent propter reuerentiam diuino, naturali, & gentium iure sibi debitam, veluti parentes, patroni, maritus, socer, & si quæ similes sunt §. item si de dote, & §. sed & si quis hoc tit. l. sũt, qui eum l. seq. ff. de re iudicata, quædam hoc habent ex natura contractus, vt sunt donator, & socius siue vniuersorum bonorum, siue vnius negotiationis tãtum d. §. sed & si quis, quædam habent idem beneficium propter facti cõtingentiã, veluti debitores vltro sua bona dimittentes, & creditoribus concedentes, nam & in his miserationis ratio est habenda, cum inhumanũ sit omnibus bonis, & facultatibus semel euersum in solidum condemnari, & quotidianis alimentis defraudari, si tamẽ facultates fuerint postea acquisitæ creditoribus ex integro id in quod facere
2 possunt experiendi facultas conceditur §. fin. hoc tit. l. is qui bonis, & l. qui bonis, & l. sequenti. ff. de cessione bonorum, aliæ personæ etiam hoc beneficium habent propter rei publicæ vtilitatem, & sunt milites, qui sub armata militia stipendia merent, hi enim prælijs, atque vulneribus patriã, atque parentes cõseruant l. miles, & l. item miles ff. de re iudicata, quod beneficium etiã ad aduocatos, & causarum patronos extenditur, quia & ipsi militare creduntur secundum glo. in l. aduocati C. de aduocatis diuersorum iudicum, exceptio etiam compensationis facit, quod quis solidum non consequatur, vt est tex. hic in §. compẽsationes, & nos diximus supra in §. bonæ fidei.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio Tituli.*
2 *Sex actiones enumerantur quibus parentes, & Domini pro filijs, & seruis tenentur.*

QVOD CVM EO, QVI IN ALIENA potestate est negotium gestum esse dicitur. Titulus VII.

1 In tit. superiori copiose dictũ fuit, quomodo ex contractib. vel delictis nostris per nosmetipsos factis cõueniamur, nunc in hoc tit. & duob. seqq. tit. Imper. cõsequenter explicat, qualiter ex contractibus, vel delictis eorum, qui in potestate nostra sũt nobiscum agatur, harum autem actio-
2 num quibus parẽtes, vel Domini ex negotijs per filios, aut seruos factis cõueniri possunt sex enumerantur, prima est actio ex iussu, secunda exercitiora, tertia institoria, quarta tributoria, quinta de peculio, sexta, & vltima de in rem verso de quib. singulis ex ordine more nostro tractabitur.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit actio ex iussu.*
2 *Quotuplex sit.*
3 *Quæ requirantur.*
4 *Cui detur.*
5 *Contra quem.*
6 *Ad quid.*
7 *Quid sit actio exercitoria.*
8 *Quæ requirantur.*
9 *Cui detur.*
10 *Contra quem.*
11 *Ad quid.*
12 *Quid sit actio institoria.*
13 *Quæ requirantur.*
14 *Cui detur.*
15 *Contra quem.*
16 *Ad quid.*

§. Si igitur iussu.

Quid sit actio ex iussu.

Est actio prętoria personalis, qua agitur aduersus dominum, vel patrem, seruum, vel filium contrahere iubentem in solidum, quia quodam-
1 modo cum eo, qui iussit contrahi videtur, iussum autem accipiẽdum esse, siue quis per epistolam, siue verbis, siue per nuntium specialiter, aut generaliter contrahi iusserit Doctor. omnes conueniunt l. 1. ff. quod iussu,

Quotuplex sit.

Duplex est directa, quæ contra Dominum, aut patrem datur, qui seruum, vel filium
2 in eius potestate existentem contrahere iussit, & vtilis, quæ contra eum porrigitur, qui bona fide sibi seruientem cum alio negotiari, & contrahere iubet d.l.1.ff.quod iussu.

Quæ requirantur.

Primo requiritur, quod persona cum qua cõtrahitur negotium sit in potestate patris, vel Domini l.1.& l.si tutoris.§.si iussu.ff.eod.
3 Secundo, quod contractus consensu domini, vel patris initus sit, vel saltem post factum cõtractum subscripserit pater, vel Dominus, vel ratum habuerit l.1.§.iussum, & §.si ratum.ff.eod.

Tertio, quod sit contractum in merce peculiari, nam si in bonis dominicis, vel paternis mandati actio locum haberet l.si tibi.C.mandati.

Cui detur.

Directa competit ei, qui cum filio, vel seruo iussu patris, vel Domini cõtraxit, siue ius-
4 sus contractum præcesserit, siue postea rati habitio, vel subscriptio accesserit d.l.1.ff.quod iussu, vtilis vero datur primo ei, qui cum homine sui iuris, sed alteri bona fide seruiẽte cõtraxit, quamuis in eius potestate non sit.

Secundo datur contrahenti cum vxore iussu mariti, secundum Fabrum hic num.2.hæredibus vero conceditur tam directa, quam vtilis, secundum Azonem in sua summa C.quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur num.47.

Contra quem.

Datur contra patrem, vel Dominum cum filio, vel seruo contrahere iubentem l.1. qđ
5 iussu, secundo contra Abbatẽ religioso suo contrahere iubentem, quia & hic eum in potestate habet cap.vlt. extra de fideiussoribus, Faber hic num.2.& 3. contra hæredes suos, & necessarios in solidum, licet pro parte instituti sint actione tamen competente eis in cohæredes cedenda, sed aduersus extraneos eatenus tantum, quantum ad eos peruenit l.& ancillarum §.constat hæredem, & l.quæsitum est §.1.ff.de peculio.

Ad quid.

Datur ad consequendum à patre, vel Domino in solidum id, quod ex contractu filij,
6 vel serui, Domini tamen, vel patris iussu inito debetur, nam is, qui ita contrahit Domini, vel patris fidem sequi videtur §. si igitur hoc tit. l.1. ff. quod iussu, & l.si mandator.C.quod cum eo, qui in aliena potestate.

Quid sit actio exercitoria.

Est actio prætoria personalis ei cõpetens, qui cum magistro naui præposito contrahit ad-
7 uersus exercitorem, qui ipsum naui præposuit §. eadem ratione hoc tit.l.1. & toto tit.ff.de exercitoria actione, exercitor est ille ad quem quotidianus quæstus nauis pertinet d.§. eadem ratione, magister vero est ille, quem exercitor naui præposuit, & cui curam nauis demandauit l.1. §.magistrum.ff.de exercitoria actione.

Quæ requirantur.

Primo requiritur, quod sit negotiatio de rebus naualibus d.l.1.ff.eod.
8 Secundo, quod generaliter naui sit præpositus magister, nam si ad vnam speciem tantum, scilicet, vt locet vecturas nauium de alijs per eum gestis, Dominus nõ tenetur d.l.1. §.magistrum, & §.igitur præposito.

Tertio, quod dñs expresse eum naui præfecerit, vel negotiari in naui patiatur d.l.1.§.magistrum.

Quarto, quod si plures sint magistri non diuisis officijs, quodcunq; cũ vno eorum gestum erit exercitorem obliget, sed si diuisa sint officia pro cuiusq; officio tenebit exercitor d.l.1.§. si plures.

Cui detur.

Datur primo contrahenti cum domino nauis, vel cum magistro puta locandis naui-
9 bus conducendis vectoribus emendis armamentis, vel mercibus, vel in refectionem nauis mutuando d.l.1.§.magistrum.ff.eod.

Secundo datur contrahenti cum eo, quem magister nauis sibi substituit d.l.1.§.magistrum.

Tertio hæredibus illius, qui contraxit cum magistro præposito naui l.si tamẽ plures §.hę actiones.ff.eod.

Contra quem.

Primo datur contra exercitorem, aut magistrum nauis vtrumlibet eorum actor conuenire malit, cum in eius electione sit cum quo experiri velit d.l.1.§. est autem nobis.ff.eod.

Secundo contra eum, qui exercitorem in sua potestate habet, modo tamen eius voluntate exerceat d.l.1.§.si is, qui nauem, & §.seq.ff.eod.
10 Tertio contra plures exercitores, qui per se ipsos exercent pro portione tamen exercitionis l.si tamen plures.ff.eod.

Quarto contra eum, qui à magistro nauis substitutus fuit, cum & ille vulgo magister nuncupetur, nam cum exercitor omnia facta magistri sui præstare debeat, ergo & hoc, ne alioqui in contrahentes facile decipiantur l.1.§.magistrum.ff.eod.

Quinto contra hæredes exercitoris perpetuo l.si tamen plures §.hæ actiones.ff.eod.

Ad quid detur.

Ad consequenda datur hæc actio ab exercitore omnia ea in solidum, quæ ex contra-
11 ctu cum magistro nauis inito nobis debetur §. eadem ratione hoc tit. & l.fin.C.de institoria, & exercitoria actione.

Quid

Quid sit actio Institoria.

Est actio præparatoria in personam, quæ datur aduersus dominum, qui tabernę, aut vni-
12 uersæ negotiationi institorem præposuit, eius rei gratia propter, quam quis cum institore contraxit, vel quasi cõtraxit d. §. eadem ratione hoc tit. l. 1. & 3. ff. de institoria actione.

Qua requirantur.

Primo requiritur, quod ille, qui præpositus est, sit maior vigintiquinque annis, vel si pupillus, aut minor, vt cum auctoritate tutoris, vel curatoris præficiatur l. verum, & l. quicunque §. fin. ff. de institoria actione.

13 Secundo, quod in illa merce cõtrahatur, cuius gratia præpositus est l. quicunque §. nõ tñ. ff. eod.

Tertio, quod negotiatio cui præficitur, quęstus gratia ei cõmissa sit, & in hoc præpositus, vt contrahere possit, nam si alteri negotiationi nõ quęstuariæ præfectus sit, vt est villicus, qui propter colligendos, & percipiẽdos fructus præponitur, hæc actio non competit l. cuicunque §. sed & cũ fullo, & l. si cum villico ff. de institoria actione.

Cui detur.

Datur primo contrahenti cum institore, qui tabernæ, vel alteri cuicunq; generali quæstuariæ negotiationi est præpositus l. 3. & l. sed & si quis. ff. eod.

14 Secundo contrahenti cum eo quẽ institor forte peregre profectus quasi institorem ex operarijs suis reliquit d. l. cuicũque §. sed & cum fullo ff. de institoria actione iuncta l. 1. C. eod.

Tertio datur hæredibus contrahentis l. nouissime. ff. eodem.

Contra quem detur.

Datur primo contra eum, qui institorẽ præposuit, siue ipse, siue procurator eius, siue etiam negotiorum gestor (domino tamen consentiente, & ratum habente) præfecerint l. cuicũque in princ. & in §. fin. & l. sed & si quis. ff. eod.

15 Secundo datur etiam contra procuratorem omnium bonorum, qui rebus domini institorem præposuit l. sed & si quis. ff. eod.

Tertio contra patrem pro filio, tabernæ, seu alteri negotiationi præposito fide iubentem l. penult. §. tabernæ. ff. eod.

Quarto contra hæredes eius, qui institorem præposuit l. nouissime, & l. cuicunque §. fi. ff. eod.

Ad quid detur.

Primo datur ad id, quod ex contractu, vel quasi cum institore inito debetur in solidũ l. ex contractibus C. eod.

16 Secundo ad reddendam pecuniam eius negotij causa depositam, quod per institorem exercebatur l. institoria. C. eod.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit actio tributoria.*
2 *Qua requirantur.*
3 *Cui detur.*
4 *Contra quem.*
5 *Ad quid.*

§. Introduxit.

Quid sit actio tributoria.

1 Est actio prætoria personalis, per quam is cuius seruus, vel filius in merce peculiari scienter negotiatus contraxit, in tributum conuenitur, hoc est, vt merces inter creditores, & seipsũ pro rata eius, quod cuiq. debetur, distribuantur §. introduxit, hoc tit. l. 1. & hoc tit. ff. de tributoria actione.

Qua requirantur.

Primo requiritur quod personę cũ quib. contractum est, in alterius sint potestate d. l. 1.

Secundo quod contractus sit factus in merce peculiari, peculialirem aũt mercem nõ sicuti peculium accipimus, quippe peculium deducto eo, quod domino debetur, accipitur, merx vero peculiaris etiam si nihil sit in peculio, dominũ tribu-
2 toria obligat. d. l. 1. §. peculiarem.

Tertio quod domini, vel patris scientia seruus, vel filius in merce peculiari negotietur, scientiã autem hic accipimus, quæ habet non solum voluntatem, sed, & patientiam, non enim velle debet dominus, sed non nolle, si igitur scit, & non protestatur, nec contradixit, hac actione tenetur d. l. 1. §. peculiarem ff. eod.

Quarto requiritur, quod mercium distributio à domino, vel patre inter sese, & creditores reliquos ex contractibus filij, vel serui inæqualiter pro cuiusque rata facta sit. d. §. introduxit tit. & l. procuratoris §. fi. ff. eod.

Cui detur.

Datur primo creditori, negotiationẽ mercis peculiarium seruo, vel filio alicuius credẽti l. 1. & l. procuratoris §. in tributum ff. eodem

3 Secundo, datur creditori non cum ipso seruo, sed cum institore eius cõtrahenti d. l. procuratoris §. item parui refert ff. eod.

Tertio, datur heredibus creditoris, cæterisque successorib. l. quod in hæredem in princ. ff. eod.

Contra quem detur.

Primo datur, contra patrem, vel dominum scientem, vel patientem filium, vel seruum suum in merce peculiari quacunque negotiatione negotiari l. 1. & l. procuratoris §. primo. ff. eod.

4 Secundo, datur contra hæredes cæterosq; successores vniuersales propter dolum defuncti in id tñ, qđ ad eos peruenit, sed ex proprio suo dolo in solidum l. illud §. fi. cum duab. legib. seqq. ff. eo.

Ad quid.

DAtur ad id, quod in mercibus peculiaribus
est, quodq. inde receptũ est inter dominũ,
vel patrẽ, & ceteros creditores proportione di-
5 stribuendũ, vnde & hæc actio tributoria vocatur,
quasi contributoria d. §. introduxit hoc tit, & l.
procuratoris. §. per hanc actionem. ff. eod.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit actio de in rem verso.*
2 *Quæ requirantur.*
3 *Cui detur.*
4 *Contra quem.*
5 *Ad quid.*
6 *Quæ differentia sit inter actionem de peculio, & de in rem verso.*

§. Præterea cum duob. seqq.

DVæ actiones connumerantur hic ab Imperatore in §. præterea hoc tit. scilicet actio de peculio, & de in rem verso, & quia de actione de peculio superius à nobis dictum fuit, ideo de in rem verso tantùm dicemus.

Quid sit actio de in rem verso.

EST actio prætoria in personam, per quam pa-
ter, dominusve cuius filius, vel seruus cum
aliquo sine ipsius voluntate contraxit, si in rem
1 ipsius versum sit, totum præstare cogitur, aut si
versum non sit, quatenus peculij vires sese exten
dunt §. præterea hoc tit. in rẽ autẽ versum intelli-
gitur, si quid necessario, vel vtiliter impensum fue
rit §. in rẽ hoc tit. vbi Imper. exemplis declarat,
& insuper plura alia exempla videre licet in l. 3. 5.
6. 8. 9. 10. 16. 17. 20. & 21. ff. de in rem verso.

Quæ requirantur.

REquiritur ad hoc, vt hæc actio locũ habeat,
quod res, siue pecunia quacunq; ratione in
2 rem domini, vel patris re vera fuerit conuersa,
nam si ideo acceperint, vt verterent, nec tamẽ fe-
cerint, sicq. creditorem deceperint, versum non
videtur, nec dominus tenetur ne credulitas cre-
ditoris domino obfutura, vel serui calliditas sit no
citura l. 3. §. sed si sic accepit ff. de in rem verso.

Cui detur.

DAtur primo contrahenti, credenti, vel ven-
denti ei, qui in aliena potestate existit, cu-
3 ius pecunia in rem domini, vel patris versa est, si-
ue hic contractum ratum habeat, siue non l. 1. &
l. si res. ff. eod. secundo datur hæredib. contrahen-
tis. l. ei qui. C. de eo, qui in aliena potestate est.

Contra quem.

PRimo datur contra patrem, vel dominum in cuius vtilitatem res fuit versa, vel statim, vel ex interuallo l. si res domino §. placet cum l. sequenti, & l. si in rem. ff. de in rem verso.

Secundo contra pupillum in cuius rem tutore
subscribente, pecunia mutuo sumpta, & versa est
l. pater pro filia §. seruus absentis. ff. eod.
4 Tertio datur contra patrem ob hoc, quod in
funus filij versum est l. filiusfamilias. ff. eod.

Quarto datur contra Ecclesiam, & Rempubl. ob id, quod per administratores in eorum rem versum est Auth. hoc ius porrectum C. de Sacrosanctis Ecclesijs, & l. ciuitas. ff. si certum petatur.

Quinto, & vltimo datur contra hæredes, de eo quod in rem defuncti versum est d. l. ei qui.

Ad quid.

5 DAtur ad restitutionem rei, quæ ex filij, vel
serui contractu in rem patris, vel domini
versa est l. 3. §. perinde. ff. eod.

Quæ differentia sit inter actionem de peculio, & de in rem verso.

DIfferunt inter se actio de peculio, & de in
rem verso, quia intentans actionem de pe-
culio id tantum consequi potest, quod in pecu-
lio est, & peculium est id solum, quod superest
6 deducto eo, quod seruus domino, siue qui in po-
testate eius est debet d. §. in rem iuncto §. cum
autem hoc tit. quod vero seruus Vicario suo de-
bet, quia & ipse in peculio serui censetur, deduci
non debet d. §. cum autem, intentans autẽ actio-
nem, de in rem verso id totum cõsequitur, quod
in rem domini, vel patris versum est, etiam vltra
serui, vel filij peculium d. §. in rem hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Plures actiones habens quam intendere debeat.*
2 *Quæ de seruis, & dominis dicta sunt ea quoque in filijs familiarum, & parentibus locum habent.*

§. Cæterum cum duob. seqq.

QVa cautela vti debeat, q. plures actiones ad
idem competẽtes habet, eam potissimũ in-
tendere debet, qua minus grauetur probandi dif-
ficultate, actio igitur, quod iussu institoria, & exer
1 citoria, & tributoria concurrere quidem cum
actione de in rem verso, & de peculio possunt, vt
est tex. hic in §. cæterum, & in §. is quoque, stultè
tamen faceret actor, si prioribus neglectis insti-
tueret istas, seque onere probandi grauaret, nam
facilior est probatio in prioribus, quam in actio-
ne de peculio, & de in rem verso, in illis enim sa-
tis est docere bona fide pecuniam esse creditam,
cum res opus haberet refectione, at in actione
de in rem verso probari quoque debet id, quod
acceptum est in rem domini versum esse, item in
actione de peculio duo cõiunctim ostẽdi debẽt,

nempe

nempe seruum habere peculium, & tantum esse in peculio, vt solidum inde consequi possit d.§.
2 ceterum,& d.§.is quoque hoc tit. quæ de seruis, & dominis dicta sunt,ea quoque in filijs familias, & parentibus locum habere ostendit Imperator hic in §. quæ diximus hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Dispositio Senatusconf. Macedoniani.*
2 *Ratio ipsius Senatusconf.*

§. Illud propriæ.

MEntionem facit Imperator hic de Senatusconsulto Macedoniano,quo cautum fuit
1 actionem denegari his, qui pecuniam filiofamilias mutuo dederint, tam aduersus filium,quam & aduersus patrem, tex.est hic in §. illud hoc tit. & per totum tit.ff.& C.ad Senatusc.Macedon.&
2 ratio est secundum Imperat. nostrum, quia filij sæpe ære alieno creditarum pecuniarum onerati eis consumptis vitæ parentum insidiabantur.

SVMMARIVM.

1 *Pater,& dominus etiam directò conueniri possunt actione de iussu,de in rem verso institoria, & exercitoria.*
2 *Qui per alium facit per se ipsum facere videtur.*

§.Illud in summa.

DEclarat Imperator in hoc §.patrem,vel dominum etiam directo conueniri posse a-
1 ctione, quod iussu, de in rem verso institoria, & exercitoria tanquam si principaliter cum ipsis negotium gestum fuisset,& pro volũtate, & iussu
2 eorum contractum §.illud in summa hoc tit. qui enim per alium facit per se ipsum facere videtur l.1. §.deiecisset ff.de vi, & vi armata l.3. & 5. ff. quod vi, aut clam.

SVMMARIVM.

1 *Noxalis actio quæ sit.*
2 *Potest dominus seruum pro noxa dare.*

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

Titulus VIII.

TRaditis supra in tit.de actionibus multis, & præcipuis actionum diuisionibus reliqua, quæ supersunt Imperator in hoc tit. & aliquot titulis sequentibus subiungit, in hoc enim titulo Imperator tradit actionum alias esse non noxales, quales sunt fere omnes rei persecutoriæ,de quibus actenus magna ex parte egimus,alias ve-
1 ro noxales, quæ non ex contractu, sed ex noxa, atque maleficio seruorum, quod pœnam vltimi supplicij non habet, aduersus dominos instituuntur, vt aut seruum pro noxa dent, aut litis æstimationem soluant, est enim in domini potestate,vt vel certam pecuniam pro noxa, siue ma-
2 leficio præstet, vel per deditionem ipsius corporis,quod deliquit litis æstimationem euitet, vt in princ.huius tit. & in l.1. ff.de noxalibus actionib. verum quia hæ actiones in seruos solummodo sunt constitutæ,vt in §.fin. hoc tit.seruitusq. à foro nostro Christiano recessit,& merito abolita est, ideo quoque in harum actionum explicatione diutius non immorabimur.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit noxalis actio de pauperie.*
2 *Quotuplex sit.*
3 *Quæ requirantur.*
4 *Cui detur.*
5 *Contra quem.*
6 *Ad quid.*

SI QVADRVPES PAVPERIEM fecisse dicatur. Tit. IX.

HActenus diximus quibus modis ex contractibus, vel delictis eorum, qui in potestate nostra sunt obligemur,atque conueniamur, nunc ergo pro Coronide in hoc titulo tradendũ erit,quomodo quis ex damno per animalia sua rationis expertia alteri dato teneatur,nam noxales actiones, quarum titulo proxime præcedenti mentio facta est, non tantum ex seruorum delictis oriuntur, verum etiam quoties quadrupes contra innatam sui generis consuetudinem commota feritate,lasciuia, aut feruore,aliove quouis modo damnũ intulerit ex l.12.tab. noxalis actio prodita est,quæ etiam nostris temporibus valde vtilis,atque frequens admodum est, licet cęteræ noxales actiones propter seruitutem abolitam,vt paulo superius dictum est, hodie non frequentetur,de ea igitur Imper. in hoc tit.nostro differit.

Quid sit noxalis actio de pauperie.

EST actio in personam à l.12.tab. introducta per quam is, cuius quadrupes alicui dam-
1 num dedit,aut litis æstimationem præstare, aut ipsam quadrupedem noxæ dare cogitur tex.est hic in principio tituli, & in l.1. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

Quotuplex sit.

DVplex est directa, quæ in quadrupede mansueta, & vtilis, quæ in bipede, aut alia fera bestia, quæ tamen in alicuius dominio est,locum habet §.1. hoc tit.l.penult.ff.eod.

Quæ requirantur.

PRimo requiritur, quod animal ratione carẽs damnum dederit.

3 Secundo, quod animal istud sit mansuetum, & quadrupes ad hoc, vt directa competat, alioquin si bipes, aut alia fera bestia damnum intulerit, vtiliter hæc actio conceditur ex edicti sententia, licet verba deficiant l. 1. §. 1. & 2. & l. penult. ff. si quadrupes pauperiem fecisset dicatur.

Tertio requiritur, quod damnum contra sui generis naturam ab animali datum sit §. 1. hoc tit. l. 1. §. 1. & §. generaliter. ff. eod.

Cui detur.

PRimo hæc actio datur domino, cui damnum datum est, vel etiam ei, cuius interest qua-
4 drupedem, vel quodlibet animal ex feritate contra sui naturam nocuisse, veluti commodatario, & fulloni l. 1. l. hæc actio, & l. fin. ff. eod.

Secundo datur hæredib. cæterisq. successorib. illius cui pauperies facta est l. 1. §. fin. ff. eod.

Contra quem detur.

DAtur primo contra dominum in cuius potestate fuit quadrupes §. 1. hoc tit. l. 1. §. & cum etiam. ff. eod.

5 Secundo datur contra hæredes cæterosq. successores non iure successionis, sed eo iure, quo Domini sunt d. l. 1. §. fin. ff. eod.

Ad quid detur.

DAtur primo ad consequendum, vel dandũ id per quod pauperies facta est, hoc est ipsum animal, quod noxam cõmisit, vel noxæ, aut damni æstimationem, & horum alterum eligere potest reus, legis auctoritate, ideo alternatiue vtrunque peti debet l. 1. in princ. ff. eod.

Secundo datur ad præstandum in solidum, id quod actoris interest, si videlicet reus cõdemnatus neutrum præstans actione in factum ex re iudicata fuerit conuentus, tunc enim beneficio electionis expirãte animal, quod nocuit noxæ damno non liberatur, sed actori in totam damni summam, & æstimationem tenetur, etiam si multo maior sit, quam animal valeret, & hoc casu, quod datur pœna est l. item veniunt. §. idem recte. ff. de petitione hæreditatis, & l. miles. §. 1. ff. de re iudicata, idem est, si reus in iure interrogatus animal quod nocuit suum esse negauerit, nam & is pro-
6 pter mendacium in solidũ, quod actoris interest condemnabitur l. 1. §. interdum. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, si tamen animal ante litem contestatam absque alterius dolo, vel culpa decesserit, hæc actio extinguitur, sed si post litem contestatam ab alio occisum fuerit, vel æstimatio litis, vel ius Aquilianæ actionis offerẽdum erit ab eo, qui interfecit l. 1. §. penult. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

Tertio datur ad impensas in curationem liberi hominis vulnerati, vel læsi, factas, & operas amissas, vel propter pauperiem datam, amissuras l. ex hac lege. ff. eod. illud insuper adnotandum est ædilitio edicto prohibitum esse canem, verrem, aprum, vrsum, aut leonem habere in loco, in quo iter fieri solet, adeo quod si nocitum fuerit homini libero, dominus damnabitur in quantum æquũ, & bonum iudici visum fuerit, cęterarum rerum nomine damnabitur in duplũ damni, quod animal dedit §. fi. hoc tit. & l. 40. cum duab. legib. sequen. ff. de ædilitio edicto, duabus igitur actionib. in hoc casu dominus conueniri potest, actione noxali de pauperie, & ædilitia actione quasi ex duobus factis, quia scilicet ipse dominus contra edictum ædilitium canem ferocem, vel aliud enumeratum animal habuit ibi, vbi habere non debuisset, & quia canis, & aliud animal pauperiem fecit, duo hic sunt facta, & duæ ergo actiones, nec vna actio, alteram consumit, dominus quippe canis ædilitia actione in duplum conuentus, nihilominus postea noxali actione de pauperie, vt damnum, quod canis dedit resarciat, vel noxæ canem det, conueniri potest, quia nunquam actiones præsertim pœnales, de eadem re cõcurrentes, alia aliam consumit, vt Iustinianus hic in fine tit. nostri loquitur, & traditum est à Iurisconsulto in l. penult. ff. de actionib. & obligationib.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Per procuratorem, & agere, & se defendere homines.*

DE HIS PER QVOS AGERE POSSVMVS. Titulus X.

CVm superioribus titulis, de actionibus earumque naturis dictum sit, nunc per quas personas exerceri possint dicendum restat, exercentur autem actiones, vel per proprias perso-
1 nas, vel per alias substitutas, veluti per procuratores, tutores, & curatores, quoniam autem in primo lib. traditum est, quomodo tutores, & curatores constituantur, in præsenti Imperator de procuratoribus tractat, sciendum est, quod olim in vsu fuerat, neminem alterius nomine agere posse, sed quoniam hoc non minimam incommoditatem habebat, cum multæ causæ hominib. impedimento esse possint, quominus rem suam exequi valeant, veluti morbus, ætas, necessariæ peregrinationes, & si quæ his similes sunt, ideo veteri iure sublato, nouo iure per procuratores, & agere, & se defendere homines ceperunt §. 1. hoc tit. l. 1. & toto tit. ff. & C. de procuratoribus, cuicunque igitur permiseris rem tuam agere, aut defen-

defendere, procurator tuus erit §.fin.hoc tit.neque est necesse, vt certis verbis detur, neque præsente semper aduersario, immo, & eo plerunque ignorante datur d.§.fin. non enim actus iudicialis est, sed priuatus contractus mandati, qui inter dominum, & procuratorem solo consensu constituitur l.licet.§.ea.ff.de procuratoribus.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quid sit satisdatio.*
3 *Quot modis fiat satisdatio.*
4 *Qualiter satisdatio præstari soleat.*

DE SATISDATIONIBVS.
Titulus XI.

Quoniam in iudicio satisdationes exigi, & præstari solent ab ijs, qui lites suscipiunt,
1 ideo post titulum, de ijs per quos agere possumus ponitur tit. iste de satisdationibus.

Quid sit satisdatio.

Est actio quædam qua aduersarium nostrum securum reddimus, de eo quod in iudicium
2 deducitur, vt in omnem litis euentum habeat ex quo consequatur id, quod ex lite ipso iure deberi fuerit pronuntiatum l.1.ff.qui satisdare cogantur.

Quot modis fiat satisdatio.

Quatuor modis satisdatio fieri solet, primo fideiussoribus, secundo datis pignoribus, tertio nuda stipulatione, quarto iureiurando l.1.
3 & ibi glo. ff.qui satisdare cogantur, primis duob. modis proprie quis satisdedisse, tertio vero modo cauisse dicitur, & hoc fieri non potest, nisi aduersario nolente l.satisdatione.ff.de verb.signific. ad vltimum postea, modū nemo admittitur, nisi pignora, aut fideiussores dare non posit, nam & id se non posse de iureiurando testari cogitur, & ideo iureiurādo promittere, quod præstiturus sit ea, quæ ab aduersario eius ad satisdandum exiguntur Auth.generaliter.§.autem. C.de Episc.& Clericis, & quia satisdationum modus alius antiquitati placuit, alium nouitas per vsum complexa est, vt inquit Imper. hic in prin.tit.nostri, ideo sciendum est, quod olim in vindicatione rerum, possessor satisdare cogebatur iudicatū solui, hoc est promittere, quod victus rem ipsam restituet, aut si rem nō poterit litis æstimationem ad hoc, vt securior esset petitor, tenebatur dare fideiussores iudicati soluendi nomine §.1.hoc tit. & victo possessore potestas erat petitori, aut cum ipso agendi, aut cum fideiussoribus d.§.1.petitor vero hoc est, qui in rem agebat, non cogebatur satisdare, si nomine suo agebat, sed si agebat procuratorio nomine, satisdare iubebatur ratam rem dominum habiturum, & hoc ne iterum dominus de eadē re experiretur d.§.1.similiter tutores, & curatores cum non suo nomine, sed nomine pupillorum, & minorum vindicabant, satisdare cōpellebantur de rato d.§.1.in fine, idque verba edicti faciebant, vt Imper.ibi loquitur, aliquando tamē tutoribus, & curatoribus agentibus satisdatio remittebatur, quando.s.certo constabat eos tutores, & curatores esse, tunc enim pro dominis habebantur, & quasi domini rem in iudicium deducebant d.§.1.& ibi Doct.notant l.vulgo.ff.de administratione tutorum, & hæc in actione in rem olim obtinebant, in actione vero in persona, eadem quoque obseruabantur, nam qui suo nomine agebat non satisdabat, qui agebat alieno nomine satisdabat ratam rem dominum habiturū, reus autem, si proprio nomine iudicium accipiebat in personam, non satisdabat iudicatum solui, si alieno nomine omnimodo satisdare cogebatur iudicatum solui, quia nemo defensor in aliena re sine satisdatione idoneus esse creditur §. hæc ita hoc tit.& l.qui proprio.§.qui alium. ff.de procuratoribus, & hæc de modo satisdationum, qui antiquitati placuit, modus autē quo hodie vtimur talis est, conuentus quacūque actione, siue reali, siue personali, non satisdat iudicatū solui, sed tantummodo, quod in iudicio permanebit, vsque ad exitum, & finē litis §.sed hodie hoc tit.& hoc qn̄ reus ipse iudicium suscipit, at si per procuratorē, tria præstare tenetur, primo tenetur in iudicio, vel etiam extra iudicium satisdare iudicatum solui, secūdo res suas pignori, seu hypothecæ obligare, tertio, quòd eo tēpore quo sententia recitabitur ipse in iudiciū veniet, & si non venerit, quod omnia dabit fideiussor, quæ in condemnatione continentur, nisi fuerit appellatum d.§.sed hodie iun cto §.alia insuper hoc tit. verū si reus, nec per se, nec per procuratorē litem suscipiat, potest alius eius defensionē suscipere, ita tn̄, vt satisdet iudicatum solui §.fin.hoc tit.& hæc de reo.actor autē si ipse litē mouet nō satisdat, sed si per procuratorem agit curare debet, vt mandatum procuratoriū actis insinuetur, vel ipsemet in iudicio procuratorē confirmare debet, quod si neutrum fecerit procurator, satisdare debet ratam rem Dominum habiturum d.§.sed hodie in prin.hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sint actiones in perpetua.*
2 *Quæ temporales.*

DE PERPETVIS, ET TEMPORAlibus actionibus, & quæ ad hæredes, & in hæredes transeunt.
Titulus XII.

Ex inscriptione tituli nostri duo esse eius capita facile intelligere possumus, primum est

de tempore, quo actio omnis durat.

Secundum est de actionibus, quæ ad hæredes, & in hæredes transeunt.

Quæ sint actiones perpetuæ.

ACtiones omnes ciuiles, tam personales, quã reales olim perpetuæ erant, sed postea sacratissimi Imperatores certos fines ei dederunt §. 1. hoc tit. inter reliquas autem Imperatorum
1 constitutiones præcipuè eminet Theodosij constitutio in l. sicut. C. de præscriptionib. 30. vel 40. annorum vbi personales, & reales actiones, quæ decem, vel viginti annis tolli non possunt 30. tolluntur, sic actiones mixtæ 30. annis tolluntur l. vlt. C. finium regundorum l. 1. §. ad hæc. C. de annali exceptione l. penul. C. in quibus causis longi temporis præscriptio cessat l. hæreditatis. C. de petitione hæreditatis, reliquæ quæ 30. annis tolli non possunt 40. tolluntur, vt actiones Ecclesijs competentes l. 3. 4. & vlt. C. de præscriptionibus 30. vel 40. annorum Auth. quas actiones, & ibi Iason C. de Sacrosanctis Ecclesijs.

Quæ actiones temporales sint.

TEmporales actiones sunt illæ, quæ vltra annum non durant quales sunt prætoriæ d. §. 1. hoc tit. à quibus tamen excipiuntur rei persecutoriæ, vt est possessoria, & fideicommissaria
2 hæreditatis petitio, quæ vt ciuiles vsque ad finem præscriptum durant toto tit. ff. de possessoria hæreditatis possessione, & de fideicommissoria hæreditatis petitione, item actio furti manifesti, vt cumque prætoria, & pœnam quoque contineat, tamen perpetuo datur d. §. 1. hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Omnes actiones pœnales ad hæredes transeunt, sed non in hæredes.*

2 *Actiones ex contractu descendentes, & ad hæredes, & in hæredes transeunt.*

§. Non autem.

Quæ actiones ad hæredes, & in hæredes transeant.

PRimo pœnales actiones transeunt quidem ad hęredes, sed non in hęredes, excepta iniuriarum actione, excepto etiam nisi lis fuerit con-
1 testata cum defuncto, nam tunc, & in hæredes transeunt, & ad hæredes §. non autem hoc tit.
2 Secundo actiones descendentes ex contractu, & ad hæredes, & in hæredes transeunt, nisi testator dolosè versatus sit, & nihil ad hæredem ex dolo peruenerit d. §. non autem, & l. si in rem ff. de rei vindicatione.

SVMMARIVM.

1 *Reus qui ante rem iudicatam satisfacit, absolui debet.*

§. Superest.

1 ADmonet Imperator hic reum, qui ante rem iudicatam actori satisfacit, absoluendum esse, intelligite verum, si reus offerat id, quod petitur cum omni damno, & interesse Iason in l. insulam de verborum obligationibus.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*

2 *Quid sit exceptio.*

DE EXCEPTIONIBVS.
Titulus XIII.

1 POstquã actionibus actor satis instructus manet, sequitur vt de exceptionibus, quę defendendorum reorum causa cõparatæ sunt agatur.

Quid sit exceptio.

ESt exclusio actionis, quæ cuiusque rei actioni interponi solet ad excludendum id, quod in intentionem deductum est l. 2. & l. exceptio ff.
2 de exceptionibus, sæpe enim accidere solet, vt licet ipsa persecutio, qua actor experitur iusta sit, tñ iniqua sit aduersus eum cum quo agitur, quod exemplis Imper. declarat hic vsq; ad §. alioquin.

SVMMARIVM.

1 *Exceptiones variæ sunt.*

2 *Mulier & miles procuratores esse non possunt.*

§. Alioqui cum plurib. seq.

EXceptiones aliæ sunt ciuiles, aliæ prætoriæ, ciuiles sunt quæ ex l. 12. tabul. plebiscitis, Senatusconsultis, Principum placitis, & responsis prudentum, originẽ suam trahunt, prætoriæ quę
1 a Prætore ob singularem quandam æquitatem inuẽtæ sunt §. alioquin hoc tit. aliæ sunt peremptoriæ, quæ intentionem aduersarij semper perimunt, sicut fit in exceptione doli, mali, metus, rei iudicatæ, pacti conuenti, & similibus §. appellantur hoc titulo, aliæ vero sunt dilatoriæ, seu temporales, quę actionem non prorsus tollunt, sed temporis dilationem ipsi reo tribuunt, nam reus ab instantia, seu obseruatione iudicij ad tempus absoluitur, huius generis est exceptio, ne intra certum tempus agatur, ac olim quidem, qui ante tempus agebat causa cadebat, sed hodie induciæ tantum duplicantur, vt late supra diximus, & habemus hic in §. appellãtur, & in §. hodie, est

quoque

quoq; dilatoria exceptio procuratoria, vt si quis per militem, aut mulierem agat, & objici potest
2 exceptio procuratoris, quòd miles, pcurator esse non possit, nec mulier §. præterea hoc tit. poterat olim procuratoribus etiam objici, quod infames essent, vel ab infame dati, sed hoc in vsu esse desijt, vt inquit Imper. hic in §. fin. id quod de iure pontificio vetum est, etiam hodie, vt habemus in cap. infames 3. quæst. 7.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quid sint replicationes.*

DE REPLICATIONIBVS. Titulus XIV.

QVoniam proximo titul. dictum est de exceptionibus, exceptiones autem per repli-
1 cationes infringi sæpe solent, ideo Imper. de his in hoc tit. differit.

Quid sint replicationes.

NIhil aliud sunt, quam exceptiones ex parte actoris, quæ ideo necessariæ sunt, vt exceptiones rei excludantur, omnis enim exceptio, vel replicatio exclusoria est, exceptio actorem, replicatio reum excludit, vt Imper. hic in princ. tit. nostri docet, & exemplo declarat, sed & con-
2 tra replicationem triplicatio dari solet, & sic deinceps, prout aut reus, aut actor objicit §. rursus hoc tit. l. exceptio. §. 1. & 2. ff. de exceptionib.

SVMMARIVM.

1 *Exceptiones quæ reo prosunt, etiam fideiussoribus accommodari solent.*
2 *Exceptio cessionis bonorum fideiussori nō prodest.*

§. Exceptiones autem.

DEclarat Imperator, quod exceptiones, quę reo prosunt, plerumque etiam fideiussoribus accommodari solent, & ratio est, quia quod
1 à fideiussoribus petitur id ab ipso debitore peti videtur §. exceptiones hoc titu. ideo si creditor pactus sit non petere, hoc pactum, & fideiussori prodest d. §. exceptiones, quinimo si debitor, & creditor postea in contrarium pacti fuerint, vtilitas prioris pacti fideiussori sublata non erit l. fi.
2 C. de pactis, exceptio tamen cessionis bonorum fideiuss. non prodest d. §. exceptiones, & ratio est secundum Imperatorem hic in fi. tit. nostri, quia fideiussor, ideo accipitur, vt lapso facultatib. debitore à fideiussore nostrum consequamur.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Quid sit interdictum.*

DE INTERDICTIS. Titulus XV.

POstquam de actionibus dictum est, earumq. ordine, progressu, & cum exceptionum eo-
1 gressu, sequens erat etiam subijcere de interdictis, quæ & ipsa vice actionum sunt §. vlt. hoc tit. & appellatione earum continentur l. actionis. ff. de actionibus, & obligationibus.

Quid sit interdictum.

EST forma, seu conceptio verborum, quibus Prætor, aut iubebat, aut vetabat aliquid fieri, quod tūc maxime fiebat, cum de possessione, aut quasi inter aliquos contendebatur tex. est hie
2 in princ. tit. nostri, dictumq. est interdictum quasi inter duos dictum §. in summa inf. hoc eod. tit.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex sit interdictum.*
2 *Quæ sint interdicta prohibitoria.*
3 *Quæ sint restitutoria.*
4 *Quæ exhibitoria.*
5 *Quæ mixta interdicta dicantur.*

§. In summa, & §. exhibitoria.

1 PRima, & principalis diuisio interdictorū est, quod alia sunt prohibitoria, quæ vim fieri vetant, alia restitutoria, quæ rem restitui, & alia exhibitoria, quæ rem exhiberi iubēt §. in summa, & §. exhibitoria hoc tit. quibus tamen, & quarta species additur à Vulpiano Iurisconsulto in l. 1. §. interdictorum. ff. de interdictis. s. mixta, quæ partim prohibitoria, partim exhibitoria sunt.

Quæ sint interdicta prohibitoria.

PRohibitoria interdicta quattuor sunt, primū est, ne vis fiat ei, qui in possessionem bonorum debitoris, iussu prætoris, aut iudicis missus est, quod interdictum datur ad id, quod interest aduersus eum, qui spreta iudicis authoritate molestat vi, & dolo malo missum in possessionem, siue id in prohibēdo eum ingredi, siue ingressum expellendo faciat l. 1. §. 1. ff. ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est.
2 Secundum est de mortuo inferendo, quo prætor vim fieri vetat ei, qui mortuum infert, vel sepulcrum extruit eo in loco in quo inferendi, ædificandive ius habet, religionis enim interest cadauer sepulturam non prohiberi, atque monumenta extrui, & exornari l. 1. ff. de mortuo inferendo, & l. statuus. C. de religiosis, & sumptibus funerum.
Tertium interdictum est, ne quid in loco sacro edificetur, quo interdicitur ne quid deformitatis, aut incommodi causa in loco sacro, vel sancto fiat

fiat l.1.ff. ne quid in loco sacro fiat.

Quartum est, ne quid in flumine publico ædificetur quod publicæ vtilitatis gratia à prætore introductum est, & eo prohibetur ne quid in flumine publico, aut eius ripa fiat, aut immittatur, quo statio, aut iter nauigij deterius fiat, & si quid factum immissumve fuerit restituatur l.1.§.deinde. ff.de fluminibus l.1.§. hoc interdictum ff.ne quid in flumine publico.

Quæ sunt interdicta restitutoria.

Restitutoria interdicta duo sunt, videlicet interdictum vnde vi, quod datur ei, qui atroci, & immani violentia à soli possessione deiectus, seu expulsus est, aduersus eum, qui deiecit,
3 vel expulit, vel deijci, seu expelli mandauit, aut expulsionem, vel deiectionem suo nomine factã ratam habuit, ad hoc, vt tam ipsa res, quam ea, quæ inerant, tum etiam fructus, aut percepti, aut percipiendi, damnumq. omne restituatur l.1.& toto tit.ff.& C.vnde vi.

Secundum est, quorum bonorum, quo prętor iubet bonorum possessori restitui, quæ quis possidet ex his bonis, quorum possessionem ipse alicui dedit l.1.ff.& C.quorum bonorum.

Quæ sint interdicta exhibitoria.

Exhibitoria interdicta tria sunt, primum est, de libero homine exhibendo, quod datur cuicunque, & perpetuo competit cõtra eum, qui liberum hominem dolo malo detinet, quo mi-
4 nus pristinæ ingenuitati restituatur l.1.& 3.§.hęc verba, & §.fin.ff. de libero homine exhibendo.

Secundum est de libertis exhibendis, quod cõpetit patrono aduersus eum, qui dolo malo eius libertum contra ipsius voluntatem detinet l.2.§.iuris sui ff.de interd. Bar. in l.2.n.3.ff.de lib.exhib.

Tertium est de liberis exhibendis, quod à prætore, patriæ, & similis potestatis tuendæ gratiã introductũ fuit aduersus eum, qui quauis ex causa filium familias, vel vxorem alterius dolo malo, & contra eorum voluntatem apud se retinet, vt eum, eamve vnius, vel patris, vel mariti postulatione exhibeat, & ducendi quo velit facultatem faciat l.1.& 3.ff.de liberis exhibendis.

Quæ sint mixta interdicta.

Mixta interdicta sunt, quę participant, vel cũ prohibitorijs, aut exhibitorijs, vt est inter-
5 dictum de liberis exhib. vel cum prohibitorijs, & restitutorijs simul, vt interdictũ, ne vis fiat ei, de quib. cũ satis supra dictum sit, opus esse non arbitror, vt eorum enumeratio hoc loco repetatur.

SVMMARIVM.

1 *Interdicta adipiscendæ, retinendæ, & recuperandæ possessionis.*
2 *Quæ sint interdicta adipiscendæ possessionis.*
3 *Interdictum quorum bonorum.*
4 *Quorum legatorum.*
5 *Saluianum interdictum.*

§. Sequens, & §. Itaque.

Resoluta prima interdictorũ diuisione iustus methodi ordo postulat, vt ad secundam diuisionem transitum faciamus, quæ est quod interdicta alia adipiscendæ, alia retinendæ, & alia
1 recuperandæ possessionis gratia introducta sunt §.sequens hoc titu.l.2.§.hæc autem interdicta ff. de interdictis.

Quæ sint interdicta adipiscendæ possessionis.

2 Interdicta adipiscendæ possessionis sunt per quæ possessionem earum rerum, quas antea nunquam habuimus nanciscimur, & horum tria sunt generã.

3 Primum est, quorum bonorum, quod datur ei qui de iure prætorio tantum bonorum possessor est, puta filio emancipato, aut alijs cognatis aduersus eum, qui pro hærede, vel pro possessore possidet, vel possidere dolo desijt, omnium rerũ corporalium possessionis adipiscendę causa §.sequens hoc tit.l.1.ff.& C.quorum bonorum.

4 Secundum est interdictum quorum legatorũ, quod ad refrenandam legatariorum immoderatam cupiditatem à Prætore introductum fuit, daturque hæredi, vel bonorum possessori aduersus legatarios, qui ante hæreditatis aditionẽ propria auctoritate, & non ex hæredis voluntate legatã occuparunt, ad restituenda sibi occupata legata, ita vt præstita cautione de restituẽdis legatis, hæres Falcidiam detrahere possit l.1.ff.quorum legatorum, & l.vnica.C.eod.

5 Tertium est interdictum Saluianum, quod ad recurrendum calliditati, & fraudi colonorum, & inquilinorum à Prętore Saluio introductum fuit, competitque locatori Prædij Vrbani, vel rustici aduersus inquilinum, vel colonum, eiusve hæredem causa possessionis adipiscendæ earum rerũ, quas sibi pro pensionib. fundi pignoratas habet, & ipsi clam, vel exportarunt finito locationis tẽpore, vel quoquo modo fraudulenter alienarunt §.itaque hoc tit.l.1. ff.de migrando l.1.ff.de Saluiano interdicto, & l.1.C.de Precario, & Saluiano interdicto.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sint interdicta retinendæ possessionis.*
2 *Interdictum vti possidetis.*
3 *Interdictum Vtrubi.*
4 *Differentia inter interdicta vti possidetis, & Vtrubi.*

§. Resti-

§. Restituendæ cum duobus seq.

Quæ sint interdicta retinendæ possessionis.

INterdicta retinendę possessionis sunt per quę prætorio iure defendimur, ne in earum rerũ
1 possessione, quam habemus turbemur, vel nulla molestia nobis inferatur, & horum duo tantum sunt genera, primum est vti possidetis, secũdum Vtrubi §.retinendæ hoc tit.l.2. §.fin. ff.de interd. primum vti possidetis interdictum à Prætore re-
2 tinendæ possessionis causa introductum fuit, quo cum de rei immobilis possessione controuersia est, eum qui litis contestatę tẽpore sine vitio possidet, retinere possessionẽ iubet, & aduersæ parti interdicit, ne possessorẽ turbet, vllamve molestiã ei faciat l.1.§.interdictum.ff.vti possidetis, secundum interdictũ Vtrubi similiter retinendę possessionis gratia à Prætore introductũ fuit, quo eum,
3 qui rem quamcunq; mobilem olim maiori anni parte sine vitio, hoc est nõ vi, non clam, non precario possederat, eũ obtinere, & possidere iubebat §.quorum hoc tit.& l.1.ff.vtrubi, hodie tamẽ cum exæquata sint hæc interdicta vti possidetis, & vtrubi, quoad possessionem etiam in interdicto vtrubi sufficit, qđ litis cõtestatę tẽpore possideat d.§.quorum hoc tit. differentia autẽ est inter ipsa,
4 quia interdictum vti possidetis pro rebus immobilibus, interdictum vtrubi pro mobilibus dari solet §. sed interdicto hoc tit.& l.1.§.1.ff.vtrubi.

S V M M A R I V M.

1 *Quando quis possidere dicatur.*
2 *Solo animo possessio retineri potest.*
3 *Acquiri possessio solo animo non potest.*

§. Possidere.

QVia dictum fuit supradicta duo interdicta vti possidetis, & vtrubi his tantum competere, qui possident, ideo consequenter pouit nũc Imperator, quomodo, & quis possidere dicatur, possidere autem videtur quis non solum si ipse possideat, sed etiã si alius eius nomine sit in possessione §.possidere hoc tit. nec refert vtrum,
1 qui in possessione est, sit in potestate eius cuius nomine in possessione est, an non, nam etiã per colonum, inquilinum, depositarium, & commodatarium possidere dicimur d.§.possidere, & l.licet.§.rei depositæ.ff.depositi, & l.rei commodatæ. ff.commodati, hoc amplius, quamuis neque ego fundum detineam, neque alius meo nomine, sed ex fundo discessi non tamen animo relinquendæ possessionis, sed postea reuersurus, pos-
2 sidere videor d.§.possidere, solo enim animo possidemus, & animo solo possessionem retinemus l.3.§.in amittenda, & l.si id quod possidemus.ff.
3 de acquir. possess. quamuis solo animo acquiri possessio non possit, nec etiam corpore, sed animo, & corpore simul l.3 & l.quemadmodum. ff.de acquirenda possessione.

S V M M A R I V M.

1 *Quæ sint interdicta recuperandæ possessionis.*
2 *Interdictum vnde vi, cui competat.*
3 *Qua pœna teneatur ille, qui per vim aliquem de possessione eijcit.*
4 *Vim faciens cum armis qua pœna teneatur.*

§. Recuperandæ.

Quæ sint interdicta recuperandæ possessionis.

INterdicta recuperandæ possessionis sunt, quibus earum rerum possessionem repetimus,
1 quæ aliquando pœnes nos fuit, sed per atrocem, & immanem violentiam nobis erepta est, huiusmodi interdicta sunt, vnde vi, & de vi armata, quæ simul sub eod.tit. in C. reponuntur, si quis
2 igitur ex possessione fundi vi deiectus est, habet interdictum vnde vi, per quod is, qui deiecit, cogitur ei restituere possessionẽ, quamuis possessio illa vitiosa fuerit §. recuperandæ hoc tit. hinc interpretes dicunt etiam prædonem, & furem in possessione relinquendum, nec ex ea sine causæ cognitione eijciendum esse, hoc amplius Sacræ Imperatorum constitutiones puniunt eũ, qui per vim aliquẽ sua possessione deiecit, nam deijciens
3 rem amittit, & dominio eius priuatur si dominus fuit, si vero nõ dominus rem restituere tenetur, & insuper eius æstimationem vim passo dare debet d.§.recuperandæ, & l.si quis in tantã C.vnde vi, denique deijciens tenetur l.Iulia de vi priuata, si sine armis vim fecerit eius pœna est relegatio, & tertiæ partis bonorum publicatio §.item l.Iulia inf.de publicis iudicijs, si verò cũ armis tene-
4 tur de vi publica, cuius pęna est deportatio, & publicatio omnium bonorum d.§. item lex Iulia, & l.quoniam multa. C.ad l.Iuliam de vi publica.

S V M M A R I V M.

1 *Quæ sit tertia interdictorum diuisio.*
2 *Prohibitoria interdicta quæ.*

§.Tertia diuisio.

Quæ sit tertia interdictorum diuisio.

TErtia diuisio interdictorum est, quod quædam sunt simplicia, & quædam duplicia §.
1 tertia diuisio hoc tit.& l.2. ff.de interdictis, simplicia sunt in quibus ex litigatoribus alter actor, alter reus est, & huiusmodi sũt omnia interdicta exhibitoria, & restitutoria, nam actor est, qui desiderat rem exhiberi, aut restitui, reus à quo desideratur, vt res exhibeatur, aut restituatur d.§.3. diuisio,

2 diuisio, prohibitoria autem interdicta nō omnia sunt simplicia, sed alia simplicia, alia duplicia, simplicia sūt interdictum, ne quid fiat in loco sacro, ne quid fiat in flumine publico, ne vis fiat mortuum inferenti d.§.tertia diuisio, & d.l.2.ff.de interdictis, duplicia autem interdicta sunt in quib. vterque litigator, actor, & reus est d.§.tertia diuisio, huiusmodi est interdictum vti possidetis, quod est de retinenda possessione rei immobilis, & vtrubi, quod est de retinenda possessione rei mobilis, his interdictis vterque litigator possessionem rei de qua agitur sibi asserit vterque possidere affirmat, & aduersarium possidere negat, quod etiam formula vtriusque interdicti ostendit, nec enim concipitur vti possides, aut vbi hic, sed vti possidetis, & vtrubi.

SVMMARIVM.

1 *Antiquae formulae interdictorum sublatae sunt.*
2 *Hodie interdicta qualiter proponantur.*

§. Fin.

Sicut olim in actionibus, ita etiam in interdictis certae formae, & solemnitates verborum erant praescriptę, quibus omissis quis causa cade-
1 bat, ideo hae subtilitates sicut in actionibus, ita in interdictis hodie sublatae sunt, vt hic in §.fin.hoc tit.nostro habetur, proponuntur tamen nihilominus interdicta hodie obseruata certa quadam
2 ratione agendi, sicut etiam actiones, vel actio in factum, quae sic larga, generalis, & subsidiaria est in locum eorum.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Triplex temere litigantium poena.*

In principium Tituli.

DE POENA TEMERE LITIGANTIVM. Titulus XVI.

1 Legum latores omnibus fere temporibus certas aliquas poenas ad coercendam in mouendis litibus hominum improbitatem constituerunt, ideo Imper. postquam de actionibus, &
2 interdictis, de exceptionibus itidem, alijsq. hactenus disseruit, nunc recte de poena eorum, qui temere iudicij aleam subeūt subijcit, triplex enim poena qua litigantium temeritas coercetur, ab Imperatore hic refertur.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum calumniae ab vtraque parte praestari debet.*
2 *Aduocati etiam iurare tenentur.*

§. Ecce.

Quae sit poena temere litigantium.

Iusiurandi religio prima litigantium poena est, quam tam actor, quam reus, antequam ad
1 agendum admittantur, praestare coguntur, quod iusiurandi genus, iuramentum calumniae appellatur, vtraq.n.pars iurat se non calumniandi animo litē contestari, quod Inst.in l.2.C.de iureiur. propter calumniam dando, & §.quae hoc tit.nostro sibi ascribit, & nō solum litigantes de calumnia, vt dictum est iurant, sed etiam vtriusq; partis
2 aduocati iurare coguntur, ex alia Iustin.constitut. de qua in l.rem non nouam. C.de iudicijs, cuius mentionē facit hic in §.vtriusque, sed & temere litigans, qui à Iustin.hic in §.haec autem improb. litigator dicitur damnum impensasq. litis aduersario inferre cogitur, veteri calumniae actione sublata, quae in partem decimam litis temere litigantes mulctabat d.§.haec autem hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Secunda temere litigantium poena.*
2 *Quae actiones per inficiationem crescant.*

§. Aduersus.

Quae sit secunda temere litigantium poena.

Secunda poena qua litigantium temeritas coercetur est poena pecuniaria, quod tunc acci-
1 dit, cum actio inficiatione crescit in duplum, vt fit in actione l.Aquiliae in deposito, ex incendio, naufragio, tumultu, & ruina facto, item in legatis venerabilib.locis relictis §.at aduersus hoc tit. vel in triplum, vt in actione ex l.condictitia cōtra executores litium ampliorem summam sportularū
2 nomine exigentes, de quib. sup.diximus in tit. de actionibus, nonnunquam etiam statim ab initio pluris, quam simpli est actio, veluti furti manifesti, quadrupli, nō manifesti dupli d.§.at aduersus, sed hoc exemplum propriè hoc in loco nō cadit cum non sit poena temere litigantis, nam siue neget, siue fateatur reus semper tanti est.

SVMMARIVM.

1 *Quae sit tertia improbè litigantium poena.*
2 *Damnati actione furti bonorum raptorum, iniuriarum, aut de dolo infames sunt.*
3 *Paciscens de crimine furti infamis est.*
4 *Quatuor sunt actiones ex contractu descendentes quae infamant.*
5 *Qui pactus est in actionibus famosis ex contractu descendentibus non notatur infamia.*

§. Ex quibusdam.

Quae sit tertia improbè litigantium poena.

Tertia

1 TErtia pœna est infamia, quæ locum habet
cum furti agitur vi bonorum raptorũ iniu-
riarum, aut de dolo, condemnati enim his actio-
nibus infames sunt §. ex quibusdam hoc tit. l. 1.
ff. de his, qui notantur infamia, si modo suo no-
mine damnati fuerint, nam alieno nomine dam-
2 nati infamia non laborant, ideo nec procurator,
nec tutor, nec curator, nec hæres ex furto simi-
livè specie damnatus infamiam incurrit, nec ego
infamis ero, si per procuratorem causa agitata
est l. furti. §. si quis. ff. de his, qui notantur infamia,
& non solum infamis est, si sic sit damnatus, sed
etiam si pactus fuerit, quoniam qui paciscitur cri
3 men confiteri censetur §. sed furti hoc tit. l. athle-
tas in fine cum l. sequenti. ff. de his, qui notantur
infamia, & hoc in actionibus ex delicto descen-
dentibus, in actionibus autem descendentibus ex
contractu quatuor sunt, quæ infamiam condem-
natis irrogant. s. actio tutelæ, mandati, depositi, &
pro socio d. §. ex quibusdã hoc tit. & in his dam-
4 nati directis actionibus ignominiosi sunt contra-
rijs non item d. §. ex quibusdam, nam in contra-
rijs non de perfidia agitur, sed de indemnitate
mandatarij, depositarij, & tutoris l. furti. §. fi. ff. de
his, qui notantur infamia, illud notandum est, qđ
in actionibus famosis ex contractu descendenti-
bus soli damnati infamia notantur, qui vero pa-
ctus est non notatur infamia, quoniam ex his cau
sis non tam turpis est pactio, quam in superiori-
bus ex delicto descendentibus l. in actionibus. ff.
de his, qui notãtur infamia, & plurimum interest
vtrum ex delicto aliquis, an ex contractu debitor
sit, vt Iustinianus hic in §. sed furti tradit.

S V M M A R I V M.

1 *Omnium actionum instituendarum principium à vocatione in ius incipit.*
2 *Parentes, & patroni absque venia vocari non possunt.*

§. Omnium, & fin.

1 DEclarat Imper. hic omnium actionum insti-
tuendarum principium à vocatione in ius
hoc est citatione proficisci §. omnium hoc tit.
& l. 1. ff. de in ius vocando, parentes autem, & pa-
2 troni eorum liberi non aliter vocari possunt, nisi
prius à Prætore venia petita fuerit, & hoc sub
pœna quinquaginta solidorum, vt Imper. tradit
in fi. tit. & nos alias diximus.

S V M M A R I V M.

1 *Continuatio.*
2 *Quid sit iudex.*
3 *Quid sit iudicis officium.*

DE OFFICIO IVDICIS. Tit. XVII.

CVm in quolibet iudicio tres personæ requi-
1 rantur actor, reus, & iudex, cap. forus ext.
de verborum significatione, & de actore, & reo
hactenus dictum sit, ideo nunc de iudice, & eius
officio est dicendum.

Quid sit iudex.

2 ESt persona, quæ iurisdictioni præest, ac popu-
lo ius dicere solet iuxta leges cõstitutiones,
& consuetudinem tex. est hic in princ. tit.

Quid sit officium iudicis.

3 ESt ius, quod ad dirimendas lites tollendaque
grauamina exercetur, vt per hoc omnium
tranquillitati prouideatur, estque duplex nobile,
& mercenarium, vt alias declarauimus.

S V M M A R I V M.

1 *Quod sit officium iudicis in actionibus realibus.*
2 *Iudex petenti tempus ad restituendum dare debet.*
3 *Restitutio fructuum qualiter facienda sit.*

§. Et si in rem.

Quod sit officium iudicis in actionibus realibus.

ACtor in rei vindicatione duo probare debet
dominium ex parte sua, & possessionem ex
parte aduersarij quo non probante iudicis offi-
1 cium est reum absoluere, etiam si reus nihil præ-
stiterit l. qui accusare C. de edendo, si vero actor
probauerit, iudex rem ipsam cum fructibus re-
stitui iubebit §. & si in rem hoc tit. potest tamen
reus, qui iussus est rem restituere tempus petere
intra quod rem restituat, & iudex petẽti tempus
ad restituendum dabit, si modo reus petat tem-
pus restituendi sine frustratione, & de litis æsti-
2 matione caueat cum fideiussore, si intra tempus
datum non restituerit d. §. & si in rem, similiter si
hæreditas petita sit cum fructibus restitui iubere
debet iudex §. & si hæreditas hoc tit. distinguen-
dum tamen est, quoad fructus inter bonæ, & ma-
3 læ fidei possessorem, malæ fidei enim possessor
etiam fructus consumptos, & non perceptos, qui
tamen percipi potuissent, restituere debet, bonæ
fidei possessor non item, nisi post inchoatam pe-
titionem, nam tunc, & ipse fructus consumptos,
& sua culpa non perceptos restituere cogitur
d. §. & si hæreditas, & ratio est, quia post litem
contestatam bonæ fidei possessor malæ fidei pos-
sessor esse incipit l. sed & si lege §. si ante. ff. de
petitione hæreditatis.

S V M M A R I V M.

1 *Quod sit officium iudicis in actione ad exhibendum.*

§. Ad exhibendum, & §. Præterea.

1 IVdicis officium est, vt non solum rem ipsam in
actione ad exhibendum, sed etiam rei causam
exhiberi

exhiberi iubeat, hoc est, vt eam causam habeat actor, quam habiturus esset, si cum primum ad exhibendum egisset, exhibita res fuisset, ideo si res post inceptum iudicium, ante tamen factam exhibitionem à possessore vsucapta fuerit, non obstante vsucapione iudex tempus cepti iudicij inspicere debet, quo nondum erat impleta vsucapio, & rescindere, quod postea secutũ est d.§. si ad exhibendum hoc amplius in hac actione iudex etiam fructuũ rationem habere debet §.preterea hoc tit.& si reus neget se in pręsenti rẽ exhibere posse, & tempus petat sine frustratione dari ei debet, dũmodo caueat illo ipso tempore, ꝙ ad exhibẽdũ ipsi datũ est rem exhibiturũ d.§.ptęrea l.1. & l.de eo §.si iusta causa ff. ad exhibendum.

SVMMARIVM.

1 *Quod sit officium iudicis in diuisorijs iudicijs.*

§. Si familiæ erciscundæ cum tribus seq.

1 IN actione familiæ erciscundæ hoc iudicis officium erit, vt singulas res singulis hæredib. adiudicet, & si res sint inæqualis valoris, & iudex vni rem magni pretij adiudicauerit, alteri rẽ minoris pretij debet eum, qui rem magni pretij acceperit, alteri in certam pecuniam condemnare, vt vterq. æquam partem habeat. si familiæ hoc tit. eadem obseruare, & in actione communi diuidũdo ad iudicis officium spectat §.eadem hoc tit.scilicet, vt res communes si plures sint æqualiter diuidat, verum si de vna re communi diuidundo actum fuerit, veluti fundo, & fundus diuisionẽ recipiat partes eius singulis adiudicare debet, & si vnius pars prægrauare videatur certa pecunia alteri condemnabitur, quod si res talis sit, quæ commode diuisionem non recipiat tota vni adiudicari debet, & is inuicem certa pecunia alteri condemnari d.§.eadem, in actione autem finium regundorum iudicis officium est dispicere, an necessaria sit adiudicatio, nam si necessaria non sit, vt quia iudex commode possit renouare, & reponere veteres terminos non debet de finibus partem vnius agri alteri adiudicare, sed terminos antiquos sequi l. vlt.ff.finium regundorum, at vbi extat obscuritas permittitur iudici adiudicatio, vt scilicet partem ex alterius agro alteri adiudicet, & eum ex diuerso alteri in certa pecunia cõdemnet §.si finium hoc tit.l.1.3.&4.ff. finium regundorum, terminos autem per mensorem declarari iudex iubet ad cuius officiũ spectat mensores mittere, & per eos quæstionem finium dirimere l.iruptione.ff. finium regundorum, itaq; si iubente iudice metiri agros aliquis passus non fuerit; contumaciæ quoque nomine hoc iudicio condemnatur, in quantum aduersarius in litem iurauerit §.fin. & ibi glo. hoc tit. similiter, & qui circa fines aliquid malitiosè commisit, hoc iudicio dãnari debet in id, ꝙd alterius interest d.§.si. quãquam etiam extra ordinem criminaliter hoc crimen coerceatur l.2.& 3. ff.de termino moto.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio.*
2 *Publicum iudicium quid sit.*
3 *Quotuplex sit publicum iudicium.*

DE PVBLICIS IVDICIIS.
Titulo XVIII.

OMnia iudicia cum aut dirimendarũ cõtrouersiarum, aut puniendorum maleficiorũ causa comparata sint ob priuatam, vel publicam
1 vtilitatem introducta, & hactenus sufficienter de priuatis iudicijs, quæ partim ex contractibus, vel quasi, partim vero ex delictis, vel quasi oriuntur dictum sit, superest, vt de publicis criminib. hoc est, quę publicam animaduersionem habent pro huius operis complemento quasi summo digito, & indice attingantur.

Quid sit publicum iudicium.

EST delatio facta apud legitimum magistratũ ob crimen aliquod enorme, quod communem Reipubl. tranquillitatem conturbat, vt sce-
2 leratus de crimine cõuictus vltimo supplicio afficiatur, vel alia pęna extraordinaria cum infamia coniuncta coerceatur, sic publicum dictum, vel quod eius executio cuiuis ex populo plerumque competat, vel quod in foro in maxima populi frequentia hæc iudicia de criminibus exerceantur §.publica il primo hoc tit. publica autem iudicia nihil simile habẽt cum iudicijs priuatis, magnaq. diuersitas est eorum in instituẽdis, & exercendis, vt Iustinianus hic in princ.tit. nostri tradit, accusator enim in crimen se subscribit, quæ subscriptio eum in pœnam talionis obligat, ob id inuẽta ne quis facile ad accusationem prosiliat, vt Vlpianus loquitur in l.si cui crimen ff.de accusationibus, & inscriptionibus.

Quotuplex sit publicum iudicium.

IVdicium publicum duplex est capitale, & nõ capitale §. publica il primo, capitale est in quo certa pœna mortis, vel naturalis, vel ciuilis
3 infligitur quo pertinet crimen læsę maiestatis, adulterium, homicidium, parricidium, veneficiũ, crimen falsi, vis publica, raptus virginum, peculatus plagium, & si quæ similia, vel grauiora inueniuntur, non capitale est, quod extraordinarium etiam dicitur, in quo delinquenti iudicis arbitrio pœna pecuniaria cum infamiæ nota irrogatur, quo pertinet lex Iulia de ambitu, lex Iulia repetundarum, lex Iulia de annona, & lex Iulia de residuis, quorum omnium mentio habetur hic per Imperatorem à §. capitalia vsq; in finem tit.

latior

latior tamen, cognitio ex quadragesimo octauo pandectarum, & 9. lib. Codicis est petenda.

SVMMARIVM.

1 *Laesa Maiestatis crimen.*
2 *Poena criminis Laesae Maiestatis.*

§. Publica il secundo.

Exempla nunc subijcit Imperator publicorũ iudiciorum, & ante omnia crimẽ lęsę maiestatis ponit, quod est quando quis offendit Imperatorem, vel regem non recognoscentem superiorem vel Remp. Populi Romani, vel aliam non recognoscẽtem superiorem §. publica hoc tit. l. 1. & toto tit. ff. & C. ad l. Iuliam maiestatis, pœnaque eius est mors naturalis, & omnium bonorum publicatio d. §. publica hoc titul. & l. quis quis C. ad l. Iuliam maiestatis, adeo quod filij efficiuntur infames, & successionis paternæ indigni censentur d. l. quisquis C. ad l. Iuliam maiestatis.

SVMMARIVM.

1 *Adulterium quid.*
2 *Pœna adulterij.*
3 *Mulier mitius punitur propter adulterium, quã vir.*
4 *Stuprans virginem ad quid teneatur.*

§. Item lex Iulia.

Secundum in pœnis, & iudicijs publicis locũ obtinet adulteriũ, quod nihil aliud est, quam alieni thori violatio cap. lex illa 36. quęst. 1. eiusq. pœna est pœna mortis §. item lex Iulia hoc tit. & l. quamuis C. ad legem Iuliam de adulterijs Deuteronomio cap. 22. & leuitico 20. hæc tamen pœna de iure authenticarum in muliere propter sexus fragilitatem commutata est, Virgis enim cæditur, deinde in monasterium detruditur, & si intra biennium maritus illam ad se non reuocet cogitur habitum monachalem suscipere, & ibi perpetuo manere Auth. sed hodie C. ad legem Iuliã de adulterijs, in viro autem adhuc firma manet pęna superius dicta, vt dixit Imola in cap. tuę de procuratoribus, quem DD. omnes communiter sequuntur, eadem pœna mortis, & hi puniuntur qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent d. §. item lex Iulia hoc titul. similiter lege Iulia de adulterijs, stupratores quoque tenentur qui scilicet virginem, aut viduam corrumpunt pęna tamen diuersa est, nam si honestę sint personę dimidia parte bonorũ mulctantur, si humiles corpore puniuntur, & relegantur d. §. Item lex Iulia in fine hoc tit.

SVMMARIVM.

1 *Homicidium l. Cornelia de sicarijs punitur,*
2 *Venefici quoque l. Cornelia tenentur.*

§. Item lex Cornelia.

Sequitur aliud exemplum publici iudicij homicidium scilicet, quod lege Cornelia de sicarijs punitur pœna mortis si dolose cõmissum sit §. item lex Cornelia hoc tit. & l. 3. §. legis Corneliæ ff. ad legẽ Corneliã de sicarijs, & non solũ tenetur, qui hominem occidit, sed etiã qui hominis occidendi causa cum telo ambulauit d. §. item lex Cornelia hoc tit. & l. 1. ff. ad legem Corneliam de sicarijs eadem lege, & venefici qui artib. odiosis tam venenis, quam susurris magicis occidunt, vel mala medicamenta publice vendunt capite puniuntur d. §. item lex Cornelia hoc tit. & l. 3. ff. ad legem Cornelliam de sicarijs.

SVMMARIVM.

1 *Lex Pompeia de Parricidijs, quos puniat.*
2 *Pœna legis Pompeiæ de Parricidijs qua sit.*

§. Alia deinde lex.

Alia lex, quæ Pompeia de Parricidijs dicitur, teterrimum crimen parricidij noua pœna persequitur, quod crimen est cum quis patrem, vel filium proprium interficit, & hoc etiam si pater, vel filius naturalis tantum sit cum substantia filiationis, & non qualitas cõsideretur textus est hic in §. alia deinde lex hoc tit. & in l. vnica C. de his, qui parẽtes, vel filios occiderunt, notat Alex. in l. 2. num. 10. ff. de iusuocando, & non solum si occidit hac pœna tenetur, sed etiam si præparauerit puta venenum licet dare nõ potuerit nec non, & is cuius id dolo malo factũ fuerit, vel qui conscius criminis erit licet extraneus sit pęna parricidij punitur d. §. alia deinde lex hoc tit. l. 1. & 2. ff. ad legem Pompeiam de parricidijs, pœna autem est vt parricida viuus insuatur corio, vna cũ gallo gallinaceo, cane, vipera, & proijciatur in mare, vel in flumen d. §. alia deinde lex, & d. l. vnica.

SVMMARIVM.

1 *Lex Cornelia de falsis quem puniat.*
2 *Pœna l. Corneliæ de falsis.*

§. Item lex Cornelia.

De crimine falsi quod etiam inter publica iudicia refertur, hic Imp. subijcit, lex enim Cornelia de falsis, quæ etiam testamẽtaria dicitur, pœnam irrogat ei qui falsum testamentum, vel aliud instrumentum scripserit, signauerit, recitauerit, subiecerit, vel signum adulterinum fecerit §. item lex Cornelia hoc tit. l. 1. §. fi. ff. ad legẽ Corneliam de falsis, item eadem lege tenentur, qui nummos adulterant, circumcidunt, & radunt l. 8. & 9. ff. ad legem Corneliam de falsis, pœna est

2 est in homine libero deportatio in seruo vltimũ supplicium d.§. item lex Cornelia hoc tit. & d.l. 1. ff. ad legem Corneliam de falsis.

SVMMARIVM.

1 *Vis duplex publica, & priuata.*
2 *Rapiens virginem qua pœna puniatur.*

§. Item lex Iulia.

De vi, quæ inter publica crimina enumeratur, Imper. hoc in loco mentionem facit, ea autem duplex est publica, & priuata, publica
1 vis olim dicebatur, quam publica persona cõtra ius, & fas inferebat, priuata quam priuati homines committebant, sed postea publica vis dici cœpit, quæ fit cum armis, priuata, quæ fit sine armis §. recuperandæ supra de interdictis, & l. armatos.
2 ff. de vi publica, qui autem per vim virginem rapuerit capite punitur, & eadem pœna simul etiã cooperatores, & cõsultores puniuntur d.§. item lex Iulia hoc tit. & l. vnica. C. de raptu virginum, monialem autem non solum, qui rapuit, sed etiã, qui eius pudicitiam attentauir capite punitur l. si quis nõ dicam rapere C. de episcopis, & clericis.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit crimen peculatus, sacrilegij, & residuorũ.*
2 *Pœna horum criminum quænam sit.*

§. Item lex Iulia peculatus.

Hic de crimine peculatus, sacrilegij, & residuorum agitur, peculatus est furtum pecuniæ publicæ, vel fiscalis §. item lex Iulia hoc tit.
1 sacrilegium est furtum pecuniæ, aut rei sacræ, vel religiosæ, crimen residuorum est retentio pecuniæ publicæ, quæ apud aliquem ex administratione recidit in publicum non relata l. 2. ff. ad legem Iuliam peculatus, hæc tria crimina vicina sunt, & ideo sacrilegos, qui rem sacram, vel religiosam furantur l. Iulia peculatus teneri Imper. hic do-
2 cet, sic & qui crimen residuorum committit l. Iulia peculatus tenetur l. sacrilegi. §. eum quoque ff. ad legem Iuliam peculatus, pœna autem est vltimum supplicium d.§. item lex Iulia, & l. vnica. C. de crimine peculatus, si quis tamen non administrator publicam pecuniam subtraxerit deportatur d.§. item lex Iulia.

SVMMARIVM.

1 *Pœna legis Flauiæ.*
2 *Lex Flauia de Plagiarijs.*

§. Est, & inter publica.

Inter publica iudicia enumeratur etiam lex Flauia de plagiarijs, plagium autem proprie
1 est suppressio hominis liberi, vel serui alieni, cum quis. s. alienis liberis, vel seruis persuadet, vt nescientibus parentibus, aut dominis aufugiant, & inde eos, tanquam suos vendunt l. penult. ff. ad l.
2 Flauiam de Plagiarijs, pœna primum fuit nummaria deinde metalli l. vlt. ff. ad l. Flauiam de Plagiarijs, hinc est quod Imper. hic dixit interdum capitis pœnam, interdum leuiorem fuisse.

SVMMARIVM.

1 *Lex Iulia de ambitu quos puniat.*
2 *Lex Iulia Repetundarum.*
3 *Lege Iulia de annona qui teneantur.*
4 *Lex Iulia de Residuis.*

§. Sunt præterea.

Sunt præterea quædam publica iudicia, quæ hic enumerãtur. s. lex Iulia de ambitu, lex Iulia repetundarum, lex Iulia de annona, & lex Iulia de residuis §. sunt præterea hoc tit.

Lex Iulia de ambitu punit eos, qui pecunia, & largitionibus, honores, & magistratus ambiunt,
1 huius pœna deportatio erat, postea pœna centũ aureorum, cum nominis infamia constituta fuit l. 1. ff. ad l. Iuliam de ambitu, & l. vnica. C. eod.
2 Lege Iulia repetundarum tenetur, qui in administratione pecuniam accipit l. 1. & toto tit. ff. ad l. Iuliam repetundarum, pœna est quandoq. in quadruplum l. 1. & vlt. C. eod. interdum in triplum, aut duplum Auth. nouo iure C. de pœnis iudicũ, quandoq. exilij, & durior pœna etiã prout admissi criminis qualitas requirit l. lex Iulia. ff. ad l. Iuliam repetundarum, & l. sciant. C. eod.
3 Lex Iulia de annona punit eos, qui annonam vexant, quo carior fiat, pœna est pecuniaria cum infamiæ nota, quandoque etiam extra ordinem imponitur pro qualitate delicti l. annona. ff. de varijs, & extraordinarijs delictis.

Lex Iulia de residuis punit eos, qui publicam pecuniam delegatam in vsum aliquem retinẽt, neque in eum consumũt l. 2. 4. & 9. ff. ad l. Iuliam
4 peculatus, pœna est amplius tertia pars, q. ex residuis debet l. 1. §. sed & qui. ff. ad l. Iul. peculatus.

Et hæc quidem Deo optimo maximo propitio nobis cum Iustiniano nostro vidisse summo digito, & leuiter sufficiat, ne quod Pandectis, & Codici debetur (vnde harum rerum vberior cognitio petenda est) in institutiones absurdissima docendi ratione transfudisse videamur.

FINIS INSTITVTIONVM.

DE NVPTIIS TITVLVS DECIMVS

Libri Primi Institutionum.

SVMMARIVM.

1 *Continuatio, & concordantes Tituli.*
2 *Nuptiarum vsus multiplex est.*

1 ACCEDAMVS ad Titulum de Nuptijs, qui continuatur hoc pacto, dictum fuit in Tit. præcedenti, quòd in potestate parentum sunt nati ex iustis nuptijs, legitimati, & adoptati, ideo vt nemo hæsitare possit, quæ nam sint iustæ nuptiæ, ponitur Titulus iste, in quo declaratur, quæ sint iustæ nuptiæ, & concordat in ff. Titulus de Ritu Nupt. in C. & Authen. Tit. de Nupt. & in Iure Canonico Tit. de Sponsal. & Matrim. *Continuatio.* *Concordantes Tituli.*

2 Verum quia inter præcipuas materias Libri primi Institutionum merito numeratur Tit. de Nupt. cuius multiplex est vsus non solum in iure nostro, sed etiam in Theologia, Philosophia morali, & in alijs vitæ humanæ negotijs, & quoniam etiam materias istas nuptiales alias anno 1590. publice in almo Pisarum Gymnasio Sacrorum Canonum interpres explicaui, eodē tempore, quo Pater meus in eodem Gymnasio honorificentissimo stipendio ius Ciuile in prima sede de mane profitebatur, & Petrus Frater apud Salernitanos primario loco ius ciuile pariter docebat, quarum principalissimæ, & difficillimæ quæstiones à me circularibus disputationibus discussæ fuerunt cum multum Reuerendo, ac Excellentiss. Collega meo Vincentio Mazzolio Canonico Cathedralis Ecclesiæ Pisanæ dignissimo Viro admirabili venustate dicendi ornato, acri, & subtili disputandi ingenio prædito, ideo, vt Titulus iste celeberrimus rectius intelligi queat, causas has matrimoniales aliquanto latius declarabo, non sic seruato ordine textus, sed primo de Sponsalibus, quæ nuptias, & matrimonium præcedere solent, deinde de Nuptijs, & Matrimonio, legitimatione, alijsque ad hanc materiam pertinentibus iusto ordine, facilitate, & breuitate differam.

DE SPONSALIBVS

PARS PRIMA.

SVMMARIVM.

1 *Equiuoca distingui debent.*
2 *Sponsalia varijs modis accipiuntur.*

Quot modis Sponsalia accipiantur.

1 QVoniam æquiuoca, seu quomodocunque ambigua distingui, & separari debent, vt distincta, & separata certa cuiusque rei ratio haberi possit, ideo antequam ad sponsaliorum definitionem deueniamus, vidēdum est in primis de varia sponsaliorum significatione, vt scire possimus, quomodo hic accipiantur, Sponsalia igitur accipiuntur quandoq. pro arrhis, quæ à sponso sponsæ dantur l. 1. C. Si nuptiæ ex rescript. pet. quandoque *Equiuoca distinguenda.*

2 pro donatione propter nuptias l. 2. C. de secun. nupt. & quandoque etiam pro continuo sponsaliorum Cicer. lib. 1. epist. ad Quintum Fratrem loquens de sponsalibus, inquit, huic conuiuio Quintus defuit, propriè tamen accipiuntur pro solemni sponsione futurarum nuptiarum. *Sponsalia variè accipiuntur.*

SVMMARIVM.

1 *Definitio sponsaliorum.*

 2 *Aliud*

2 *Aliud est eligendi matrimonij pœnæ metu libertatem auferri, aliud ad matrimonium certa lege inuitari.*
3 *Diuersa est pœnæ, & arrharum Ratio.*
4 *Legitima vxor vera vxor dicitur.*
5 *Fauore matrimonij verbum præsens vertitur in futurum, & è contra.*
6 *Quando verba futuri temporis matrimonium efficiant.*
7 *Quomodo verba de præsenti resoluantur in futurum.*
8 *Actus inualidus eo modo quo fit, qualiter valeat eo modo quo fieri potest.*

Quid sint sponsalia.

Quid. sint sponsalia.

1 SPonsalia definiuntur in cap. nostrates 30. quęst. 5. & in l. 1. ff. de sponsal. mentio, & pro-
missio futurarum nuptiarum, quę promissio mutua, & reciproca esse debet, non enim
sponsalia sunt, si vir accepta manu mulieris dicat, do tibi fidem de te in vxorem accipien-
da, nisi etiam illa tacite, aut expresse idem promittat, item, & sine pœna hæc promissio fi-
eri debet, & hoc siue facta sit ab ipsis sponsis, siue à parentibus eorum, nam etiam paren-
tes pro liberis contrahere possunt l. si pater. C. de sponsal. quanquam sponsalia hoc casu nō
aliter sortiantur effectum, nisi quando liberi post pubertatem tacite, vel expresse consen-
tiunt, vt infra suo loco dicemus, nec obstat, quòd ritè legatis conditio adijciatur, si mæuiā
ducat. l. Titio cētum ff. de condit. & demonstrat. nam aliud est eligendi matrimonij pœnæ
metu libertatem auferri, aliud ad matrimonium certa lege inuitari, vt enim honestum est
2 præmijs tanquam incitamentis ingenuos homines ad nuptias prouocari, ita inhonestum
videtur libertatem contrahendi matrimonij metu pœnarum ad necessitatem transferre
l. neque C. de Nupt. minus obstat, quòd sponsus arrharum amissione mulctetur l. Deo no-
3 bis C. de episcop. & cleri. quia diuersa est pœnę, & arrharum ratio. Primò, quia arrhæ so-
lent esse parui momenti, sed pœnæ nonnunquam magnæ quantitatis imponerentur, pro-
inde non sicut pœnæ, ita arrhæ libertati matrimonij officere possunt, aliam rationem ad-
ducit Butr. in Tit. de sponsal. scilicet, quia in sponsalibus pœnis legalibus debemus esse cō-
tenti, & si in contractu alia deducatur, quam legalis non valet. l. stipulatio si ita facta ff. de
verb. obliga. at arrha non ducit ortum ex conuentione partium, sed ex dispositione legali
l. si. C. de spōsa. ideo nil mirum est, si valet, cōfirmatur, nam sicut iuramentum quò ad vin-
culum nil aliud addit, nisi quod magis ligat, & contrafacienti imminet periculum, ita quo-
que in arrhis nil magis ligat quoad vinculum principale, nisi quod contrauenienti immi-
net periculum amissionis, vel restitutionis earum, quod in pœna aliter accidit, sed contra
definitionem, dum dicitur, futurarum nuptiarum promissio, oppono de tex. in cap. si quis
ita 30. q. 5. vbi adsunt verba de futuro, & sic est promissio futurarum nuptiarum, & tamē
non sunt sponsalia, sed matrimonium, inquit tex. si quis diuinis tactis scripturis iurauerit
mulieri se eam legitimam vxorem habiturum, sit illa legitima vxor, nec vim facit quòd ibi
adsit iuramentum, nam habemus, quòd sponsalia iurata sunt sponsalia, & non matrimoniū
cap. 2. de sponsal. nec dicatur, quòd propter iuramentum compellitur, quia etiam hoc est
falsum secundum tex. in cap. requisiuit de sponsal vbi, qui iurauit cum aliqua contrahere,
moneri potius debet quam compelli, nec minus dicatur, quòd ea verba, sit legitima vxor,
non significent matrimonium, prout alias Pisis in circularibus disputationibus ad euitan-
dam huiusmodi difficultatem mihi responsum fuit, quia legitima vxor dicitur iusta, vera,
4 ac secundū leges habita. l. 4. ff. de Rit. nupt. Secundò oppono de tex. in cap. fin. de Despon-
sat. Impub. & in cap. vnico de Desponsat. Impub. lib. 6. vbi è conuerso adsunt verba de prę-
senti, & tamen sunt sponsalia, & sic falsum est dicere, quòd sponsalia sint futurarum nu-
ptiarum promissio.

Ad primum respondet Glos. in d. c. si quis, quòd illa verba futuri temporis habent res-
pectum ad tēpus pręsens, vnde sicut verbum pręsens fauore matrimonij, & iuris interpre-
5 tatione vertitur in futurum, ita & eodē modo verbū futurū vertitur in præsens, secus si di-
xisset, iuro, quòd ducam te, nam tunc essent sponsalia, hæc responsio nō videtur tuta, quia
licet quandoque verba futuri temporis resoluantur in præsens, tamen hoc non procedit
ita simpliciter, sed solum quādo adsunt alia verba præsens tempus significantia, prout in
cap. ex parte de sponsalibus habemus, vbi mulier non solum iurauit se illum pro marito
habiturā, sed etiā fidem ei tanquam viro proprio seruaturā, & è conuerso vir iuramentum
pręstitit, quod eam ab eo tempore pro coniuge teneret, & ei sicut vxori suæ fidē seruaret, ecce
verba, quæ præsens tempus denotāt, vlterius, quòd verba futuri tēporis prout in d. cap. si
quis non possint resolui in præsens, patet ex simillib. verbis relatis in cap. de illis de spōs.
vbi sponsalia dicuntur etiam quando quis iuramento promittit se aliquam mulierem du-
cturum.

futurum. Respondeo, quòd verba futuri temporis quandoque denotant principium actus,
& tunc in dubio cōtrahuntur sponsalia tantùm, veluti si dicatur promitto, quòd ducam te,
6 vel aliud simile, quandoque denotant executionem actus, veluti habebo te pro vxore, &
& tunc censetur matrimonium, & tacitè videntur de præsenti contrahere, nam nō possum
eam pro vxore habere, nisi præcedat matrimonium Abb. in cap. ex parte de sponsal.

Ad secundum argumentum respondeo, quòd illa verba de præsenti conuertuntur in fu-
7 turum iuris interpretatione propter defectum ætatis, sed huic responsioni obstat. Primò,
quia iuris interpretatio inferri nō potest ad factum, vnde cum sint verba de præsenti, nō
potest fieri ista interpretatio, vt sint de futuro. Secundò, quia cum minores per verba cō-
iugio apta, & ad matrimonium requisita contrahunt, si actus non valet, vt matrimonium,
nec etiam valere potest, vt sponsalia probatur per tex. in l. 1. §. si quis ita. ff. de verb. oblig.
vbi Bart. dicit per illum tex. actum eo modo quo agitur inualidum, minime valere eo mo-
do quo fieri rectè poterat, si tractetur de obligatione contrahenda, quæ à duorum volun-
tate pendeat, & de hoc est communis opinio, cum ergo actus hic pendeat à voluntate
duorum, & tractetur de obligatione contrahenda, si actus non valet, vt fit, scilicet, vt ma-
trimonium, nequaquam etiam valere potest, vt sponsalia.

Ad primam instantiam responde vna cum Couaru. lib. 4. Decret. Tit. de Sponsal. par. 1.
cap. 3. nu. 3. Illud procedere, & speciali fauore matrimonij inductum esse. Secundo etiam
vltra eum respondeas, quòd interpretatio non mutat factum, sed operatur circa factum.
Ad secundam instantiam similiter responde, procedere speciali fauore matrimonij. Se-
cundò dic, quòd quotiescumque actus inualidus eo modo quo fit comprehenditur sub eo
8 quo fieri poterat, tunc si non valet eo modo quo fit valet saltem eo modo quo fieri po-
terat l. tam angusti, vbi Alber. & Flori. notant. ff. de seruit. l. 1. §. si quis ita, & ibi Doct. com-
muniter. ff. de verb. oblig. Cum igitur sponsaliorum conuentio sub contractu matrimonij
contineatur, nil mirum est, si actus, qui nō valet, vt matrimonium valeat tanquā sponsalia.

SVMMARIVM.

1 *Vnde dicta sint sponsalia.*
2 *Sponsalia post matrimonium adinuenta sunt.*

Vnde dicta sint sponsalia.

SPonsalia à spondendo dicta sunt, veteres enim futuras sibi coniuges stipulabantur, & *Sponsalia vnde dicta.*
1 spondebant, vnde sponsi, & sponsæ nomen factū est l. 2. & 3. ff. de sponsa. Ex quo con-
2 stat, longe post matrimonij vsum spōsalia fuisse comparata, cum stipulatio, & reliqua so-
lemnia sponsaliorum iure ciuili censeantur l. 1. ff. locati, & l. ex diuerso. ff. solut. matrim. nec
me latet apud Xenophontem lib. 4. Rerum Græcarum Agesilaum, & Otyn iunctis dextris
hic, vt duceret ille, vt daret puellam spopōdisse, nam per hoc iuris naturalis, vel gentium
dici non possunt, quod ea Græci aliquando vsurpauerint, maximè cùm nec verbis conce-
ptis, vt legibus Romanorum præscriptum est inter Otyn, & Agesilaum interposita fuerit
stipulatio, quæ futuras nuptias promisisse videretur, & quia spondere proprie dicitur, qui
pro alio promittit non iussus, vel rogatus, sed spontè, vt rectè Accurs. existimauit in Auth.
de fideiuss. ideo meritò sponsores, & non promissores dicuntur hi, qui puellas promittūt,
vt verecundiæ, & pudori puellarum hæc modestia condonetur Alciat. lib. 1. Parerg. cap. 2.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sint sponsalia de futuro, & quæ de præsenti.*
2 *Statutum quod præmoriente vxore sine liberis vir lucretur dimidiam dotis, an locum habeat in vxore nondum cognita.*

Quot sint species sponsaliorum.

DVÆ sponsaliorum species à Canonistis nostris recensentur, nam alia dicuntur spon- *Species spōsaliorum duæ sunt.*
salia de futuro, & alia de præsenti cap. pen. de spōnsal. sponsalia de futuro sunt pro-
missio futurarum nuptiarum, quæ fiunt per verba futuri temporis, nec continent in se pu-
rum, & absolutum consensum, sed cum tractu temporis, vt ego te ducam in vxorem, de *De futuro.*
1 præsenti sunt ea, quæ per verba exprimentia consensum de præsenti contrahuntur, & cō- *Et de præsenti.*
tinent purum, absolutum, & præsentem consensum, veluti accipio te in coniugem meam,
& hæc sponsalia sunt verum matrimonium, etiam non interueniente concubitu, quia
nuptias non concubitus, sed consensus facit cap. cum locum de sponsal. l. nuptias. ff. de

 regulis

regulis iuris, & licet impropriè dicantur sponsalia respectu vinculi matrimonialis, quia iam sunt matrimonium, tamen dici possunt sponsalia respectu executionis matrimonij, & futuræ copulæ, quæ in eis spondetur Abb. in cap. pœnult. de sponsal. & hoc modo spõsus, & vir, sponsa, & vxor idem sunt, vt in l. non sine. C. de bonis, quæ liberis, licet secundum communem vsum loquendi appellatione vxoris non proprijssime, sed largius veniat spõsa, vnde stante statuto, quòd præmoriente vxore sine liberis vir lucretur dimidiam partem dotis, prout extat hic Pannuij, vel tertiam, aut totam, vt alijs in locis, magnum est dubium, an huiusmodi lucrum locum habeat, si mortua fuerit coniux adhuc non cognita. de quo
3 Alciat. in Rubr. ff. solut. matrim. num. 40 Socin. iun. num. 43. Rip. num. 68. Tiraquel. de Legibus connubial. Glo. 2. Phanucius de Lucro Dotis num. 56. & Roland. à Vale de Lucro dotis quæst. 1. 16. per totam, vbi ex communi sententia distinguit, Maritum lucrari, si incœpit sustinere onera matrimonij, alias non.

SVMMARIVM.

1 *Omnes maiores septem annis sponsalia contrahere possunt.*
2 *Per Nuncium etiam, & Epistolam contrahuntur sponsalia.*
3 *Mutus, & surdus rectè sponsalia contrahunt.*
4 *Parentes pro filijs, Patruus pro nepte, Tutor pro pupillis, & alij contrahere possunt.*
5 *Mulier intra annum luctus sponsalia contrahens non priuatur lucro nuptiali.*
6 *Quando prohibitis nuptijs intelligatur etiam prohibita sponsalia.*

Qui sponsalia contrahere possint.

Omnes maiores septẽnio sponsalia rectè contrahũt

1 Sponsalia contrahere possunt omnes tam puberes, quàm impuberes post septimum annum completum cap. de illis, cap. literas, & cap. accessit de desponsat. impub. ætas enim septem annorum ex eo ad sponsalia sufficiens videtur, quòd voluntas, quæ in naturali consensu quiescit, cadit in impuberem, qui ætatem septem annorum compleuerit l. si infanti §. vlt. & l. potuit. C. de iur. deliber. quod si ante fuerint contracta, accedente post septimum annum legitimo consensu conualescunt cap. duo pueri, & ibi Abb. de desponsat. impub. Fallit quando malitia supplet ætatem, quæ si probetur, sponsalia etiam ante septennium contracta valent cap. iuuenis, & ibi Glo. secundum Præpos. in hoc communiter approbata de sponsa. sequitur D. Thom. lib. 4. senten. distin. 27. quæst. 2. Artic. 2. & Conar. de sponsal. cap. 2. nu. 1. sufficit enim scire, & intelligere contrahentes quid agant l. in sponsalibus. ff. de sponsalibus.

Absentes contrahere possunt.

2 Secundò etiam absentes per nuncium, vel epistolam sponsalia contrahere possunt l. sufficit. ff. de sponsal. si tamen nuncium, vel procuratorem reuocauerit, & reuocatio ad eum peruenerit, antequam puella consenserit, nihil agitur argum. tex. in cap. in nostra extra de Procurat. immo idem est secundum Hostien. & Syluestr. in verbo sponsalia num. 2. etiam si reuocatio mandati peruenerit postquam puella consenserit, sed tamen antequam consensisset fuerat reuocatus, non obstat, quòd alteri stipulari nemo possit §. alteri infra de innutil. stipulat. nam & sine stipulatione sponsalia inuri possunt, & quamuis interuentu stipulationis fiant, tamen hoc est singulare, vt solemnis futurarum nuptiarũ sponsio etiam inter absentes concepta valeat.

Muti, & Surdi.

3 Tertiò contrahere sponsalia possunt Muti, & Surdi, & hoc quamuis ab ipso ortu hæc vitia traxerint, modo intellectu non deficiant, & signis voluntatem suam exprimere possint cap. cum apud, & cap. tuæ de sponsal. alias iniquum esset eos à nuptijs, & sponsalibus arceri, quos vis rationis, & propensio quædam naturæ ad legitimam coniunctionem impellit, præsertim cum pacisci, donare, pecuniam mutuo accipere rebusq. suis præesse possint l. item quia. ff. de pact. l. id quod. §. mutus. ff. de donationibus, & l. Surdi cum ibi notat. ff. de manumiss. vindict.

Parentes pro filijs.

Quartò non solum ij, qui matrimonio iunguntur sponsalia contrahunt, sed etiam pater pro filio, mater pro filia, patruus pro nepte, tutores, & curatores pro pupillis, ac alij contrahere possunt quamquam, hoc casu sponsalia non aliter sortiantur effectum, nisi
4 quando liberi in legitima ætate constituti, tacitè, vel expresè consentiunt cap. vnico de desponsat. impuber. lib. 6. nec obstat tex. in cap. 1. de desponsat. impub. dum dicit, quòd postquam filius peruenerit ad perfectam ætatem, omnino adimplere debet, nam ibi verbum debet, nullam contrahendi necessitatem imponit, sed idem significat, quod potest, sicut in simili Doctor. dicunt in l. 1. ff. de iurisdict. omnium indic. sed an tacitè consentire videantur, si præsentes sint, & taceant Innocent. Hostiens. & Abb. in cap. ex parte de restitut. spol. Marsil. sing. suo 147. & Nicolaus Mozzius in suo Tract. de Contra. in par. de sponsal. colum. 4. num. 6. & 7. tenent, quòd sic si sponsalia contrahantur

per

per patrem, vel matrem, hoc enim caſu taciturnitatem operari cõſenſum dicunt, ſed ſi per patruum, tutorem, vel alios nolunt ſolam præſentiam ſufficere, ſed oportere, vt illi, pro quibus ſponſalia contrahuntur, expreſse, vel tacitè per cohabitationem conſentiant. Cur diuerſum non video? nec cur magis in ſponſalibus contractis per patrem taciturnitas operetur conſenſum, quàm in alijs? imo magis in alijs præſumi debet conſenſus ex taciturnitate, quàm in contractis per patrem, quibus propter reuerentiam paternam non ita filius contradicere audet. Ex iam dictis perſpicuum fit, etiam inter eos ſponſalia conſiſtere, inter quos nuptiæ eſſe non poſſunt, exemplo ſunt impuberes, quibus licet ſponſalia, non etiam nuptias contrahere l. quæſitum. ff. de ſponſal. Sic magiſtratus oriundam, vel domicilium habentem in prouincia, quam adminiſtrat, vxorem ducere non poteſt, deſpondere tamen poteſt l. ſi quis officium. ff. de Rit. nupt. Similiter mulier intra annum luctus nuptijs abſtinere iubetur, ſponſalibus non item l. ſolet. ff. de his, qui not. infam. itaque ob ſponſalia intra annum luctus contracta, mulier lucro nuptiali non priuatur, nec alijs pœnis afficitur, quas lex ciuilis intra annum lugubrem nubentibus irrogat, quod à Senatu Toloſano iudicatum fuiſſe die 21. Ianuarij 1572. refert Coſtan. in ſuo Tractat. de ſponſal. & matrimon. Sed dicet aliquis, Regula iuris eſt, quòd quotieſcunque aliquid prohibetur, omnia etiam cenſentur eſſe prohibita, per quæ ad illud peruenturi poteſt, propterea ſicut tutori non licet pupillam vxorẽ ducere, ita nec deſponſare l. tutor. ff. de ſponſal. & ſicut quædam nuptiæ in perſona Senatorum inhibitæ ſunt, ita & ſponſalia l. oratio. ff. de ſponſa. Pro reſolutione dic, quòd prohibitis nuptijs intelliguntur prohibita ſponſalia, quando militat eadem ratio prohibitionis, ſecus ſi diuerſa. Vt ecce lex vetat, eum qui officium in aliqua Prouincia adminiſtrat, inde oriundam, vel ibi domicilium habentem vxorem ducere. Primò, ne gratia, & fauore cognatorum, & affinium vxoris aliquid iniuſtè, & perniciosè moliatur, aut decernat, deinde, quia quandiu munere ſuo funguntur, magiſtratus metum incutere ſuæ ditionis hominibus poſſunt, atque ideo præter voluntatem ad nuptias eos adducere, vt propterea ſcripſerit Papinianus in l. præfectus. ff. de Rit. Nupt. ratione potentatus huiuſmodi nuptias prohibuiſſe, qua de re extat Decretum Tridentinæ Synodi ſeſſ. 24. can. 9. quo ſub anathematis pœna puniuntur Magiſtratus, qui quocunque modo directè, vel indirectè ſubditos ſuos, vel alios coegerint, quominus libere matrimonia contrahant. Sed hæ rationes in ſponſalibus locum non habent, quando quidem alterius diſſenſu diſſolui poſtea poſſunt. Item intra annum luctus vxori nubere prohibetur, non ſolum ob honorem viro debitum, ſed etiam ob euitandam ſanguinis perturbationem, proliſque incertitudinem l. liberorum. §. 1. ff. de his, qui not. infam. quæ ratio ceſſat in ſponſalibus, in quibus nullum eſt periculum, quod turbationem ſanguinis afferant l. ſolet. ff. de his, qui not. infam. Nimirum igitur, ſi in iſtis caſibus prohibitis nuptijs non cenſeantur prohibita ſponſalia, cùm non militet eadem ratio prohibitionis in ſponſalibus, quæ militat in nuptijs, ſed dum Tutor pupillam vxorem ducere, & etiam deſpõſare prohibetur, id fit, ne in rationibus reddendis eam Tutor circumſcribat l. libertum, & l. ſi quis Tutor. ff. de rit. nupt. quæ ratio tàm in nuptijs, quam in ſponſalibus viget. Similiter quando Senator prohibetur libertinam vxorem ducere, id eſt, ne dedecoretur ordo ſenatorius, quæ ratio militat etiam in ſponſalibus.

SVMMARIVM.

1 *Pure adiecta die, & ſub conditione ſponſalia contrahi poſſunt.*
2 *Conditionum, quæ in ſponſalibus interuenire ſolent, tria ſunt genera.*
3 *Contrahuntur ſponſalia etiam tacito conſenſu, & multis alijs modis.*
4 *Cur annulus digito manus ſiniſtræ, qui minimo eſt proximus in ſponſalibus inſeri ſoleat.*

Quibus modis ſponſalia contrahantur.

SPonſalia varijs, & multis modis contrahi poſſunt. Primò, purè, quando ſcilicet, vir, & mulier, ſimpliciter purè, & abſolutè ſe inuicem futuros coniuges pollicentur, quo caſu nullus conſanguineorum alterum ex contrahentibus matrimonio ſibi copulare poteſt, imo qui contraxerunt, vt ſe inuicem recipiant, eccleſiaſtica cenſura moneri, & compelli poſſunt, niſi rationabilis cauſa obſtet, vt infra dicemus. Diciturque purus, & ſine conditione ſponſaliorum contractus, quando non eſt expreſſa certa conditio, licet adſint multæ tacitæ, & ſubintellectæ, de quibus in cap. quemadmodum de iureiurando, dũmodo illa tacita nõ exprimatur, quia tunc etiã facit actũ cõditionalẽ Abb. & Fel. in c. 2. n. 1. de ſpõſ. *Sponſalia multis modis contrahuntur.* *Purè.*

Secundò, contrahi poſſunt ſponſalia adiecta die, veluti cum quis intra certum temporis ſpatium aliquam ſe ducturum in vxorem promittit, & tunc ſi per eum nõ ſteterit, quomi- *Adiecta die.*

nus intra præfixum temporis ſpatium cum eadem matrimonium contrahat, licite ad alias nuptias tranſire poterit c.ſicut ex litteris de ſponſ. Abb. in c.de illis nu.5.eod.tit.de ſponſ.

Sub conditione.

Tertiò contrahi poſſunt ſub conditione, cum ſcilicet in aliquem caſum, vel euentum differuntur, vel cùm quis ſe contracturum, ſi quid factum fuerit, vel non fuerit pollicetur §.ſub conditione infra de verbor. obligat. & conditione nondum extante, ſed pendente, ſponſalia non ſunt firma, nec ſuper eis orta eſt obligatio aliqua cap.de illis, & cap.ſuper eod.de condit. appoſit. & ibi Abb.not.

Conditionum varia genera.

Sciendum tamen eſt, quòd conditionum tria ſunt genera ſecundum Gloſ.communiter receptam in cap.fin. de condit.appoſit. aliæ enim ſunt turpes, inhoneſtæ, & contra ſub-
2 ſtantiam, aut bona matrimonij, vt illa, contraham tecum, donec inuenero meliorem, nobiliorem, aut ditiorem te, quæ eſt contra ſubſtantiam matrimonij, quod eſt inſeparabile, & illa, ſi generationem prolis euitabis, quæ eſt contra bonum prolis, nec non illa, ſi pro quæſtu te adulterandam dabis, & victum ex adultero quæres, quæ eſt contra bonum fidei, hæ omnes conditiones annihilant ſponſalia, & matrimonium cap.fin. de condit.appoſit. cap.aliquando, & cap.ſolet 32.quæſt.2.

Secundò aliæ ſunt turpes, aut de facto impoſſibiles, ſed non contra ſubſtantiam, aut bonum matrimonij, turpes, vt illę, ſi furatus fueris, ſi occideris, impoſſibiles, ſi cęlum digito tetigeris, & hæ non annihilant ſponſalia, nec matrimonium, ſed pro non appoſitis in fauorem matrimonij habentur, & ſponſalia abſque aliqua conditione contracta cenſentur cap.fin.de condit.appoſit. & hoc, vt petulantiæ, & malitiæ eorum, qui pudicitiæ imbecilis ſexus inſidiantur, frenum inijciatur.

Tacito conſenſu.

Tertiò aliæ ſunt honeſtæ, vt ſi pater meus voluerit, aut ſi dederis mihi centum, & hæ ſponſalia, & matrimonium ſuſpendunt, quouſque impleantur cap.de illis cap.ſuper eo, & cap.per tuas de condit.appoſit. nec interim publicæ honeſtatis iuſtitia oritur, verum bene eſt, quòd ſi ante conditionis euentum ſponſus carnaliter ſpõſam cognouerit, videtur à cõditione appoſita recedere d.cap.de illis, & d.cap.per tuas de condit.appoſit.

Quartò contrahuntur ſponſalia etiam tacito conſenſu, veluti cùm patri ſponſalia pro filio contrahenti præſens filius non contradicit cap. vnico de deſponſat. impub.lib.6.

Nuda conuentione.

Quintò nuda conuentione cap.ad audientiam de ſponſa.

Per ſtipulationem.

Sextò per ſtipulationem cap.2.de ſponſal.

Iureiurando.

Septimò cum iureiurando cap.de illis de ſponſ.

Donatione fidei.

3 Octauò fidei datione, quæ iuramento æquiparatur cap.peruenit, & ibi Gloſ.not.de fideiuſſoribus cap. ad aures, quod met.cauſ.notat Felin.in cap.præterea num.15.de ſponſ.

Per nuncium, vel epiſtolam.

Nonò per nuncium, vel epiſt.l.ſufficit, & fin.ff.de ſponſ. Hoſtien.in §.qualiter de ſponſ.

Anuli traditione.

Decimò anuli traditione, quæ ſubarrhatio dicitur cap.ſi quis deſponſauerit 27.quæſt.2. Idque nimirum fit, vel propter mutuæ fidei ſignum, vel propter id, vt magis eodem pignore eorum corda iungantur cap.fęminæ 30.quæſt.5. Iuuenalis Satyr.6.

Conuentum tamen, & pactum, & ſponſalia noſtra
Tempeſtate paras, iamque à tonſore magiſtro
Pectoris, & digito pignus fortaſſe dediſti.

Aduertendum tamen eſt, quòd ad hoc, vt contrahantur ſponſalia, non ſufficit anulum à viro mulieri dari, niſi vocibus exprimatur, vel aliter ſignificetur anulum in hoc dari, & illũ mulierem ſponſaliorum nomine recipere cap.illud 15.quæſt.1. cap.ne quis 22. quæſt.2. Imola in cap.tenor.de re iud. Et ſi dubium ſit vtrum ratione ſponſaliorum, an nuptiarum datus ſit anulus, nam & nuptias, & ſponſalia ſignificare poteſt, Iudex conſuetudinem patriæ, & omnes negocij circunſtantias diligenter obſeruabit, ac perpẽdet, & ſi præſumptio, quæ ex anuli traditione oritur, alijs adminiculis fulciatur, & probabili cõiectura iuuetur, vel nuptias, vel ſponſalia interceſſiſſe pronunciabit cap.illud de præſumpt. cap.1.de matrimi.contract.contra interd.Eccleſ.Abb.in cap.vlt.de deſponſat.impub. Qui dicit, quòd ſi anulus non ponatur in digito, ſed tradatur in manu, præſumitur potius donatio, quàm ſponſalia, niſi conſuetudine aliud obſeruetur. Regulariter enim pronubus anulus digito
4 manus ſiniſtræ, qui minimo eſt proximus, inſeri ſolet. huius rei ratio redditur in cap.fęminæ 30.quæſt.5.ſcilicet, quòd in eo vena quædã ſanguinis ſit, quæ ad cor vſq; perueniat.

SVMMARIVM.

1 *Qui ſponſalia contrahit, matrimonium etiam contrahere compellitur.*
2 *Eccleſia quandoque tolerat minus malum, vt maius euitetur.*
3 *Sequuta copula ſponſalia in matrimonium tranſeunt.*
4 *An per oſcula amplexus, & alia ſigna, ſponſalia in matrimonium tranſeant.*
5 *Ex ſponſalibus publicæ honeſtatis Iuſtitia oritur.*

6 Pars diſſoluens ſponſalia arrhas datas amittit.
7 Si alter deſponſorum prinſquam nuptiæ celebrentur excedat è vita, donatio vtrinque facta reſcinditur.

Qui ſint Effectus ſponſaliorum.

PRimus,& principalis effectus ſponſaliorum eſt,quòd ſponſus,& ſponſa altero eorum
inuito cum alio contrahere non poſſunt, ſed præmiſſa monitione per Cenſuram ec- *Primus effectus.*
cleſiaſticam matrimonium contrahere,& conſumare compelluntur cap. ex literis Siluani
1 Epiſcopi de ſponſ. vſq; adeo tamen,vt ſi Iudex videat ſponſam,vel ſponſum ita obſtinatũ
eſſe,vt libere conſentire nullo pacto coniugio velit, potius monitione vti debeat,quam
exactiſſima coactione,ex qua conſenſus ſequutus,nec liber eſſet prout in matrimonio re-
quiritur,nec vere conſenſus dici poſſet,vnde infelices exitus è talibus nuptijs euenire poſ-
ſent, quæ mala ſunt omnio euitanda, vt Iudices eccleſiaſticos admonet Summ. omnium
Præſul,& Pontifex in cap. requiſiuit,de ſponſal. quorum prudentiæ,& arbitrio hoc remit-
tit,& ſic potius tolerari debet fractura huius fidei,quàm coactio matrimonij maioris ma-
li euitandi cauſa,eccleſia enim quandoque tolerat minus malum præſens, ob euitandum
2 maius malum futurum,quod veriſimilibus coniecturis ſperatur,ſicut etiam meretrices to
lerat ad euitandam promiſcuam luxuriam in R.P. fœdiſſimas coniunctiones,tametſi me-
retrices eſſe,& ad eas accedere mortale peccatum ſit cap. meretrices 32.q.4.D. Thom.
4.ſent.diſt.33.q.1.Arti.3.illud tamen obiter adnotandum eſt aliud eſſe offerre materiam
minoris mali,aliud inducere ad minus malum,vt maius euitetur,illud enim licet,hoc pec-
catum eſt,cùm non ſint facienda mala vt eueniat bona, nec minora mala,vt maiora eui-
tentur,ſic Gen.cap.37. Iudas obtulit fratribus materiam minoris mali,nempè venditionẽ
Ioſeph,vt euitaret maius malum,occiſionem ſcilicet,quo conſilio vſus fuit etiam Ruben,
qui eodem animo euitandi homicidium,eiſdem fratribus dixit, non occidamus eum, ſed
proijciamus in ciſternam veterem.

Secundus effectus eſt,quòd ſi ſequatur copula carnalis huiuſmodi ſponſalia,verum ma- *Secundus effectus.*
3 trimonium efficiuntur,quia licet non concubitus,ſed conſenſus faciat matrimoniũ, tamẽ
hoc ipſo coniunctionis actu ſatis,ſuperq. conſenſus exprimitur cap. is qui de ſponſal. Ec-
cleſiaq; præſumit ſponſum,qui carnaliter ad ſponſam accedit,potiùs promiſſionem ad ef-
fectum deducere velle quàm crimen fornicationis comittere,iuxta tex. in l. meritò ff. pro
ſocio,aduerſus quam pręſumptionem cùm ſit iuris,& de iure iuxta Gloſ. communiter re-
ceptam 12.d.cap. is qui,nõ admittitur probatio in contrarium l. antiquæ C. ad Sen. Vel-
leia.& l. fin. C. ad Macedon. niſi eſſet probatio quæ indirectè,& per obliquum ipſi præ-
ſumptioni obuiaret,veluti ſi ſponſus probare velit, ſponſalia illa ante coitum mutuo cõ-
ſẽſu,vel aliàs legitimè ſoluta fuiſſe,vt in cap. 2. de ſponſal. vel nulla fuiſſe propter aliquod
impedimẽtũ,hoc enim caſu admitti debet Abb.& Prępoſit. in d. cap. is qui fidẽ. Gl. in Cle.
vnica,de Probat. Felin. in cap. quanto,de Pæſumpt. Ampliatur hoc quod ſponſalia per coi
tum in matrimoniũ tranſeant, vt procedat etiam,quando contracta eſſent duo ſponſalia,
ſecunda enim ſponſalia in matrimonium per copulam cum ſecunda ſponſa contingentẽ
trãſeunt Io. Andr. Ant.& prepoſ. in cap. is qui fidem de ſponſal. Syluester in verbo,ſponſa-
lia queſt.10.nec obſtat quòd ſecunda ſponſalia primis nõ pręferantur,nec eis pręiudicẽt,
etiãſi ſecunda ſint iurata cap. ſicut de ſponſa. nam ſecunda per hoc non ſunt nulla,vt aduer
tit Cou. de ſponſal. part. 1. cap. 4. §. 1. nu. 10. ſed valent vi promiſſionis ad hoc, vt ſi quãdo
contingeret mori primam ſponſam, vel ad matrimonium impediri, vel diſſolui prima
ſponſalia, teneatur ſponſus cum ſecunda contrahere matrimonium, ſecundò ampliatur
etiam ſi ſub conditione contracta fuiſſent ſponſalia, veluti ſi pater conſenſerit, nam per
copulam videtur recedere à conditione appoſita etiam ſi proteſtetur ſe nolle recedere à
conditione,talis enim proteſtatio nihil ei prodeſt cap. per tuas,& ibi Gloſ. de condit. ap-
poſit,tertiò ampliatur vt procedat etiam in ſponſalibus incertis, vnde ſi quis iurauerit ſe
ducturum vnam ex tribus filiabus Titij,deinde vnam illarum carnaliter cognouerit, veri-
ficantur ſponſalia,quæ antea erant incerta,& ſimul traſeunt in matrimonium de pręſenti
Hoſt.& Abb. in cap. ex literis el 2. de ſponſal. Couar. dicens communem Part. 1. cap. 4. §. 1.
4 nu. 17. per nixum autem copulæ, deductionem in domum ſponſi,oſcula,amplexus,& ſi-
milia,ſponſalia non tranſeunt in matrimonium ſecundum Coua. vbi ſupra,& in §. ſequent
nec non Nauar. cap. 22. nu. 18. ceſſat hodie effectus iſte,ſtante diſpoſitione Conc. Trid.

Tertius effectus eſt,quòd licet ex ſponſalibus de futuro non oriatur affinitas,tamen o- *Tertius effectus.*
ritur Iuſtitia publicæ honeſtatis, cuius cauſa olim impediebatur matrimonium contrahi
5 inter conſanguineos ſponſi,& ſponſam,& inter conſanguineos ſponſæ, & ſponsũ vſq; ad
4. gradum per mortem,vel alio modo ſponſalibus reſciſſis cap. iuuenis,cap. ad audientiã,

& cap.

& cap.sponsam de spons.hodie tamen ex Concil.Trid.sess.24.can.3. in primo tantũ gradu prohibetur, olim etiam duę erant species publicæ honestatis, vna quę ex sponsalibus, de qua est sermo noster, altera quæ ex secundis nuptijs contrahebatur, veluti habeo vxorem Catherinam, mortua Catherina contraho cum Iustina, ex qua suscipio filios, & filias, hæc proles olim cum nullo consanguineo Catherinæ primę vxoris meæ contrahere poterat, vt constat ex cap.si quã mulier 35.quæst.10. Sed hodie species hæc publicæ honestatis sublata est per tex.in cap.non debet de consanguin.& affinit. & soboles ex secundis nupt. suscepta consanguideis prioris viri, aut vxoris rectè copulari potest d.cap.non debet.

Quartus effectus.

6 Quartus effectus est, quòd pars dissoluens huiusmodi sponsalia, vel per quam stat quominus matrimonium contrahatur, arrhas datas, vel acceptas amittit, & tantundem de suo reddere cogitur l.mulier. C.de sponsal.

Quintus effectus.

Quintus effectus est, quod si alter desponsorum priusquam nuptiæ celebrentur, exce-
7 dat è vita, donatio vtrinque facta rescinditur, & vel superstiti, vel eius hæredi restituitur, nisi causam, vt nuptiæ non celebrarentur, defuncti persona iam præbuisset l.3.C.de sponsa. hodie enim sponsalitiæ donationes semper tacitam conditionem habent, si nuptiæ sequantur l.quum veterum.C.de donat. Item nisi osculum interuenerit, nam tunc ex rebus sponsæ donatis, ipsa sponsa dimidiam partem lucratur, & altera demortui sponsi hæredibus restituitur, & ratio est, quia osculo dato virginitas quodammodo delibata videtur l.si à sponso. C. de donat. ante nupt.

SVMMARIVM.

1 *Sponsalia mutuo contrahentium dissensu dissoluuntur.*
2 *Dissoluuntur etiam per absolutionem factam à Iudice, eo quod quis contraxit intra pubertatis annos.*
3 *Nuptijs per verba de præsenti contractis dissoluuntur.*
4 *Propter affinitatem superuenientem.*
5 *Propter ingressum Religionis.*
6 *Propter fornicationem carnalem, & spiritualem.*
7 *Propter lapsum temporis in contractu sponsaliorum constituti, & multis alijs modis de quibus num.8.9.10.& 11.*

Quot modis sponsalia dissoluantur.

Sponsalia soluuntur. Mutuo contrahẽtium dissensu.

SPonsalia de futuro multis modis dissolui possunt, & primò mutuo contrahentium dissensu dissoluuntur cap.1.de sponsal.& hoc quamuis iuramento firmata sint iuxta cõ-
1 munem Doctorum sententiam in cap.præterea de sponsal.quam sequitur D. Thom. 2.2. quæst.89.Artic.9.& Decius approbat consil.368.col.vlt. dubium tamen est, si sint principaliter iurata propter Deum, an per partium remissionem dissoluantur, veluti cùm quis iurat se matrimonium contracturum cum aliqua paupere ob amorẽ Dei, & ob eleemosynam Nauarus Cardinalis opinionem sequens in suo Emanuali cap.12.nu.5. credit dissolui posse, contrarium tenet Innoc.& Abb.in d cap.præterea, & Syluest. verbo, sponsalia, quæst.9.ego sic distinguendum esse existimo, aut promissio principaliter facta fuit Deo, licet ad fauorem tertij, vt si dicatur, promitto Deo accipere talem in vxorem, & tunc quia est promissio facta Deo, mulier remittere non potest, licet ad eius vtilitatẽ facta sit, quia non principaliter facta est mulieri, sed Deo, imo talis promissio facta Deo sapit votum quod per partem remitti non potest, aut promissio facta fuit principaliter mulieri, vt si dicatur promitto te in vxorem accipere amore, & intuitu Dei, & tunc per partem remitti potest, & ratio est, quia talis promissio facta est principaliter parti, & non Deo, & sic ad vtilitatem partis, ideo per partem etiam remitti potest. Secundò dissoluuntur sponsalia per absolutionem factam à Iudice eo quod quis ante pubertatis annos contraxit, potest

Por absolutionẽ factam à Iudice eo q̃ quis impubes contraxit.

2 enim, qui impubes sponsalia contraxit, postquam ad pubertatis annos peruenit, petere ab eis absolui, nisi pubes factus expressè vel tacitè eis consenserit, ante tamen pubertatẽ dissolutionem petere non potest, & hoc idem locum habet, etiam quando ambo impuberes contraxerunt, nam antequam ad pubertatem perueniant, contractus dissolutionẽ petere minimè possunt cap.d.illis.el.1.& c.à nobis, de despons. impup. sed solùm puberes
3 facti, tertiò dissoluuntur sponsalia, per matrimonium verbis de præsenti contractum, etiã non sequuta copula, cap.sicut de sponsal. nec obstat tex.in cap.2. de sponsa duorum, cuius hęc sunt verba accepisti illam in vxorem tibi, quam alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam, nam loquitur de sponsalibus præsenti consensu contractis, quæ sine dubio

dissolui

dissolui non possunt, per sequens matrimonium, etiam concubitu consumatum cap. pœn. de sponsa cap. licet de sponsa duorum, at nos loquimur de spōsalibus, quæ verbis in futurum relatis contrahuntur, & spem tantum futuri matrimonij continent, & hæc sequentia verbis de præsenti contracta dissolui posse dicimus, item, & per sponsalia de futuro copula sequuta dissoluuntur secundum iura antiqua, secundum quæ sponsalia transibant in matrimonium per copulam cap. veniens el 2. de sponsa, quód tamen hodiè cessat iure nouo Concil. Trid. de quo diximus supra. Quartò dissoluuntur sponsalia propter affinitatem
4 superuenientem, velut si quis fide interposita desponsauit aliquam, & deinde propinquā ipsius carnaliter cognouit intra gradum prohibitum cap. veniens, de eo qui cognou. consangu. vxor. suæ, & cap. super eod. de consangu. & affinit. hodie gradus prohibitus propter affinitatem ex illicita copula prouenientem, est vsque ad secundum gradum tantum secūdum Conc. Tri. sess. 24. cap. 4. licet olim esset vsque ad 4. adeo quòd hodie si quis cognouerit consanguineam sponsæ suæ intra secundum gradum non poterit amplius propter affinitatem cū sponsa contractam eam in vxorem ducere secus est tamen si vlterioris gradus consanguineam sponsæ suæ cognouerit. Quintò dissoluuntur propter ingressum re-
5 ligionis, c. veniens, qui clerici vel vouent. hoc enim casu soluitur etiam matrimonium ante copulam, secundum tex. in cap. ex publico. de conuers. coniugat. ideo multò magis spōsalia solui debent, sed dubium est, an alter libere cum alio, vel alia ante professionem contrahere possit, dic secundum Nauar. cap. 22. nu. 26. & Sylue. in verbo, sponsalia quæst. 10. quòd sic, ea ratione, quia Nouitiatus est iusta causa discedendi à sponsalibus, eo quòd dedit causam vt ioco, & serio, animo irato, & pacato possit improperari ei, quod fuit religiosus, & inconstans, & alia quæ materiam præstare possunt rixandi inter se. Sextò, soluūtur propter fornicationem post sponsalia sequutam: ideo si sponsa cum alio fornicetur, non tenetur sponsus cum ea matrimonium contrahere, etiam si sponsalia iurata fuissent cap. quemadmodum, vbi Abb. & Doct. de iur. iur. & è conuerso si sponsus fornicetur, non tenetur sponsa cum eo matrimonium contrahere, attamen si non obstante fornicatione sponsi, sponsa velit sponsum ipsum in virum accipere, cogitur sponsus matrimonium cōtrahere, quia hæc facultas dissoluendi sponsalia propter fornicationem conceditur tantūmodo ei cui facta est iniuria secundum omnes, ampliatur etiam si sponsa vi cognita fuisset, nam adhuc sponsus tenetur eam in vxorem accipere. ita Glo. in d. cap. quemadmodū, communiter per Io. Andr. Abb. Imo, & alios approbata, nemo enim cogitur contrahere
6 bigamiæ vitium, vt inquit Abb. in cap. diseritionem, de eo qui cognouit cōsang. vxor. suæ. Septimò dissoluuntur propter fornicationem spiritualem etiam quando scilicet, alter eorū efficitur hæreticus cap. non solum 18. q. 1. Octauo, propter lapsum temporis vel diei in contractu sponsaliorum ex conuentione partium constituti cap. sicut. & ibi Gloss. extra de sponsal. intellige quando terminus adijcitur sponsalibus ad limitandam obligationem, & ad eam restringendam ita vt lapso termino expiret, tunc enim extinguitur obligatio, ille tamen, per quem stetit, tenetur ex illa culpa, & pœnitentia propter violatam fidem ei
7 imponitur, vt in d. cap. sicut, secus tamen est, vbi dies adijcitur obligationi iam perfectæ, & contractui iam consummato, nam tunc dies potius censetur adiecta ad solemnizandum effectum obligationis, quàm ad extinguendam ipsam obligationem, ideo dicit Abb. in d. cap. sicut, quòd si contractis iam puris spōsalibus postea tractetur de die nuptiarum, lapsus illius diei non liberat sponsum á promissione, & sponsione matrimonij contrahendi, etiam si ipse illo die paratus esset contrahere, sequitur Syluest. verbo, sponsalia quæst. 10. Couar. de sponsal. prim. part. cap. 5. nū. 8. quamuis præposit. displiceat. Nonò soluuntur sponsalia per sacri ordinis susceptionem, Ant. & Io. Andr. And, in Rubr. de sponsal. Nauar. cap. 22. nu. 27. Decimò si sponsus vagetur per orbem, & per triennium absit cap. de illis
8 de sponsal. & l. 2. C. de repud. quod si iusto impedimento detineatur, non temerè sponsalia erunt soluenda, sed attenta sponsæ qualitate, quæ forsan ex mora periculū pateretur. Host. in cap. de illis. Vndecimò, per omissionem implementi eius quod promissum est, siue voluntariam, siue inuoluntariam, ideo si sponsa certam quantitatem pro dote dare promisit, & eam postea date nolit, vel non possit, liber erit sponsus ab obligatione, Io. And. & alij in cap. de illis, de condit. apposit. idem dicendum est de quacunque alia conditione interueniente, si conditio deficit. Duodecimò, soluntur per votum simplex castitatis cap. veniens, qui cleric. vel vouent. matr. contrah. poss. Secundum communem intellectum, in-
9 tellige verum, quoties votum præcedit sponsalia, nam tunc impedit, & dirimit etiam iurata, sed si votum sequatur post sponsalia, tunc tenent sponsalia, quia alter in alterius præiudicium vouere nequit, Gloss. Innoc. & Abb. in d. cap. veniens, qui cleric. vel vouent. Decimotertiò, soluntur per famam Canonici impedimenti ad cōtrahendum inter eos, si de fama doceatur cap. cum in tua, de sponsal. Decimoquartò, per superuenientem capitalem inimi-

Propter superuenientem affinitatem.

Per ingressū religionis.

Propter fornicationem carnalem.

Propter hæresim.

Propter lapsum temporis

Per sacri ordinis susceptionē.

Si sponsus vagetur p orbem.

Per omissionē eius quod promissum est

Per votū castitatis preced ens.

Per morũ alterius aſperitatẽ.
Per ſupervenientem cognationẽ legalẽ.
Propter lepram paralyſim.
Per aliqd noue ſuperueniens.

inimicitiam inter ſponſos, alter enim hoc caſu ſeparationem petere poteſt ſecundũ Hoſt.
in ſumma de ſponſal.§.fin.per rationem de qua in cap.2.& cap. requiſiuit eod. Titul. de
ſponſal. Decimoquintò, per morum aſperitatem alterius contrahentium Abb.in cap.ve-
nientis, quĩ cleric.vel vouent. Syluest.verbo ſponſalia quæſt.10.Naua.cap.22.nu.27. Deci-
moſextò, per ſuperuenientem cognationem legalem vel aliud impedimentum de quibus
infra in 2.parte videbimus. Decimoſeptimò, propter lepram paralyſim ſimilem ve mor-
10 bum, nec non propter vitium quod oris formam deturpet, veluti ſi oculus eruatur, naſus
præſcindatur, vel alius corporis defectus magnam deformitatem vel debilitatem inducens
inferatur, licet ſuperuenientes morbi, & corporis deformitates iam contractũ matrimo-
nium non dirimant cap.fin.de coniug.lepros.& cap.quemadmodum de iur. iuran. & hoc
ne ſibi inuicem diſplicceant, & matrimonium ſic contractum malum exitum ſortiatur.
Decimooctauò, ſoluuntur ſponſalia per aliquid nouè ſuperueniens, qđ ſi præceſſiſſet, non
11 fuiſſent contracta ſecundum D.Thom.in 4.ſent.diſt.27.an autem in prædictis caſibus ſpõ
ſalia ſoluantur ipſo iure, vel ſit neceſſaria iudicis Eccleſiaſtici auctoritas Io.Andr. in cap.
de illis, de ſponſa.& Hoſt.in ſua ſumma §.fin.communiter recepti tenẽt, auctoritate iudi-
cis eccleſiaſtici dirimenda eſſe, coram quo cauſa probari debet, & ideo qui abſque tali
auctoritate cum alia cõtraheret, grauiter peccaret.cap.ſi duo pueri.de deſponſat.impub.
& cap. ſæculares 33.q.2. fallit in caſibus in quibus ipſo iure diſſoluuntur, veluti quando
alter religionem ingreditur, aut ipſo facto cum alia verbis de præſenti contrahit, aut noto-
riè fornicatus eſt, & generaliter in omnibus caſibus, in quibus cauſa ſoluendi eſt notoria
quantum ad veritatem ſcilicet quia vera eſt, & quantum ad iuſtitiam, ſcilicet quia de iure
ſufficiens eſt, vt quia in iure expreſſa eſt, nõ requiritur dicta auctoritas, Sylu.verbo ſpon-
ſalia q.11.& Nau.cap.22.nu.28.

DE NVPTIIS

PARS SECVNDA.

SVMMARIVM.

1 *Vtilitas nuptiarum.*
2 *Origo matrimonij.*
3 *Vnde dicatur matrimonium.*
4 *Matrimonium plura nomina habet.*
5 *Nuptiæ cur dicantur.*
6 *Quot ſint matrimonij ſpecies.*
7 *Perfectum matrimonium quando dicatur.*
8 *Matrimonij definitio ponitur.*
9 *Cauſa efficiens matrimonij eſt conſenſus.*
10 *Verba ſunt forma matrimonij.*
11 *Verba ſacerdotis ſunt de ſolemnitate ſacramenti.*
12 *Signa ſufficiunt tam in his qui loqui non poſſunt, quam in valentibus loqui.*
13 *Materia matrimonij ſunt ipſi contrahentes.*
14 *Cauſa finalis eſt indiuidua vitæ conſuetudo.*
15 *Plures vxores eodem tempore habere non licet.*
16 *Triplex eſt coniunctio.*
17 *Matrimonium bonum pacis ſæpè afferre ſolet.*
18 *Triplex eſt indiuiduitas.*
19 *Quando ſit ſeparatio in matrimonio ſit quoad torum, non autem quoad ſacramentum.*
20 *Contrahentes matrimonium debent eſſe ambo eiuſdem religionis.*
21 *Incommoda matrimonij mulieris fidelis cum viro infideli multa recenſentur.*
22 *Mulier ſortitur domicilium, & forum mariti.*
23 *Mulier in ſepulchrum mariti quando aliter non diſpoſuit inferri debet.*
24 *Vxor rerum omnium mariti particeps efficitur.*
25 *Romulus ſtatuit, vt fortunarum, & ſacrorum inter coniuges ſocietas eſſet.*
26 *Quæ ad maiorem declarationem veniunt ſuperflua dici non poſſunt.*
27 *Triplex debet eſſe intentio eorum, qui matrimonium contrahunt.*
28 *Tria ſunt matrimonij bona.*

29 *Proles*

29 *Proles est bona tripliciter.*
30 *Fidei bonum triplex est.*
31 *Sacramenti bonum triplex est, & tripliciter gratiam confert.*

Vtilitas Nuptiarum.

Nuptiarũ vtilitas.

1 QVanta sit vtilitas, imo necessitas nuptiarum, ex eo potissimum comprehendi potest, quòd veteres iubebant nouam nuptam attingere ignem, & aquam, vt declararent nuptijs non minus opus esse in vita communi, quàm aqua, & igne, duobus maximè necessarijs elementis id, quod & Cicero in lib. de Amicitia præclare declarat, nam cum vult indicare amicitiam esse necessariam in vita hominum, dicit nec aqua, nec igne esse nobis magis opus. Musonius apud Strobæum sermone 65. inquit, quisquis homines nuptijs priuat, is abolet familiam, Ciuitatem, & totum genus humanum, quod absque generatione permanere non potest, hac de causa Romani magistratus iuuentutem ad coniugium, & prolem excitandam non solum præmijs inuitarunt, sed etiam pœnis coegerunt. Furius Camillus, & Posthumius cum censuram agerent ijs, qui ad senectutem cælibes peruenissent, certam pecuniam pœne nomine in ærarium ferre iusserunt, quod vxorium dicebatur. Alex. ab Alex. lib. 4. Genial. dier. cap. 7 Sext. Fest. lib. 19. Lycurgi lege, qui cælibes vixissent, ea afficiebantur ignominia, vt à ludis, & spectaculis publicis arcerentur, & qui natu iuniores erant, neque assurgebant ipsis, neque cedebãt loco, narrat Plutarchus Dercilidæ nobilissimo alioqui, splendidissimoque homini venienti in theatrum neminem locum dedisse, quod dicerent, ne tu quidem, qui mihi
2 decedat genuisti, idque factum laudatum fuisse ab omnibus Lacedemonijs. Plato in legib. suis iubet non contrahentem matrimonium intra annum 30. & 35. pendere quotannis centum, aut septuaginta, vel quadraginta drachmarum pro modo scilicet facultatũ, mulctam Iunoni sacram, & nequis ei honorẽ habeat, omniumque postremus habeatur, quòd à Romanis diligenter est obseruatum, apud quos similiter prohibebantur conuiuijs publicis, qui non dum vxores duxerant, quibus, vt interesse possent, die eius natali Augustus Imperator concessit, Dionis. lib. 56.

Quæ sit matrimonij Origo.

Matrimonij Origo.

OMissis veterum fabulamentis eorum, qui putauerunt Cecropem Athenienfium Regem ante Deucalionis tempora nuptias cõstituisse, ob id bifrontem eum autumantes, dicendum est veram matrimonij originem à summo omnium rerum opifice procedere, qui matrimonium in tribus ætatibus mundi instituit.

Ante peccatũ in st[illegible]tu in[illegible]tiæ. Post d[illegible]uium. In legis gratia.

Primò in statu innocentiæ ante peccatum in paradiso voluptatis Genes. cap. 2. & tunc
3 in officium naturæ simpliciter ratione prolis procreandæ propter reparationem Angelorum cap. sicut non omnis §. his ita. 32. q. 1.

Secundò in statu naturæ corruptæ post diluuium, vt habetur Genes. cap. 9. & tunc non solum in officiũ naturæ, sed etiã in remedium fornicationis D. Thomas in addit. ad tertiã partem quæst. 41. & 42. Glosa, & Cardin. à Turre Cremata in summa 27. q. 2.

Tertiò in statu naturæ reparatæ, & sic in legis gratia, vt Matth. cap. 19. & tunc non solum ad duos fines supradictos, sed etiam in sacramentum, vt gratiã conferat Concil. Trid. sess. 24. Canon. 1. verum dicet aliquis, quomodo ergo Imperator supra in Tit. de iur. natur. Gentium, & Ciuili dixit, quòd de iure naturæ est maris, & fœminæ coniunctio, quam nos matrimonium appellamus? Respondeo vna cum Glosa ibi, quòd Matrimonium est de iure Diuino, de iure Naturæ, de iure Gentium, ac etiam de iure Ciuili, & Canonico: est de iure diuino, quantum ad institutionem: de iure naturæ, quantum ad instinctum cõiunctionis, & conseruationem speciei: de iure gentium, quantum ad consensum, quo cõtrahitur, sicut alij contractus, demum de iure Ciuili, & Canonico, quantum ad solemnitates, & prohibitiones exceptis prohibitionibus in linea ascendentium, & descendentium, nec non Collateralium in primo gradu, in quibus prohibitio est de iure diuino cap. literas. §. sanè. versic. opinioni. & ibi Glosa, & Abbas notant. extra de restitut. spoliat.

Matrimoniũ est de iure diuino de iure naturæ, de iure gẽtium, ac etiã de iure ciuili, & Canon.

Matrimonium vnde dicatur.

Cur à Matre matrimonium dicatur.

MAtrimonium à matre nomen accipit, eo quòd fœmina ob id potissimum nubere debeat, vt mater fiat August. lib. 10. contra Manich. cap. 26. vel à matris nomine, non iam adepto, sed citò adipiscendo Gell. lib. 18. cap. 6. alij existimant datum hoc esse labori-

laboribus, quos in partu mulieres sufferunt, vt ab ipsis potius, quàm à viris coniunctio eorum nomen accipiat, Grego. in cap. vltimo extra de conuersione infidelium, alij deniq; autumant propter maiorem partus certitudinem, quę in matre est, matrimonium à matre dictum esse l. 5. ff. de in ius vocando, hinc Telemachus apud Homerum Mineruę sciscitanti, an Vlyssis filius esset? Respondit, Mater me quidem ex illo natum esse dixit, sed ego nescio, nam proprium certus scit nemo parentem.

Quot nomina matrimonium habeat.

Plura nomina habet matrimonium.

SYnonimum est hoc verbum, matrimonium, pluraque nomina habet, nam quandoque dicitur Conubium, de quo Verg. Aeneid. 1.

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nimphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.

Connubiũ.

5 Et dicitur Connubium ex eo, quòd vir, & mulier simul nubunt cap. Connubia 32. q. 2. quandoque dicitur Contubernium, quod est Matrimonium seruorum de quo in l. cũ ancillis. C. de incest. nupt. & in cap. dixit Sara. 32. q. 4. quandoque dicitur coniugium, quia simul coniunguntur mas, & fœmina cap. aliquando 32. q. 2. inde coniuges, quòd sint pares eiusdem iugi Sext. Fest. lib. 9. interdum vocatur Consortium l. si donationum. C. de nupt. & denique matrimonium Iurisconsulti sæpè nuptias appellant cap. nuptiarum 27. q. 1. 6 dictæque sunt nuptiæ pluribus de causis.

Contubernium. Coniugiũ. Consortiũ.

Nuptiæ.

Primò à nubendo, idest velando, eo quia mulieres postquam nuptæ sunt, velo caput, quasi nube, cooperire, & velatæ incedere debent cap. mulier 33. quęst. 5. & hoc in signum subiectionis, & iugi maritalis, vt sciant se viro subiectas, & discant humiles esse cap. fœminæ 30. q. 5. quod Rebeccam Isaac iam desponsatam fecisse legitur Genes. cap. 24.

Secundò, quia honestas nuptiarum, quasi nubes cooperit turpitudinem naturæ corruptæ cap. sicut non omnis 32. quæst. 2.

Tertiò, quia sicut nubes reddit nos innoxios ab ardore Solis, ita nuptiæ nos innoxios reddunt ab ardore libidinis, plerumque tamen nuptiæ accipiuntur pro festiuitate, & solemnitate nuptialis diei, & conuiuij, vt in Euangelio de Nuptijs in Cana Galileæ dicitur.

Quot sint species matrimonij.

Matrimonij species multa sũt. Ecclesiasticum. Spirituale. Carnale. Carnale multiplex. Putatiuũ. Legitimũ.

VAriæ, & multæ sunt matrimonij species, aliud enim dicitur ecclesiasticum, quod inter Episcopum, & Ecclesiã, consistit, de quo in cap. quanto, & cap. licet, & ibi Doct. de translat. Episcopi, & de hoc loquitur Apost. ad Thimoth. dum ait, oportet Episcopum esse vnius vxoris virum, hoc est, vnius ecclesiæ virum, aliud dicitur spirituale, quod inter Christum, & animam nostram per ingressum religionis contrahitur, de quo in Tit. de con- 7 uersione coniugat. & hoc modo moniales dicũtur sponsę Dei. aliud dicitur carnale, quòd inter virum, & vxorem contrahitur, & de hoc agendum est à nobis. Matrimonium hoc carnale tripliciter diuiditur, aliud enim dicitur putatiuum, idest, non verum, quod cõtrahitur inter personas prohibitas contrahere, quæ reputantur coniuges, licet in veritate coniũges esse non possint, vt per Lupum in Rubrica de donation. inter virum, & vxorem. §. 36. in principio, aliud dicitur legitimũ, idest, secundum leges gentium legitimè contractũ, non autem in fide Christi, quale est matrimonium Iudæorum, & Infidelium de quo in cap. quanto, & in cap. gaudemus, de Diuort. Inter quos matrimonium ex mente D. Thomæ consistit secundum quòd est in officium, non secundum, quòd est sacramentum, vel secundum quòd est ordinatum ad prolem secundum perfectionem naturæ, non autem secundum perfectionem gratiæ; aliud dicitur ratum, idest, ab ecclesia ratificatum, quòd inter Christi fideles legitime contrahitur cap. 1. & cap. cauę. 28. quæst. 1. hoc rursus triplex est, aliud initiatum, idest, per verba de futuro contractum, & est idem quod sponsalia de futuro cap. cum initiatur. 27. quæst. 2. aliud contractum, & non consumatũ, quòd per verba de præsenti contrahitur, sed per copulam non est adhuc consumatum, & est idẽ quod Nuptiæ, siue sponsalia de præsenti cap. sufficiat. 27. quæst. 2. aliud consumatum per carna- 8 lem copulam, & hoc dicitur perfectum matrimonium, perfectum intelligo, quantum ad vinculum, & quantum ad significationem, nam licet matrimonium ante copulam perfectũ sit quantum ad vinculum, & sanctum ex sanctitate sacramenti, vt fuit inter Mariam, & Ioseph. cap. beata, cap. coniux, & cap. omne 27. quæst. 2. imo tantò sanctius, quantò à carnali coniunctione alienius secundum D. Augustinum ad Aeditia, cuius verba ad id refert Magister Senten. lib. 4. distinction. 26. tamen perfectum non dicitur quãtum ad significatio-

Ratum. Initiatum. Cõtractum & non cõsumatum. Consumatum.

nem,

nem,quia non omnia illa significat, quæ significatet carnali copula consumatum, ita explicat Coloniense Concilium Tit. de Matrimon. cap.verum. cap.sed dices. Abbas in cap. debitum.in 1.notab.de bigamis, Matrimonium enim ante copulam significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum,& iustam animam,ad quod pertinet illud, quod dicit Apostolus,qui adhæret Deo,vnus spiritus est cum eo, post copulam designat conformitatem,quæ consistit in carne inter Christum,& Ecclesiam,siue inter Christum, idest, diuinitatem,& humanam carnem,quam in vtero Virginis suscepit cap.debitum de bigamis, ideo matrimonium,quod non est commistione corporum consumatum,non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum , fuit igitur inter beatam Virginem, & Ioseph perfectum matrimonium, sed perfectum, non ex officio, vt explicat D.August.in cap.Institutum 27.q.2. sed ex ijs, quæ comitantur officium coniugij, ex fide.s.prole, & sacramento , quæ omnia inter Christi parentes fuisse, auctoritate eiusdem D.Augustini probantur.

Quid sit Matrimonium.

Matrimonium definitur per Alexander III.Pontif.Max. in cap.illud de Præsumpt. &
9 Iustinian.Imper. nostrum supra in principio de patria potestate maris, & fœminę coniunctio,indiuiduam vitæ consuetudinē continens,quæ definitio continet causam efficientem,materiam, formam,& effectum,seu causam finalem matrimonij, in primis continet causam efficientem in illis verbis, coniunctio, intelligitur enim de coniunctione ani-
10 morum,cum non concubitus,sed consensus matrimonium faciat l.nuptias.ff.de reg.iur. cap. matrimonium 27.q.2. continet formam pariter in eodem verbo, Coniunctio, nam cum intelligatur de coniunctione animorum,cōstat etiam,quod talis animorum coniunctio haberi non potest,nisi mediantib.verbis,vel signis, duplex enim est consensus,& animorum coniunctio internus,& externus, internus secundum Magistrum Sentent.D.Thomam,Bonauenturam,Scotum,Ricardum,& alios,quos refert,& sequitur Sotus in 3.sent. dist.27.q.1.art.3 non facit matrimonium, ideo si puella,& adolescens sibi obuiantes cupiant,& appetant matrimonialiter coniungi,non dicitur inter eos,per hanc internam voluntatem,& consensum esse contractum matrimonium,sed necesse est,vt talis voluntas,& animorum coniunctio sit externa, hoc est verbis,vel signis expressa, & sic verba contra-
11 hentium in definitione comprehenduntur quibus consensus exprimitur, quæ sunt forma matrimonij Glo.& Abb. in c.Tua de sponf.nu.10.D.Tho.lib.4.sent.dist.26.q.2. Couar.de sponf. 2.par.c.1.§.vnico.nu.8.Alphōsus de Viualdo in suo Candelabro in cap.de matrim. & forma,vbi dicit communem, & Nauar.in suo Emanu.cap.22.nu.20. ex quo deducitur falsam esse opinionem eorum,qui volunt verba,& benedictionem sacerdotis esse formam essentialem matrimonij prout Pisis in circulis falso Collega meus alioquin doctissimus putabat,& tenet Magister Cano de locis theologicis lib.8.cap.5. ad tertium argumentū, Alphonsus à Vera Cruce in append.fol.13.& 26.cum sequentib.necnon Ioan.de Cambis in suo theologicæ veritatis compendio lib.6.cap.38. nam si hoc esset verum, sequeretur necessariam esse illam formam, ego vos coniungo , quod quidem falsum est , vt patet ex Conc.Trid.sess.24.cap.1.de reformat.matrim.dum ait, vel alijs vtatur verbis secūdum vniuscuiusque prouinciæ ritum, ex quo apparet nulla verba sacerdotis esse necessaria ad essentiam matrimonij præter ipsorum contrahentium mutuum consensum verbis expressum, quoniam si essent de forma, non relinquerentur arbitrio sacerdotis, vt illa, vel alia dicere posset,sed posita fuissent verba formalia,quæ nulli mutare licuisset,vt in Baptismo, & alijs, verba igitur Sacerdotis,prout etiam tunc dicebam,sunt tantummodo de solemni-
12 tate Sacramenti,& de præcepto Ecclesiæ,docet hoc S.Tho.lib.4.senten.dist.28.q.1.art.3. & ibi Sotus col.8.post Bonauent.Ricard.Scot.Paludanum,& Durandum ibi quos,& alios refert,& sequitur Didacus Spino à Caceres in suo vniuersæ iuris prudentiæ thesauro Glo. decimaquinta principali num.11. dixi supra,quòd externa animorum cōiunctio est,quę verbis,vel signis est expressa,quia verba non sunt adeo de forma,vt nō possint per signa suppleri, sed possunt adesse signa loco verborum,quæ verbis consensum exprimentibus æquipollent, & hoc non solum in ijs, qui loqui non possunt, vt sunt muti, & surdi de quibus loquitur Innocent.III.Pont.Max.in c.cum apud de sponf. sed etiam in valētib.loqui,
13 siquidem substantia non mutatur ex accidentibus secundum magis communem opinionem,quam tenent Hostien.Ant.Card.Abbas,Præposit.& Ioan.de Imo. in c.tuæ fraternitati de sponf.Glo.in c.sufficiat 27.q.2.& Nauar.in suo Emanuali cap.22.num.20. Matrimonium enim est sacramentum,& de ratione,& natura sacramēti est,vt sit in eo aliquod exterius sensibile signum , vt notat Conarruuias de sponsalibus 2. parte cap.4. num.1.

Verba contrahentium sunt de forma matrimonij.

Verba Sacerdot. sūt de solemnitate Sacramenti.

nec obstat tex.in cap.tuæ fraternitati,de sponsal.dum dicit,verba esse necessaria,nam de-
bet intelligi secundum quid quò ad certiorem probationem,cum certior sit probatio,quę
ex verbis colligitur,ita Imola ibi col.7.& est de mente Abbatis, vel vt patet ex Glosa, &

Materia matrimonij sunt ipsi cōtrahentes.

Summario per verba intelliguntur generaliter signa expressiua,inter quæ verba principa-
tum obtinent secundum Syluestr.in sua summa in verbo matrimonium nume.7. continet
14 materiam definitio nostra in illis verbis,maris,& fæminæ Palud.lib.4.sent.distin.26.quæst.
4.col.4.Adrian.4.sent.Tract.de matrim.quęst.1.Capreol.in 4.sent.distin.26.artic.7.sequi-
tur Couar.de sponsal.2.part.cap.1.§.vnico.num. 8. & nouissime Alexander Carerius D.
Andreę huius ciuitatis prępositus dignissimus,vir summa eruditione,& probitate insignis
in suo Tract.de sponsal.lib.2.cap.1.continet denique effectum, seu causam finalem in illis

Causa finalis matrimonij est indiuidua vitæ cōsuetudo.

15 verbis,indiuiduam vitę consuetudinem continens,quia quò ad propositum debent sic ani-
mo contrahere,vt sint perpetua vitæ consuetudine coniuncti cap.solet 32.q.2.Host.in sua
summa in Tit.de matrimo.§.1 Præposit.in Rubr.de sponsal.col.2.& sic consensus in ma-
trimonio debet esse indiuiduæ consuetudinis inuicem habendæ cap.fœminæ 30.quæst.5.
atque hinc secernitur hæc coniunctio ab ea quæ cum meretrice,vel concubina intercedit
l.1.& pœn.C.de concubinis,quas quis non solum potest,sed debet expellere cap. mere-
trices 32.q.4.rursus dictum est maris,& fœminæ,quia vnus,& vna tantum esse debent,&

Plures vxores habere non licet.

non plures,ideo qui vnam vxorem habet,aliam ducere non potest §.socrum,hoc Tit.cap.
16 gaudemus de diuor.& si quis,duas ducit non solum sit infamis secundum tex.in l.1.ff.de
his qui not.infam.sed etiam pœna stupri punitur, l.eum qui duas C.ad l.Iul.de adult.quæ
est vt honestiores puniantur in confiscatione dimidiæ partis bonorum, humiliores vero
cum corporis castigatione relegentur,& item lex iulia infra de Public. Iudic. Deus enim
Adamo vnicam dedit sic que affatus est,deseret vir patrem,& matrem,& adherebit vxori
suæ,& erunt duo in carne vna.Matth.cap.19.& Luc.16.semperque Dominus noster de
connubio loquens non maritos,nec vxores,sed maritum aut vxorem nominat,& Aposto-
lus Paulus in remedium libidinis suadet,vt suam vnusquisque habeat,nunquam suas dicit,
ex quo constat,apud Christianos explosam esse Platonis,Zenonis,Diogenis,& aliorum
sententiam,qui commmunes vxores esse voluerunt,nam vt inquit Firmianus illa vxorum
communio nihil aliud habet præter adulteria,& libidines,& quamuis sancti patres quan-
doque plures habuerint vt Iacob,Dauid,& alij Genes.cap.29.lib.2.Reg.cap.3.& 20.illud
tamen ex reuelatione diuina factum fuit,vt demonstrat Innocen.3.Pont.Max.in cap. gau-
demus §.nec vlli,de diuor.Comprobat Iustinus martyr in Dialogo cum Triphone Iudęo,
confirmat Coloniense Concilium explicans desponsationem à summo Deo concessam
fuisse ad prenonciandum vni viro scilicet Chisto plures vxores,idest,synagoga,& gentium
multitudinem veluti in vnum corpus esse iungendas,atque ita factum est,vt hac præfigu-
rata coniunctione in Christo Iesu completa , hodie sicut vna est Christi Ecclesia iuxta il-
lud,vna est Columba mea,ita vna tantum , lege gratiæ concedatur vxor,Didacus Couar.
de sponsal.2.parte cap.7.§.3.nu.2.Conc.Trident.sess.24.canon.2.item dictum est in defi-
nitione,coniunctio,triplici respectu,primo,quia est coniunctio animorum ob mutuum

Triplex est coniunctio in matrimonio. Animorū. Corporum. Familiarū

consensum verbis,vel signis expressum,& tunc denotatur matrimonium contractum , &
17 non consumatum,secundo quia est coniunctio corporum per copulam carnalem propter
quam fiunt vna caro vt Matt.cap.9.& tunc matrimonium consumatum comprehenditur,
tertio quia est coniunctio familiarum,ex duabus enim vna fit,& hoc rursus tripliciter,pri-
mo quia coniunguntur patrimonia viri,& mulieris,secundo quia coniungitur in mutua
seruitute iugum coniugale,sicut enim boues sub vno iugo laborantes fructus vberiores
faciunt,ita etiam coniuges,vnde coniugium dicitur,tertio respectu consanguinitatum,&
18 amicitiarum,quas matrimonium maxime conciliat,& coniūgit, propter quod matrimo-

Triplex est indiuiduitas in matrimonio. Animorū. Corporum. Sacramēti.

nium sæpe bonum pacis ,quietisque diuturnæ,publicis,nedum priuatis dissidijs,& contē-
tionibus affert.cap.2.de desponsat.impub. exemplo est nobis Salomon qui ob id filiam
Pharaonis in vxorem accepit Reg.3.cap.3. demum pro fine dictum est, indiuiduam vitæ
consuetudinem continens, ob triplicem indiuiduitatem , animorum, corporum, & sacra-
menti,animorum,quia in matrimonio consensus (vt diximus) debet esse indiuiduæ con-
suetudinis inuicem habendæ , corporum ideo dicitur , propter hoc relinquet homo pa-
19 trem,& matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna cap. gaudemus, ver-
siculo, quia, extra de diuort. Genes. cap. 2. nec habet alter ex coniugatis potestatem sui
corporis cap.si tu abstines 27.quæst.2. cap. quidquid 32. quæst. 2. sacramenti, quia licet
quandoque fiat separatio ex causis,de quibus in tit.de diuort.fit tantùmmodo quò ad to-
20 orum,non autem quoad sacrmentum toti tit.extra de diuort.Concil.Triden.sess.24.can. 5.
7.& 8.Addit definitioni traditæ per Imperatorē Modestinus I.C.in l.1.ff.de ritu nupt.ver-
ba hæc, diuini, & humani iuris communicatio, dicit diuini, quia contrahentes matrimo-
nium

niam debent esse ambo eiusdē religionis,propterea,qui veræ,& catholicæ religionis sunt,
21 alumni cum Paganis,Iudæis,vel Turcis nuptias contrahere non possunt cap.caue,& cap.
si quis Iudaicæ 28.q.1.l.ne quis.C.de Iudæis. Tales enim nuptiæ piorum cum impijs adeo
semper inuisæ sunt rerum omnium effectori, vt olim proluuie, & inundationibus omnia,
quæ super faciem terræ erant penitus deleuerit,quòd filij Dei, hoc est filij Seth filias ho-
minum impiorū vxores sibi adiunxissent,vt Gen.c.6. dr hinc D.Paulus in priore ad Corin.
22 epist.c.6. Nolite,inquit,iugum ducere cum infidelibus,quæ est enim participatio iustitiæ
cum iniquitate? aut quæ communio lumini cum tenebris? Scitum est illud 3.Reg.c.11.
Et auerterunt vxores alienigenæ cor Salomonis post deos suos, celebre est etiam illud o-
raculum,quod diuino afflatu Moses effudit Deuteron.c.7. cum introduxerit te Dominus
Deus tuus in terram, quam possessurus ingredieris, & deleuerit gentes multas coram te,
multo maioris numeri quam tu es,& robustiores te,tradideritq. eas Dominus Deus tibi,
percuties eas vsque ad internicionem,non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum,
neque sociabis cum eis coniugia, filiam tuam non dabis filio eorum,nec filiam earū iun-
ges filio tuo,sed & Nehemias lib.Esdræ 2.ca.13.inquit,& adiurani in Deo,vt non darent
filias suas filijs eorum,& non acciperēt de filiabus eorum filijs suis,& sibimetipsis, dicēs,
an non Salomon in illis peccauit? & certè in multis gentib.non erat Rex similis ei,& di-
lectus Deo suo erat,ipsum tamē in peccatum exteræ mulieres pertraxerunt, plura hac de
re disseruit D.Cyprian.lib.3.ad Quirinum,B.August.lib.1. de adulter.coniugat. & Tertull.
lib.2.ad vxorem, vbi commemorat incommoda matrimonij mulieris fidelis cum viro in-
fideli, adde quòd in talibus nuptijs nullum matrimonij bonum esse potest.

Contrahentes matrimoniū debēt esse ambo eiusdem religionis.

Deus vetat cōiugia cum infidelibus.

Primò enim deest bonum prolis educandæ ad cultum diuinum,quoniam quilibet con-
iugum niteretur prolem ad proprium cultū inducere,ideo Exodi c.3. Deus de Amorrhęis
Chananeis,& alijs quibusdā populis loquens Moysi dixit, caue ne vnquā cū habitatoribus
terræ illius iungas amicitias,quæ sint tibi in ruina,nec vxorem de filiab.eorū accipies filijs
tuis,ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ,fornicari,& faciant filios tuos in deos suos.

In nuptijs infidelium omnia matrimonij bona desunt.

Secundò deficit bonum fidei, quod non est, vt tantum seruetur fides homini, sed etiā
Deo, siue ad Deum, & propter Deum, quia timore, & amore Dei seruanda est fides
coniugij, quod cessat in infidelibus.

Tertiò deficit bonum Sacramenti, quia non est ibi perfecta significatio Christi ad Ec-
clesiam,dicit humani iuris communicatio,quia vxor sortitur domicilium, & forum mariti
23 l.vlt.§.item rescripserunt.ff.ad Municip.eundemq.vidua retinet,donec ad secundas perue-
nerit nuptias l.filij.§.1.eod.tit.ff.ad municip.mariti honoribus decorantur l.fœminæ.ff.de
Senatoribus,& personalia munera,quorum capaces esse possunt,non apud suam originē,
sed apud incolatum mariti subeunt l.1.C.de mulieribus, in quo loco munera sexui con-
gruentia,vel honores agnoscunt lib.10.C.& cum aliter mulier non disposuit,in sepulchrū
24 mariti inferri debet cap.vnaquæque 13.q.2.vel dicit diuini,& humani iuris cōmunicatio,
hoc est diuinæ,& humanæ domus,societas enim vitæ quodammodo participem,ac domi-
nam rerum omnium vxorem facit,atque ideo sacrorum l.1.ff.rer.amot. hinc Gordianus
25 Imper.in l.4.C.de crimine expila.hæredit.vxorem appellat sociam diuinæ,& humanæ do-
mus, humanæ domus appellatione venit forum,& domicilium,diuinæ,sacra priuata intel-
liguntur,erāt enim apud Romanos duplicia sacra,publica,& priuata l.sacrilegi.ff.ad l.Iul.
pecul.publica dicebantur,quæ in hoc consecrata erant, vt publicè colerentur ab omnib.
Sex.Fest.lib.14.priuata erant sacra domestica, quorum meminit idem Fest.lib.17.Cic.2.
de Legib.Plautus in Captiu.Plinius in Paneg. ad Traianum,Valer.Max.lib.2.cap.1. horum
vxor fiebat particeps,& hac de causa Diuini iuris communicatio matrimoniū dici potest,
26 Romulus statuit Dionysio Halicarnaseo auctore,vt fortunarum,& sacrorum inter coniu-
ges societas esset,raptis enim per vim coniugij causa Sabinis mulieribus,quòd iniquo ani-
mo id parentes ferrent,Romulus dixit,patrum id superbia factum,qui connubiū finitimis
negassent,illas tamen in matrimonio,in societate fortunarum omnium, ciuitatisq. partici-
pes esse,vt scribit Liuius,sed dicet aliquis,si hæc verba Modestini Iurisconsulti, Diuini, &
humani iuris communicatio, necessaria sunt, erit ergo defectiuus Iustinianus Imperator
noster in definitione sua, respondeo defectiuum minime esse, quia compręhendi possunt
etiam in definitione Imperatoris,in verbo Coniunctio,cum de legitima, & solemni con-
iunctione intelligatur secundum Card.& Præposit.in Rubr.ext.de spons.nu.5. Et si nimis
generalis hæc responsio videatur,dic, quòd compręhenduntur in illis verbis, indiuiduam
vitæ consuetudinem continens,cum inter dispares cultu indiuidua vitæ consuetudo esse,
nec dici possit Abb.in c.quanto de diuort.nec p hoc superfluus Modestinus appellari po-
27 test,quia ea,quæ ad maiorem declarationem veniunt,superflua dici nō possunt glo.in c.1.
de sum.Trin.& fide cathol.Butr.Host.Io.Andr.& alij in cap.nimis el 1.de exces. prælat.

Mulier sortitur forū mariti.

Mulier infertur in sepulchrum mariti.

Vxor rerū omniū particeps.

Lex Romuli.

R 2 Quot

Tria sunt matrimonij bona. Proles, Fides, & Sacramentũ. Proles est bona tripliciter. Primò, quia parit Deo seruos fideles. Secũdò, quia patria parit ciues. Tertiò, quia sibi parit filios, & hæredes. Fides bonũ triplex Animæ, Corporis, Honestatis. Nulla arctior societas, quam cõiugium. Vxor proba dicitur auxiliũ benedictio & corona viri. Honestatis. Sacramẽti bonum triplex. Sacramentum matrimonij tripliciter gratiam confert.

Quot sunt matrimonij bona.

28 TRiplex debet esse intentio, & finis eorum, qui matrimonium contrahunt, prolis su-
sceptio, fornicationis euitatio, & gratiæ huius Sacramenti consecutio, ideo tria etiã
sunt matrimonij bona Proles, Fides, & Sacramentum cap. omnes 27. q. 2. Proles est bona
29 tripliciter, primo quia parit Deo seruos fideles, qui eum reuerentur, & colunt cap. pudor,
& cap. sicut 31. q. 2. secundò quia patriæ parit ciues, qui eam replent l. 1. ff. soluto matrim.
tertiò quia sibi parit filios, & hæredes secundum naturale parentum desiderium agnatio-
30 nis suæ conseruandæ l. liberorum 220. ff. de verbor. signific. Illud enim vitæ quod à natura
datum est curriculum per breuibus spacijs decurritur, nisi nobis ipso incursu deficientibus
succedant filij, quibus quasi vitæ nostræ lampada tradamus, item vt mortales habeant in
rebus aduersis à quibus iuuentur, & cum ad senium peruenerint à quibus alantur, vt in-
quit B. Hieron. lib. 1. in Iouianum.

Fidei bonum similiter triplex est, Animæ, Corporis, & Honestatis: Animæ ob fornica-
tionis fugam cap. sicut, & cap. quicquid 32. q. 2. Corporis ob mutuam seruitutem, quam
sibi inuicem faciunt coniuges, præsertim in bonorum conseruatione intra, vel extra do-
31 mum, quemadmodum Xenophon docet eo libro, qui œconomicus inscribitur, quem lo-
cum vberius post Ciceronem interpretatus est Columella in procemio libri 12. de re ru-
stica, ad quem libenter institutæ tractationis studiosos remitto, nulla enim est, vt Isocra-
tes in Nicocle ait, neque maior, neque arctior necessitudo, aut societas, quàm matrimo-
nium, idem Columella ex eodem Xenophonte in principio dicti libri 12. refert maritale
coniugium sic comparatum esse natura, vt non solum iucundissima, verum etiam vilissi-
ma vitæ societas iniretur, vnde Ecclesiast. c. 26. quantum adiumenti, quantum hilaritatis,
& lætitiæ vxor proba marito suo adferat sic ostẽdit, mulieris bonæ beatus vir, nam nume-
rum dierum eius conduplicabitur, mulier fortis exhilarat virum suum, & annos vitæ ipsius
replet tranquillitate, itaque in sacris Biblijs vxor proba dicitur auxilium, benedictio, & co-
rona viri, item columna quietis, gaudium domus, &c. honoris, siue honestatis, quia nu-
ptiæ faciunt honestum id, quod turpe esset, & ruborem induceret cap. sicut non omnis
32. q. 2. Sacramenti bonum pariter tribus modis causatur.

Primò, vt coniunctio animorum significet vnionem animæ erga Deum, qui. n. adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo Corin. 6.

Secundò, vt coniunctio corporum significet vnionem verbi, & carnis, & hoc modo misticè dicitur Gen. 2. & erunt duo in carne vna, idest, Deus, & homo in Christo, & hoc respectu matrimonium ratum, & non consummatum, licet sacramentum contineat quoad præcedentem significationem, tamen non continet quoad hanc.

Tertiò, quia vnus vir, & vnica vxor significat vnicum sponsum Christum vnius eius spon
sę Ecclesię, iuxta illud, vna est amica mea, & hoc respectu matrimonium reiteratum, licet
32 habeat Sacramentum in se secundum duas pręcedentes significationes, tamen non habet
secundum hanc tertiam Glo. & Doct. in cap. debitum de bigam. Propterea Sacramentum
matrimonij tripliciter gratiam confert contra triplicem inordinationem cõcupiscentię.

Prima est, quia desiderium nostrum ad omnes mulieres inclinatum ad vnam tantum retrahit, & eius dilectionem inducit.

Secunda est, quia desiderium nostrum copulę per solam delectationem ad desiderium filiorum, & ad mutuum debitũ promissę fidei retrahit, vel saltẽ cõcomitanter accõmodat.

Tertia est, quia desiderium nostrum nouę mulieris cognoscendę ob displicentiam cognitę retrahit ad complacentiam legitimę vxoris, cuius copula displicentiam non inducit Ioan. Brunell. in tract. de sponsalib. Concl. 28.

SVMMARIVM.

1 *Contrahentes matrimonium liberi homines esse debent.*
2 *Hodie etiam inter seruos matrimonium rectè consistit.*
3 *An consensus parentum in matrimonio interuenire debeat.*
4 *Quæ ætas ad matrimonium sit necessaria.*
5 *Cur ducenda sit virgo.*
6 *Cur fœmina citius pubescant quàm mares.*
7 *Aetas qualiter probetur.*
8 *An illi, qui ante tempus pubertatis vim procreatricem habent, rite nuptias contrahant.*
9 *Qualis debeat esse consensus in matrimonio.*
10 *Metus non rescindit matrimonium quando principaliter non infertur ad contractum, sed suapte natura, vel fortuna contingit.*

Metus

12 *Metus non rescindit matrimonium, quando principaliter non infertur ad contractum, sed suapte natura, vel fortuna contingit.*
13 *Error qualiter impediat matrimonium.*
14 *Multa sunt impedimenta matrimonij.*

Quæ requirantur ad iustas nuptias.

QVinque Requisita ponit Imper. hic in principio Tituli nostri, quæ ad matrimonium contrahendum necessaria sunt, & sine quibus iustæ nuptiæ consistere non possunt. *Quinque ad iustas nuptias requiruntur.*

De I. Requisito.

PRimum requisitum est, q. contrahentes sunt Ciues Romani §. 1. hoc tit. hoc est, secundum glo. liberi homines, nã serui non dicuntur matrimoniũ, sed contuberniũ contrahere l. cum ancillis C. de incest. nupt. licet hodie de iure canonico etiã inter ipsos rectè matrimonium contrahatur toto tit. extr. de coniug. seruor. intellige inter seruos de iure Canonico matrimonium consistere, quoties ambo contrahentes serui sunt, vel si vnus liber, & alter seruus, & liber serui conditionẽ non ignoret c. si quis, & c. si fœmina 29. q. 2. secus si vnus sit liber, & mulierem seruilis status imprudenter ducat, nam vbi primum detectus fuerit error, & statim quod scit ipsam seruam esse, potest petere separationem, dirimere matrimonium, & liber alteri copulari c. 2. & fin. eod. tit. de coniug. seru. dixi statim, qđ scit, quia si eam postquam audiuit ancillam esse, carnaliter cognouerit, separationem matrimonij amplius petere non potest, sed eidem in matrimonio permanere debet d. c. 2. *Primo requiritur, q. cõtrahẽtes sint liberi homines. Hodie etiã & inter seruos matrimonium cõsistere potest*

1 (beside "dum glo. liberi homines")
2 (beside "trimonium contrahatur")

De II. Requisito.

3 SEcundum requisitum est, quòd consensus parentum interueniat, in quorum potestate sunt d. §. 1. & hoc olim secundum iura ciuilia adeo necessarium erat, vt sine ipso legitimum coniugium dici non posset, at hodie secundum sacros Canones, leges illæ, quæ in filio, vel filia nubentibus, patris consensum exigunt, ad honestatem potius, quàm ad necessitatem referuntur, honestum quippe est, & rei P. maxime conueniens, filios filiasq. præcipuè in nuptijs contrahendis parentum consensũ n exigere, nam & Hermione in Euripides, Andromacha propria sponsalia patris cura commissa esse palam profitetur, nec virginalis pudoris est maritum sibi eligere auctore D. Ambros. lib. 1. de Abraham Patriarcha cap. 9. quem Gratianus retulit in cap. honorantur 32. q. 2. *Secũdo requiritur cõsensus parentum.*

Cæterum necessarium vtiq. non est, adeo si filius, vel filia matrimonium sine cõsensu parentum contrahat, valet, & tenet matrimonium c. sufficiat, & ibi glo. 27. q. 2. c. veniens el 1. de spons. c. cum causam de raptor. Conc. Trid. sess. 24. c. 1. ex quo constat, filiam sine patris consensu etiam ante 25. annum contrahentem, iure ab ipso exhæredari minime posse, cũ nemini iniuriam faciat, quæ iure permittente matrimonium contrahit Host. Abb. & alij in c. 1. de desponsl. impub. ampliatur etiã si filia nubat turpi, vel indigno, & pater vellet eam tradere æquè digno viro, congrua sibi constituta dote, potius. n. permittenda est hæc iniuria, quæ patri fieri videtur indirectè, quàm quòd libertas matrimonij impediatur, ita Imo. & Alex. in l. 1. nu. 32. ff. solu. matr. Dec. in l. nuptias nu 14. ff. de reg. iur. Căpeg. in suo tract. de dot. par. 1. q. 13. Io. Lup in c. per vestras de donat. inter vir. & vxor. not. 3. §. 9. *Hodie etiã sine cõsensu patris filius matrimoniũ contrahere potest.*

Hæc igitur duo requisita, s. q. contrahentes sint Ciues Romani, & quod patris cõsensus in matrimonio interuenire debeat de iure Canonico amplius necessaria non sunt, quinimo credo simul cum Guiberto Costano in suis memorabilib. quæstionib. aduersus Doct. omnes disputandi gratia, sustineri posse, etiam de iure ciuili patris consensum necessarium non esse, qua de re alibi fortasse dicam, nec huic opinioni refragari videtur Imper. noster, si diligenter expendere volumus, suadere, verbum, quo Iustinianus ipse vsus est, nulla alia ex causa certe, nisi, vt ostendat necessario secundum naturæ rationem patris consensum expectandum non esse, aliud enim est suadere, & aliud necessario aliquid requirere, confirmo, si naturalis ratio necessario exposceret patris consensum in nuptijs, certè nulla differentia constitui deberet inter filium in potestate, & emancipatum, sed dispositum in vno haberet etiam locum in alio, cum naturalis ratio expers sit mutabilitatis, ideoq. tolli iure ciuili, & sic emancipatione non possit §. penult. supra de iure nat. gent. & ciuil. præterea ait Imper. q patris consensus præcedere debet, ibi, nam hoc fieri debere, & ciuilis, & naturalis ratio suadet in tantum, vt iussus parentis præcedere debeat, & tamẽ nulli dubium est, quòd sufficit etiam si sequatur l. si vt proponis huius initij 1. C. de nupt. ergo.

De III. Requisito.

Tertiò requiritur iusta, & legitima ætas.

4 Tertium Requisitum est, quòd contrahentes iustam, & legitimam ætatem habeant; hoc est, vt masculi sint puberes, idest 14. annorum, & feminæ viri potētes, idest duodecim cap. attestationes, de desponsat. impub. l. final. C. quādo tutor, vel curat. esse desinat, ius enim ciuile hoc tempore præsumit eos ad matrimonium consummandum idoneos, & habiles esse, Plutarchus in numa refert, Romanos duodecimum annum coniugio fœminarum præscripsisse, vt pudicitiæ, bonæ que indolis facilius contraherent habitum, quòd
5 tum vitæ consuetudo ad mores informandos accommodatior videretur, qua etiam de causa Hesiodus censet ducendam esse virginem, ibi.

Virginem autem ducito, vt eam probos mores doceas.

Cur fœminæ citius pubescant, quàm mares.

Hinc est, quòd si impubes desponset aliquam per verba de præsenti, non est matrimonium propter defectum ætatis, sed tantummodo iuris interpretatione, & fauore matrimonij cēsentur sponsalia de futuro cap. fin. & cap. attestationes, de desponsat. impub. cur autem fœminæ citius pubescant, quàm mares, à nostris quæritur in l. qua ætate ff. de testā, & Theo-
6 phrastus lib. 1. de causis plant. hanc rationem reddit, quoniam natura spissa, & sicca non facile augentur, cōtra laxa, & humida crescunt celeriter, vt videre est in arboribus, & plantis, atque ideo fœminas celerius augeri, & pubescere, quàm mares, quòd natura humidiores solutioreque sint. Aristoteles de Generat. animal. lib. 4. cap. 6. intra parentem, inquit, longiore quidem tempore fœminæ concipiuntur, quā mares, at vbi in lucem venerint, celerius perficiuntur, nam, & pubes, & vigor, & senectus prius illi obtingunt. Sunt enim fœminæ natura debiliores, frigidioresque, & sexum fœmineum, quasi læsionem naturalē, & detrimentum esse putandum est. Proinde ob suam debilitatem citò ad ætatis florem, senectutemque perueniunt, quum omnia minora, vt in artis, sic in naturæ operibus citius ad finem perducantur, Macrobius Saturna. lib. 7. cap. 7. quòd citò, inquit, admouentur generationi fœminæ, non nimij caloris, sed naturę infirmioris est, vt exilia poma ee lerius maturescunt, robusta serius. Pubertas igitur in fœmina est post duodecimum annum cōpletum, in masculo post decimumquartum, & sic pubertas in nuptijs ex annorum numero pendet, qui annorum numerus iudicibus innotescit.

Aetas varia probatur.

7 Primò aspectu corporis l. minor 33. ff. de minor. l. si alteri. c. si minor se maiorē dixerit. Secundò testibus l. nec omissa C. de liberali caus. l. 2. C. de ijs qui veniam ætatis impetr. Tertiò descriptione censuali l. ætatem ff. de censibus, antiquitus enim eorum, qui censebantur, ætas in acta referri solebat, Ideo Plinius lib. 7. cap. 48. scribit quorundam hominum longissima vitæ spacia libris censualibus fuisse probata.

Quartò nataliū professione, etiamsi à matre, vel auia fiat l. quum de ætate l. etiā, & pen. ff. de probat. olim enim parentes apud Præfectum ærarij diem edebant, quo fibi erant nati liberi, vt liquet ex l. nec omissa, & l. parentes C. de liberal. cau. Iulius Capitolinus de M. Antonio loquens, inter hæc, inquit, liberales causas ita muniuit, vt primus iuberet, apud præfectos ærarij Saturni vnumquemque Ciuium natos liberos profiteri intra trigesimum diē nomine imposito. Per prouincias tabulariorum vsum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ęrarij Dionysius Areopagita prodidit in libro de Ecclesiast. hierarc. tempore Apostolorum inter Christianos moris fuisse, vt in Sacramento baptismi, seu illustrationis eius, qui initiabatur, atque sponsoris nomina Sacerdotes perscriberent, quod, & hodie obseruatur, sed oritur quæstio, si vis ipsa naturę, & generandi facultas tempus legitimę pubertatis pręueniant, an prętextu verę, & naturalis pubertatis rite matrimonium contrahatur.

An naturalis pubertas præueniēs ius tribuat connubij.

8 Constat enim apud Doctores nostros, multos etiam ante legitimum tempus pubertatis vim procreatricem habuisse, affirmat Hostien. in cap. vltimo de eo qui cognouit consanguin. vxor suæ, hoc in puero vndecim annorum euenisse, Albericus de Rosate refert in suo Lexic. in verbo, matrimonium puellam nouem annorum peperisse, & Glosa causa 20. quæst. 1. dicit, puerum nouem annorum grauidam reddidisse nutricem suam, Diuus Hieronymus vir omni exceptione maior, in epistola ad Vitalem, Domino, inquit, teste non mentior, quædam muliercula, quum expositum nutriret infantem, & instillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, cubaretque cum ea paruulus, qui vsque ad decimum iam peruenerat annum, accidit, vt plusquam pudicitia patitur, se mero ingurgitaret, accensaque libidine obscænis motibus ad coitum duceret infantem, prima ebrietas, & alterius noctis, & cæterarum deinceps fecit consuetudinem, nec dum duo menses fuerant euoluti, & ecce fœminæ vterus intumuit, quid plura? dispensatione Dei factum est, vt quæ contra naturam simplicitate paruuli in contemptum Dei abutebatur, à naturę domino proderetur,

idem

idem in eadem epistola docet subducta temporum ratione Salomonem, & Acham vndecimo, seu decimo ætatis anno Roboam, & Ezechiam procreasse, sed id mirabiliter factũ, quæritur ergo, an illi, qui ante tempus pubertati præscriptum, vim procreatricem habent, rite nuptias contrahant, quasi vis generandi legitimã ætatem præueniens, ius tribuat connubij Vlpianus in l. cum hic status §. si quis sponsam ff. de donat. inter vir. & vxor. & Pomponius in l. minorem. ff. de ritu nupt. scribunt, legitimas nuptias contrahi non posse, contrarium, quòd imo præueniente vi procreatrice, ac generandi potestate ante legitimam pubertatem, iustæ nuptiæ contrahi possint, dummodo complexus venereus prætextu matrimonij interueniat, & simul etiam discretio adsit ad consensum coniugalem intelligendum, voluerunt summi Pontifices in cap. puberes, in cap. à nobis, in cap. de illis huius initij 2. & in cap. vlt. de desponsat. impuber. ea ratione, quia legitimæ ætatis defectum tunc dicitur supplere malitia, quæ secundum Couarru. lib. 4. decret. 2. par. cap. 5. num. 3. in duobus consistit, in discretione. s. ad consensum coniugalem intelligendum, & in potentia ad carnalem copulam, ideo in d. cap. vlt. hæc malitia prudentia appellatur, concludo, fęminas post duodecimum annum completum, & masculos post decimum quartum matrimonium contrahere posse, ante non, nisi generandi potestas præueniat, & simul etiam discretio adsit ad coniugalem consensum intelligendum.

An senes matrimonium contrahere possint.

Quid dicendum de ijs, qui ob senilem ætatem pariter vim procreatricem habere non possunt? respõdeo olim ex l. Papia masculis maioribus sexagenario, & fœminis quinquagenario ius connubij denegatum fuisse l. penul. C. de nupt. ratio legis Papiæ erat, quia vis procreatrix plerunque in mares post sexagesimũ, & fœminas post quinquagesimũ ætatis annum deficit Plin. lib. 7. cap. 14. & nuptiæ quærendorum liberorum causa contrahuntur l. si maior. C. de legit. hæredib. hac de causa Augustus Septimiæ nuptias improbauit, quòd quum parere amplius non posset Publio seni nupsisset Valer. Max. lib. 7. Terent. in Adelph.

Ego nouus maritus anno demum quinto & sexagesimo
Fiam, atque anum decrepitam ducam? id ne estis auctores mihi?

Euripides.

Verum senectus Cypridem valere sinit,
Et ipsa Venus infensa est senibus.

Claudius Cęsar, vt docet Tranquillus in eius vita cap. 23. quoad masculos legi Papiæ derogauit, eo quia plerunque mares idonei sint ad procreandos liberos etiam post sexagesimum annum, licet fœminæ post quinquagesimum steriles efficiantur, sic Aristot. de historia animal. lib. 5. cap. 14. inquit, homo mas ad annum vsque septuagesimum potest generare, fœmina vsque ad quinquagesimum, verùm id raro, paucis enim proles in eo ætatis tempore procreata est, sed magna ex parte maribus finis procreãdi est anno sexagesimoquinto, fœminis quadragesimoquinto D. August. de Ciuit. Dei lib. 16 cap. 28. si fœmina, inquit, ita sit prouectioris ætatis, vt ei solita mulierum adhuc fluant, de iuuene parere potest, de seniore non potest, quamuis possit ille senior de adolescentula gignere, sicut Abraham post mortem Saræ de Cethura potuit, & lib. 3. contra Iulianum ait, quòd cùm anni maris, & fœminæ computati, & in vnum adducti cẽtenos excedunt, amplius liberos procreare non possunt, at Iustinianus Imperator noster legi Papiæ tàm in masculis, quàm in fœminis derogauit, omnibus etiam decrepitæ ætatis ius connubij concedens l. penult. C. de nupt. quo casu nuptiæ secundum canones non tàm incontinentię remedium, quàm humanitatis solatium dicuntur cap. nuptiarum 37. q. 1. Glo. in cap. 2. de frigid. & malefic.

De IV. Requisito.

Quarto requiritur cõsensus eorũ, qui cõtrahunt.

Tria impediunt consensum.

Defectus ætatis.

Defectus intellectus

9 QVarto, & magis principaliter requiritur consensus eorum, qui contrahunt cap. sufficiat. 27. q. 2. qui liber, & spontaneus esse debet, ideo quæcumque impediunt liberã præstationem huius consensus, impediunt etiam matrimonium, impedimenta sunt tria, defectus ætatis, vnde impuberes de pręsenti contrahere non possunt Tot. tit. extra de desponsat. impub. dixi supra, defectus intellectus, ideo furiosus non contrahit cap. dilectus, & ibi Doct. notant. extra de sponsal. nisi dilucida dierum interualla habeat, & eo tempore, quo sanæ mentis est, & cessit furor, contrahat. Glo. in d. cap. dilectus, sed an tempore contractus fuerit sanæ mentis nec ne, id ex ipsius actus qualitate præsumi debet Iason in l. furiosum C. qui testam. facer. poss. col. 3. & cons. 178. vol. 2. ex actionibus enim, & signis exterioribus iudicatur furor. l. quidã in suo ff. de condit. instit. & fatuus dicitur, qui fatua dicit, vel facit. cap. legimus 93. dist. sic nec mente captus matrimonium contrahere potest, cum intellectu careat Socin. cons. 47. vol. 3. col. 3. Nauar. in cap. si quando, extra de rescript. exceptione 9. col. 30. Tertium impedimentum est inuoluntarietas, idest, non spontanea

præstatio

Defectus liberi consensus.

præstatio consensus cap.requisiuit,de sponsalius,& hæc inuoluntarietas tripliciter causatur ex vi,metu,& errore,de vi,& metu habemus in cap.cum locum,de spõsal. vbi Alexãder Tertius Pont.Max.statuit matrimonium vi,vel metu cõtractum ipso iure nullum esse, nam dum coactio, &, metus excludunt consensum,debent etiam consequenter actum à consensu dependentem annullare,confert tex.in cap.veniens,vbi Abb.& Doct.de sponsal. intellige,dummodo talis sit metus,qui possit cadere in constantem virum,vel constantem fœminam cap.consultationi, in fine, de sponsal. Glosa in cap.cum dilectus, de ijs quæ vi

Vis,& metus qualiter nullum matrimonium reddant.

10 metusve causa fiunt,secus si vanus esset timor, nam vani timoris nulla est excusatio. leg. vani timoris ff.de regul.iuris,notandum tamen est,quòd minor metus.in muliere sufficit, & magis eam excusat,quàm virum,propter imbecillitatem sexus, Glos.Abb.& Præposit. in cap.cum locum,de sponsal.ideo,an metus sit talis,qui possit cadere in personã relinquitur arbitrio iudicis,qui ex circunstantijs hoc æstimare debet. Glos.Innocent.& Abb. in cap.cum dilectus,de ijs quæ vi metusue causa fiunt hinc Cornelius tacitus lib. 15. scribit, Netonem ratum muliebre corpus minus impar dolori,quàm virile à libertina tormenta incepisse,laudaturque illius libertinæ constantia,quasi illa non sit fœminis communis,Hieroni.in epistola ad Innocent.tom.1.meminit cuiusdam fœminę quę accusata de adulterio sæpissime tormentis subiecta,constans ad eò fuit,vt adultero id crimen confitente, ipsa constanter negauerit,nec vnquam illud crimẽ palam fecerit,laudatur,& Attica meretrix, quæ familiaris Harmodio,& Aristogitoni consilia eorum de Tyrannicidio vsque ad mortem excruciata Tyrannis non prodidit, cuius meminit Plin. lib. 7. cap. 23.& lib. 34.cap.8. ampliatur vt matrimonium metu contractum ipso iure sit nullum,etiam si metum passus dederit coactioni causam,veluti si iuuenis repertus de nocte in domo vel lecto mulieris metu armorum per patrem, vel alios consanguineos mulieris coactus sit cum ea matrimonium contrahere l.nec timorem §.1.ff.quòd met.caus. Glos. per tex. ibi communiter recepta in cap.veniens,el secundo de sponsalib.quem tex. dicit singularem Felin. in cap. cum inter.num.10.de except.

Minor metus in muliere sufficit.

Secundò ampliatur, vt habeat locum etiam si iuramentum interueniat, cum per illud metus non purgetur,nec defectus consensus suppleatur Glo.& Doct. per tex. ibi in cap. significauit,de eo qui duxit quam prius polluit per adulter Couar.lib.4.decret.2. parte cap.3.§.5.num.3.limitatur,vt non procedat, quando metus principaliter non infertur ad

11 contractum,sed suapte natura vel fortuna contingit,puta si matrimonium contractum sit ab existenti in mortis periculo,naufragij,prælij,ægritudinisve causa cum concubina, ex eo enim non erit nullum,quod timore illius periculi sit contractum, quòd aliàs minime contraheretur,& ratio est,quia talis metus ad illum actum non fuit illatus, sic si quis dãnatus ad mortem meretricem in vxorem accipiat, præmissa consuetudine, qua damnati ad mortem meretricem vxorem accipientes dimittuntur,non poterit allegare matrimonium esse nullum propter metum mortis,quia is metus à nemine ad illum cõtractũ agendum infertur Couar.lib.4.Decret.2.part.cap.3.§.4.nu.17.

Secundò limitatur,vt non procedat in simplici metu reuerentiali,veluti si filius,vel filia propter reuerentiam paternam contrahat cum aliqua, vel aliquo, quem aliàs non duxisset,Glosa Abb.& Doct.in cap.1.de desponsat.impub.Glosa in cap. pręsens clericus 20. q.3.facit tex.in l.si patre cogente,iuncta Glosa.ff.de ritu nupt.

Tertiò limitatur, quando post metum interuenit spontanea cohabitatio, per quam spontaneam cohabitationem si tanti temporis sit,ex qua possit præsumi sublatam fuisse timoris causam,& spontaneum consensum accessisse,purgatur metus,tex. est secundum Io.Andr.Abb.& Pręposit.ibi in cap.ad id,desponsal.Oldrad.cons.35. dicit, cohabitationẽ metum expurgare,quando illa cohabitatio contingit,postquã causa metus recessit, hinc Glos.in d.cap.ad id dicit, effuge cum poteris, ne consensisse putetis, iudex igitur valde circunspectus esse debet,nam si probabiliter,timet de libero cõsensu virginis, debet ipsã in loco tuto,& honesto deponere,vt libere valeat consensum exprimere,tex.est in cap.cũ locum de sponsal.& in l.3.in fine ff.de libero homine exhib.cõsuluit Paul.de Castro cõs. 127,vol.1.hac de causa Sacrosancta Tridentina Synodus de reform.matrim.sess. 24. can.

12 6.statuit inter raptorem,& raptam,quandiu ipsa in potestate raptoris manserit,nullum posse consistere matrimonium,sed solum si rapta à raptore separata,& in loco tuto, & libero constituta illum in virum habere consenserit, de errore habetur in l.si per errorem ff.de iurisdict.omnium iudic.vbi error consensum excludit,& consequenter actum à consensu dependentem,annullare debet,sed quia non omnis error impedit matrimonium, ideo sciendum est,quòd error alius est personę, alius conditionis, alius fortunę, & alius qualitatis,error personę est,quando hic putatur Vergilius,& est Plato,conditionis,quãdo putatur liber,& est seruus,qualitatis,quando putatur bonus,& est malus,fortunę,quando

Error quadrupl. est. Personæ. Cõditionis Qualitatis Fortunæ.

putatur

putatur diues,& est pauper,error personæ,& conditionis,quoniam tollit cõsensus libertatem,impedit etiam matrimonium,ideo si quis contrahat cum Iustina,credens esse Catherinam,non consentit in matrimonium cum Iustina, sic qui contrahit cum ancilla, cre- *Error qualiter impediat matrimonium.*
13 dens esse liberam, nullo pacto in coniugium consentit cap. 2. de coniug. seruor. sed error qualitatis,& fortunæ cum non excludat consensum,non impedit etiam matrimonium,is enim qui contrahit cum Iustina paupere,credens esse diuitem,consentit in illam, & matrimonium cum ea contrahit,idem est dicendum de eo,qui credit,Iustinam esse nobilem, cum sit ignobilis,vel bonam,cum sit mala Causa 29.quæst.1.per totam,ratio differentiæ est,quia error tunc impedit actum,quando contingit circa ea,quæ sunt de essentia matrimonij,nempe circa personas,& circa mutuam corporum potestatem, ideo nimirum est si impediat,at quando contingit circa qualitatem personæ,& fortunæ,non vitiat matrimonij actum,quia hæc non sunt de essentia,Glosa singularis secundum Abb. ibi in cap. cum dilectus,de ijs quæ vi metusve causa,sed quæro, Mulier nobilis Patauina contrahit cum aliquo,credens esse filium alicuius Regis,Ducis,Comitis,aut alterius, cuius non est,an valeat matrimonium ? quidam dicunt,valere,quia est error qualitatis,qui matrimonium non impedit,alij negant validum esse,voluntque non qualitatis,sed personę errorem esse, Ego ex D.Thoma lib.4.sent.dist.30.Syluest.in verbo,matrimonium 8. nu.1.& Nauaro in suo Emanual.cap.22.nu.32.duo capita pro resolutione , & perfecta huius rei cognitione obseruanda esse censeo.

Primum caput est,quando mulier cõtrahit cum aliquo,quem credit esse filium Regis, Ducis,aut Comitis indeterminate.

Secundum est,quando contrahit,credens esse filium Regis, Ducis, aut Comitis determinatè,puta talis,in primo capite valet matrimonium,quia est error qualitatis,in secundo est distinguendum, nam aut mulier consentit directè in personam eius , qui præsens est,nec cognitionem aliquam habet talis Regis,Ducis,vel Comitis,nec talis filij,& in hoc casu similiter valet matrimonium,quamuis credat alium esse,quia, & iste est error qualitatis, aut non consentit directè in personam præsentem, sed in filium talis Regis, Ducis, aut Comitis,& tunc quia intendit consentire in filium talis,si alius præsentetur,non valet matrimonium,quia est error personæ, eadem distinctio recipienda est etiam in eo,qui asserit se esse primogenitum alicuius,vt dictis locis Syluest.& Nauar.probant.

De V. Requisitio.

QVinto, & vltimo requiritur, quòd contrahentes sint habiles ad contrahendum, hoc est,non impediti,ibi,secundum præcepta legum,quę impedimenta multa à Canonibus nostris referuntur,scilicet, error, votum,cognatio,crimen,cultus disparitas,vis,metus,ordo,ligamen,honestas,affinitas,& coeundi impotentia,de ligamine,& cultus dispa- *Quinto cõtrahentes habiles ad cõtrahendum esse debent.*
14 ritate dictum est supra in definitione,de vi,metu,& errore in quarto requisito, de cognatione,affinitate,& honestate tractat Imperator infra in §.ergo non omnes,in §.affinitatis, & in §.si vxor,de alijs,scilicet,voto,crimine,ordine,& coeundi impotentia nullam mentionem facit Imperator hic in tit.nostro,nos tamen suo loco explicabimus. *Impedimẽta matrimonij multa sunt. Error, votũ, cognatio, crimẽ, cultus disparitas, vis metus ordo ligamẽ honestas, affinitas, & coeundi impotentia.*

§. Ergo non omnes, & §.Inter eas,cum tribus seq.

SVMMARIVM.

1 *Cognatio triplex est,spiritualis, carnalis, & legalis.*
2 *Spiritualis cognatio quæ sit, & qualiter matrimonium impediat.*
3 *Quæ sit carnalis cognatio.*
4 *Vnde dicatur.*
5 *Quid sit stipes.*
6 *Quid linea.*
7 *Linea quotuplex sit.*
8 *Gradus quid sit.*
9 *Matrimonium inter ascendentes & descendentes vsque ad quem gradum sit probibitũ.*
10 *Nefariæ & incestæ nuptiæ quæ dicantur.*
11 *Matrimonium inter Collaterales vsque ad quem gradum sit probibitum.*
12 *Quæ sit legalis cognatio, & qualiter matrimonium impediat.*

TRactat Imperator in hoc §. & sequentibus de impedimento cognationis , quæ triplex est,spiritualis,quæ ex Baptismo,& Crismate contrahitur,carnalis, quæ ex consanguini- *Cognatio triplex.*

Spiritualis Carnalis. Legalis.

1 sanguinitate ducitur,& legalis,quæ fit per adoptionem, de cognatione spirituali hic Imperator nullam mentionem facit,sed solum de carnali,& legali,ego tamen vt totius materiæ perfectam cognitionem tradam,spiritualem cognationem non ommittam.

Quid sit spiritualis cognatio.

Spiritualis cognatio quid.

SPirituales cognatio secundum Doct. omnes in Rubrica extra de cognat.spirit. est quędam personarum proximitas, quæ ex statuto Ecclesiæ oritur per Baptismi,& confirmationis administrationem,vel susceptionẽ Baptizati,vel confirmati, de qua extat in iure canonico integer tit.de cogn.spirit.& hæc olim triplex erat Paternitas, Compaternitas,& Fraternitas: Paternitas est,quæ contrahitur inter baptizantem,& baptizatum, & inter suscipientem,& susceptum, sub qua comprehendebatur etiam suscipientis vxor, quæ tempore sacramenti à viro cognita fuisset, vt in cap.1.de cognat.spirit.lib.6. Compaternitas est,quæ contrahitur inter Patrem,& matrem baptizati ex vna parte, & ex altera inter baptizantem,& patrinum, vel patrinos, qui ex sacro fonte suscipiunt: Fraternitas est, quæ contrahitur inter baptizatum,& filios naturales baptizantis,& patrinorum,etiam non legitimos,& etiam habitos post baptismum; Verum hodie ex œcumenico Tridentino Cõcilio hæc spiritualis cognatio contrahitur tantum inter suscipientem,& susceptum,& illius patrem,& matrem,necnon inter baptizatum,& baptizantem,siue sit clericus,siue laicus,
2 qui baptizat,siue vir,siue fœmina baptizatique patrem,& matrem, idemque seruandum esse in ea cognatione,quæ ex sacramento confirmationis oritur, apertissimis verbis statuit sess.24.can.2. & quia hæc cognatio valde impedit nuptias,eadem Tridentina Synodus decreuit,vt vnus tantum,siue vir,siue mulier,vel ad summum vnus,& vna baptizatum de baptismo suscipiant, quòd si alij vltra designatos baptizatum tetigerint cognationem spiritualem nullo prorsus modo contrahant, cognatio verò per cathechismum,qui baptismo tanquam exordium est (est enim cathechismus instructio, quæ fit ante baptismum,& hodie est ille actus, qui fit ante portam per sacerdotem, antequam puer admittatur ad Ecclesiam cap.ante baptismum de consecrat.distinct.4.) impedit matrimonium non autem dirimit cap.2. de coguat. spirit. lib.6.

Quid sit consanguinitas.

Quid sit cõsãguinitas.

3 COnsanguinitas, quæ generali nomine cognatio etiam dicitur, est vinculum personarum ab eodem stipite propinquo descendentium, vel quarum vna descendit ab alia carnali propagatione contractum, dixi ab eodem stipite propinquo, ex eo quod descendentes ab eodẽ stipite, remoto tamen non sunt consanguinei,alias omnes homines consanguinei forent,cum ab Adamo descendant,dixi,vel quarum vna descendit ab alia,ne patris,& filij coniunctionem excludamus,pater enim, & filius sunt consanguinei, quia vnus ab alio descendit.

Vnde dicatur consanguinitas.

Vnde dicatur consanguinitas.

4 COnsanguinitas dicitur à con,& sanguine,quasi sanguis vnitas,hinc consanguinei seu cognati vocãtur,quasi de vno,& cõi sanguine nati l.non facile ff.de gradibus cognat. nec refert quò ad prohibitionem coniugij, an tales consanguinei sint producti ex vxorio coitu,an ex fornicatio cap.per tuas,& ibi Abb.nu.5.extra de probat.Ioan.Andr.& Prepo- sit.in arbore consanguinitatis,nu.5.dicam infra.

Quæ considerentur in consanguinitate.

Quæ considerentur in consanguinitate.

TRia potissimum in consanguinitate consideranda veniunt.s. stipes linea,& gradus.

Quid sit Stipes.

Quid sit stipes.

5 STipes est persona illa,à qua aliæ omnes personæ,de quarum coniunctione quæritur, descendunt,& originem ducunt, nec in computationem personarum ad constituendum gradum æqualis,vel inæqualis lineæ venit.

Quid sit Linea.

Quid linea

6 LInea est collectio personarum ab eodem stipite descendentium, diuersos gradus cõtinens,& numeros distinguens Host.in §.quid linea, extra de consang.& affinitat.

Quotu-

Quotuplex sit Linea.

7 LInea triplex est, ascendentium, descendentium,& Colateralium, ascendentium dicitur illa, in qua continentur personę, à quibus nos originem duximus, vt Pater, Auus, Proauus, Abauus, Atauus, & cęteræ personæ ascendentes in infinitum, descendentium, in qua continentur personæ, quæ à nobis originem duxerunt, vt sunt filij, nepotes, pronepotes, trinepotes, & cæteri descendentes in infinitum, collateralium, seu transuersalium linea est, in qua continentur personæ, quæ ex latere, & transuerso iunctæ sunt, à quibus nos nõ duximus originem, neque ipsi à nobis, & tamen ab vna stirpe, & sanguine propagati sumus, vt fratres, & eorum filij, Patruus, Amita, ac reliqui transuersales, & hæc transuersaliũ linea rursus duplex est, æqualis, & inæqualis, æqualis linea dicitur, quando gradus illorum, de quorum consanguinitate quæritur, æqualiter, & pariter distant à communi stipite, veluti, duo fratres sunt in linea æquali, vterque enim pariter distat à stipite, scilicet, patre, vnọ gradu, inæqualis dicitur, quando vna persona aliam in gradu præcedit, & personæ, de quarum consaguinitate quæritur, non pariter distant à communi stipite, vt est in fratre, & fratris filio, quia frater distat à stipite, patre, scilicet, vno gradu, filius vero fratris distat secũdo gradu, & sic in inæquali linea esse dicuntur, hæc omnia habentur in cap. 1. 35. quæst. 4. & per Tot. Tit. ff. de Gradibus, item linea alia est paterna, cuius caput est pater, alia materna, cuius caput est mater. *Linea triplex est. Ascendentium. Descendentium. Collateralium. Collateraliũ triplex. Aequalis. Inaequalis. Paterna. Materna.*

Quid sit Gradus.

8 GRadus secundum Io. And. in arbore consanguinitatis, est interuallum personarum, qno cognoscitur quota generationis distantia vna persona ab alia distat, & dicti sunt gradus ad similitudinem graduum scalarum, locorumve procliuium, quos ita ingredimur, vt à proximo in proximum, idest, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus, auctore Paulo Iuris Consulto in l. Iuris Consultus, versiculo Gradus ff. de gradibus. *Quid sit Gradus. Gradus unde dicti.*

Quomodo Gradus computentur.

GLoriatur Alex. II. in cap. ad sedem Apostolicam 35. quæst. 5. se in synodo habita in Lateranensi consistorio, conuocatis ad hoc Episcopis, & Clericis atq; iudicibus diuersarum prouinciarum, errorem illorum, qui confisi legibus, quas Iustinianus Imperator de successionibus consanguineorum prolungauit, veterem ecclesiæ computationem graduum disturbare nituntur, sustulisse, certumque modum dinumerationi graduum consanguinitas dedisse, circa quod animaduertendum est, quòd in computatione graduum ius ciuile multum discrepant, aliter enim computantur Gradus secundum leges, aliter secundum canones. *Gradus quo modo computentur.*

Quomodo computentur Gradus secundum leges.

IVris Cæsarei interpretes duas regulas constituunt, quarum prima ad ascendentes, & descendentes, altera ad collaterales tam equalis quàm inæqualis lineæ spectat. *Computatio graduũ secundum leges. Prima Regula in linea Ascendentium, et Descẽdentium.*

Prima regula est, in linea recta ascendentium, & descendentium tot sunt Gradus, quot sunt personæ, vna dempta, videlicet dempto stipite, à quo supputatio initium habet, vt

David
Salamon
Roboam
Abia
Asa

Si quæratur, quoto gradu distent inter se David, & Asa, numerantur personę, scilicet, David, Salamon, Roboam, Abia, Asa, & sic quinque personæ reperiuntur, dempto stipite supersunt quatuor, sunt igitur David, & Asa in quarto gradu coniuncti, Abia, & David in tertiò, Roboam, & David in secundo, Salamon, & David in primo, & sic filius primum gradum constituit, nepos secundum, pronepos tertium, abnepos quartum, Secunda regula, in linea transuersalium tot sunt gradus, quot sunt personæ, stipite dempto, & hæc regula locum habet tàm in linea æquali, quàm inæquali, numeranturque personæ ascendendo, & descendendo, computando enim debemus reuerti ad stipitem, & omnes personæ ascendendo vsque ad stipitem, & inde descendendo computantur, exemplum. *Secũda regula in linea collateralium.*

Æacus
Peleus Telamon
Achilles Aiax
Pyrrhus

Si vis scire, in quo gradn de iure ciuili sint sibi inuicem coniuncti Peleus, & Telamon, numerando personas inuenies tres, scilicet Peleum, Aecum, à quo descenderunt, & Telamonem, dempto stipite remanent duæ personę, quę duos, gradus efficiunt, ascendendo enim

enim à Peleo ad Aeacum habes vnum gradum, deinde descendendo à stipite ad Telamonem habes secundum, & sic duos gradus, Pleus igitur, & Tealmon sunt in secundo gradu, Achilles, & Aiax in quarto, Pyrrhus, & filius Aiacis, si fuisset, in sexto, & sic fratres secundum ius ciuile sunt in secundo gradu, filij fratrum in quarto, nepotes in sexto, & ita de reliquis, in linea autem inæquali, si vis scire in quo gradu sint Achilles, & Telamon, numerando personas, vt supra inuenies, quòd sunt in tertio gradu, Pyrrhus, & Telamon in quarto, Pyrrhus, & Aiax in quinto, & sic deinceps.

Quomodo computentur Gradus secundum Canones.

Computatio graduū secundum canones.

Circa graduum computationem iuris pontificij auctores tres regulas cōstituunt, quarum prima ad ascendentes, & descendentes, secunda ad collaterales in linea æquali, tertia ad collaterales in linea inæquali spectat.

1. Regula.

Quo ad computationem graduum in linea recta ascendentium, & descendentium attinet, nulla est differentia inter ius ciuile, & ius canonicum, eadem enim regula de iure canonico traditur, quæ supra de iure ciuili relata est, videlicet, tot esse gradus, quot sūt personæ, vna dempta, dempto scilicet stipite, exempla posui supra, propterea hic nō repeto.

2. Regula.

Secunda regula in linea transuersa æquali, si duæ sunt personæ equaliter distantes à cōmuni stipite, quoto gradu distat altera earū à communi stipite, toto gradu inter se distant. cap. parentelæ 35. quæst. 5. vt

Æacus	
Peleus	Telamon
Achilles	Aiax
Pyrrhus	

Peleus distat à stipite primo gradu, ergo Peleus, & Telamon inter se primo gradu distant, Achilles distat à stipite secundo gradu, ergo Achilles, & Aiax inter se secundo gradu distant, Pyrrhus distat à stipite tertio gradu, ergo Pyrrhus, & filius Aiacis inter se tertio gradu distant, & sic semper duo gradus legales vnum canonicum constituunt, vt dicitur in d. cap. ad sedem 35. q. 5. Fratres enim, qui secundum leges, vt vidimus supra, in secundo gradu dicuntur esse, secundum Canones numerantur in primo, filij fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo, nepotes qui in sexto ibi, istic numerantur in tertio, & sic deinceps.

3. Regula.

Tertia regula, in linea transuersalium inæquali, si duæ personæ non descendunt æqualiter, sed vna est à communi stipite remotior altera, quoto gradu remotior distat à communi stipite, eodem gradu à se quoque distant, & sibi attinent, vt

Æacus	
Peleus	Telamon
Achilles	Aiax
Pyrrhus	

Si vis scire, quoto gradu inter se distent Pyrrhus, & Telamon, vel Pyrrhus, & Aiax, numerationem facere debes à remotiori persona, & sic à Pyrrho ad communem stipitem inuenies, quòd Pyrrhus distat à stipite tertio gradu, ergo & à Telamone, & ab Aiace tertio gradu distat, & sic Pyrrhus, qui secundum ius ciuile à Telamone quarto, & ab Aiace quinto, vt supra demonstrauimus, secundum Canones tertio tantum distat.

Ratio diuersitatis inter ius ciuile, & canonicum quo ad cōputationē graduum.

Ratio diuersitatis inter ius Ciuile, & Canonicum, quo ad hanc computationem graduum ex vtriusque fine percipi potest, in legibus enim, vt inquit summus Pont. in d. cap. ad Sedem 35. q. 5. ob nihil aliud ipsa graduum mentio facta est, nisi vt hæreditas, vel successio ab vna ad alteram personam, inter consanguineos deferatur, ideo de iure ciuili secundum personarum numerum computantur gradus, in Canonibus verò ob hoc progenies computatur, vt apertè monstretur vsque ad quotam generationem à consanguineorum nuptijs sit abstinendum, cum igitur nuptiæ sine duabus non valeant fieri personis, canones etiam duas in vno gradu personas constituunt, quoties igitur tractatur de successionibus proximo consanguineo deferendis, vt qui defuncto in gradu sit proximior, cęteris præferatur, tunc secundum ius ciuile gradus computari debent, neque hoc casu computatio canonica etiam in terris Ecclesię attenditur, sed in vtroque foro seruatur cōputatio ciuilis, è contra in causis matrimonialibus, quando quęritur de consanguineis, in quo gradu liceat eis matrimonium contrahere, obseruatur computatio canonica, tam in terris Ecclesiæ, quàm Imperij d. cap. ad Sedem 35. quæst. 5.

His præmissis, restat nunc videndum vsque ad quem gradum matrimonium, primò inter ascendentes, & descendentes, deinde inter collaterales sit prohibitum.

Matrimo-

Matrimonium inter ascendentes, & descendentes vsque ad quem gradum sit prohibitum.

9 MAtrimonium inter ascendentes, & descendentes in infinitum prohibitum esse cōstat, adeò quòd si Adam hodie superstes esset, exticta Eua, nō posset aliam ducere vxorem §. ergo non omnes hoc tit. l. nuptiæ, & ibi glo. ff. de ritu nupt. Abb. in cap. non debet de consangu. & affinit. nu. 8. Talesque personæ si inter se coierint nefarias, atque incestas cōtraxisse dicuntur d. §. ergo non omnes, nefariæ nuptiæ appellantur secundum Varron. lib. 1. de Vita Pop. Rom. eò quòd fatre, idest, vita indigni sint, qui tantum scelus admittunt, incestæ quasi à cestu cingulo illo Veneris abhorreant, quo in nuptijs honestis vtebantur.

Matrimonium inter ascendētes & descendētes in infinitum est prohibitū. Nuptiæ nefariæ. Incestæ.

10 Verum quamuis horum verborum vsus promiscuus sit apud nostros Iurisconsultos, vt ex hoc loco apparet, proprie tamen nefariæ nūptiæ dicuntur, vt animaduertit Aldobrand. hic nu. 4. illæ, quæ inter ascendentes, & descendentes contractæ sunt, incestę, quę inter collaterales in vetitis gradibus contrahuntur, ratio autem cur inter ascendentes, & descendētes matrimonium sit prohibitum, ea est secundum Platonem in 4. de legibus, quòd ex discrepantium ætatum coniunctione, nimirum imbecilles partus dantur, & parētum prouecta iam ætas, adolescentulorum matrimonijs non bene cōueniat, hæc Platonis ratio grauis est, sed grauiores sunt, quæ à nostris auctoribus adferuntur, Paulus Iureconsul. in l. adoptiuus §. vnde nec vulgò ff. de ritu nupt. idcirco inter parentes, & liberos matrimoniū prohiberi tradit, quod in matrimonijs contrahendis naturale ius, & pudor debeat inspici, & contra pudorem est, filiam suam vxorem ducere, hanc ipsam rationem idem Paulus indicat in l. vlt. ff. de ritu nupt. iuregentium, inquit, prohibitum est, ne quis ex gradu ascendentium, & descendentium vxorem ducat, ius gentium, ius naturæ vocat, vt & alibi sæpe dicitur, hinc Paris apud Ouidium in Epistola ad Helenam, inquit.

O decus, o præsens geminorum gloria fratrum,
O Ioue digna viro, ni Ioue nata fores.

Et sanè natura satis edocti sumus illicitam, & nefariam illam esse coniunctionem, quam bruta etiam quædam animantia perhorrescunt, & mirum in modum auersantur Arist. lib. 9. Animal. cap. 47. refert, Camelos nunquam cum matribus consuetudinem habere, & cum aliquando Curator matri opertæ pullum admisisset, is operimento delapso, & matre cognita, camelarium morsu defixo interemit, Scytharum Regi equam fuisse egregiā legimus, ex qua mares generosi omnes nascebantur, aliquando vnus, qui reliquis præstantior habebatur, matri fuit admissus, vt ex ea procrearet, sed id facere recusauit, postea matrē opertā imprudens superuenit, & vbi à concubitu faciem matris detectā agnouit, prærupta petijt, & exanimatus est, Claudius Imperator fœminam non agnoscentem filium suum, dubia vtrinq. argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio iuueni, Sueton. in Claudio cap. 15. similia exempla commemorat Varro lib. 1. de re rusti. cap. 14. Plin. histor. natural. lib. 8. cap. 42. Denique ideo inter ascendentes, & descendentes matrimonium est prohibitum, ne cognationis nomina confundantur, ac maritus, & pater idē fiat, eiusdemque sit vxor, & mater, Ouidius lib. 10. Metamorph.

Vltra autem sperare aliquid potes impia virgo?
Nec quot confundas, & iura, & nomina sentis?
Tu ne eris, & matris pellex, & adultera patris?
Tune soror nati? genitrixq. vocabere fratris?
Nec metues atro crinitas angue sorores,
Quas facibus sæuis oculos, atque ora petentes
Noxia corda vident? at tu dum corpore non es
Passa nefas, animo ne concipe, neve parentis
Concubitu vetito, naturæ pollue fœdus;

Huiusmodi tamen nefarias nuptias multi contraxerunt, vt Assyrij, Semiramis enim Regina Assyriorum, quæ equum etiam vsque ad coitum adamauit, filio nupsit, & ne videretur incestuose fecisse, lege lata parentum, & liberorum matrimonia inter se permisit, sic apud Arabas, Persas, Mauros, Babylonios, & alios populos, parentum, & liberorum matrimonia, turpia habita non sunt, vt notat Tiraquel. in l. 7. connub. num. 31. & Alex. ab Alex. libro 1. Genial. Dier. cap. 24. Myrrha cum Cinyra patre arderet in argumentum vocauit, apud Ouid. lib. 10. Metamorph.

. . . . Gentes tamen esse feruntur,
In quibus, & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur, & pietas geminato crescit amore,

Me miseram quod non nasci mihi contigit illic
Fortunaquè loci lædor, quid in ista renoluor,
Spes interdictæ discedite, dignus amari
Ille, sed vt pater est, ergò si filia magni
Non essem Ciuyræ, Ciuyræ concumbere possem.

Sed huius generis exempla, horrenda, & detestanda sunt, nec enim peruersæ quarundam gentium mentes, & peruersi mores, quicquam ex diuino, siue naturali iure immutare possunt, aut debent §. fin. supra de iur. natur. gent. & ciuil. dignumq. memoria est, quod mater Dionysij Tiranni Siciliæ dixisse fertur, cum conatus esset filius illi stuprum inferre, Tyrannum ciuiles quidem leges mutare posse, non naturales.

Matrimonium inter Collaterales vsque ad quem gradum sit prohibitum.

Matrimonium inter collateral. vsq; ad 4. gradum est prohibitū.

11 OLim vsque ad septimum gradum consanguinitatis cōputando gradus secundū canones matrimonium inter Collaterales prohibitum fuit cap. nulli 35. q. 2. at hodie prohibitum est tantummodo vsque ad quartū gradum inclusiuè, ita quod in ipso quarto gradu non licet matrimonium contrahere §. inter eas quoque, & §. fratris hoc Tit. cap. nō debet extra de consanguin. & affinit. sed quæro, duo contrahunt matrimonium, quorum alter distat à stipite quinto gradu, reliquus vero secundo, tertio, vel quarto, an teneat matrimonium? Dic, quòd sic, quia tales sibi attinent in quinto gradu secundum Regulam supra à nobis traditam, & remotiori personæ semper standum est cap. fin. ext. de consangu. & affinit. Imo Glosa, & Doct. in d. cap. fin. idem volunt, etiamsi reliquus distet primo tantū gradu, quamuis Hostien. in cæteris reclamantibus sit in singulari hoc casu opinione. s. ꝙ non teneat, quando vnus est in primo gradu, licèt alter sit in quinto cuius opinionem defendere conatur Duaren. ad Tit. ff. solu. matrim. cap. 3. de nupt.

Quid sit legalis Cognatio.

Quid sit legalis cognatio.

12 LEgalis cognatio secundum Glos. Abb. & alios in c. vnico extra de cognat. leg. est quædam personarū proximitas, ex adoptione, vel arrogatione proueniens, & est triplex, prima est quasi ascendentium, & descendentium. s. adoptantis, & adoptati, & descendentiū eius, & hæc nec dissolutione adoptionis, nec emancipatione tollitur §. ergo non omnes hoc tit. c. ita diligere 30. q. 3. ideo si quis adoptet aliquam in filiam, etiam post emancipationē, & solutā adoptionem, nec cum illa, nec aliqua eius descendente matrimonium contrahere potest, quia sunt tanquam ascendentes, & descendentes Syluest. in verbo matrimoniū nu. 8. Nau. in suo Manual. c. 22. nu. 44. & 45. & sic casum habemus in quo cessante causa nō cessat effectus contra tex. in c. cum cessante ext. de appell. causa enim prohibitionis nuptiarū inter adoptiuam filiam, & patrem adoptiuum est adoptio, & tamen cessante adoptione nō cessat nuptiarum prohibitio, sed id alia ratione contingit, vt animaduertit hic in §. ergo non omnes nu. 12. doctissimus Aldobrand. s. propter reliquias illas pudoris nominis paterni, quæ super sunt. Secunda est quasi transuersalium, quæ contrahitur inter adoptatum, & filios legitimos, & naturales adoptantis, & hæc durat durante adoptione, & filio naturali existente in potestate patris, alias nō §. inter eas cūm seq. hoc tit. c. vnico de cognat. legat. & l. in adoptionem. ff. de ritu nupt. si quis igitur velit filiam suam naturalem tradere in vxorem filio adoptiuo, remediū est, vt prius, aut filiam naturalē, aut filiū adoptiuū emancipet d. §. inter eas hoc tit. & propterea filius naturalis tantū cum in potestate patris non sit nullo iure, filiā adoptiuam patris ducere prohibetur. Tertia est quædam legalis affinitas, quæ contrahitur inter vxorem adoptati, & adoptantem, & inter adoptatū, & adoptantis vxorē, & hęc durat perpetuò sicut prima l. adoptiuus. ff. de ritu nupt. adoptans ergo non potest contrahere cū vxore filij adoptiui, eo mortuo, nec filius adoptiuus cum vxore adoptantis eo mortuo.

Legalis cognatio triplex.
Quasi ascē dentiū, & descendentium.
Quasi trāsuersalium.
Quadam legalis affinitas.

§. Affinitatis.

SVMMARIVM.

1 *Affinitas quid sit.*
2 *Vnde dicatur.*
3 *Quot sint affinitatis Ordines.*
4 *Quot sint genera affinitatis.*
5 *Matrimonium in quo genere affinitatis sit prohibitum.*
6 *Qualiter gradus in affinitate computentur.*
7 *Matrimonium inter affines vsque ad quem gradum sit prohibitum.*
8 *Hodie affinitas proueniens ex illicita copula impedit matrimonium in 1. & 2. gradu tantum.*

Quid

Quid sit Affinitas.

Quid sit affinitas.

1 AFfinitas secundum Io. Andream, & Canonistas omnes in Arbore consanguinitatis, est personarum proximitas ex carnali copula prouueniens, omni carens parentela, dixi, ex carnali copula, & non ex nuptijs, quia affinitas secundum canones prouenit ex copula tàm licita, quàm illicita, etiam si sit coacta, & etiam si cum dormiente cõtingat cap. discretionem, vbi glo. Abb. Præposit. & alij notant, ext. de e ›, qui cognouit cõsanguineam vxoris suæ, dummodo sit perfecta, qualis est illa, per quam semen viri in vas fœminæ naturale ad generandum mittitur cap. extraordinaria 35. q. 3. & non sufficit saltẽ coram Deo violatio virginitatis, & qnod claustra pudoris quis inuadat, nec quælibet alia turpitudo, nisi etiam semen viri in vas mulieris emittatur, iuxta glo. receptam in d. cap. extraordinaria, & ita nõ sufficit actus sodomiticus iuxta mentem S. Thomæ, & communem in 4. lib. Sentent. distin. 41. q. 1. art. 1. quam Paludan. ibi, & Syluest. in verbo matrimonium num. 15. explicant, dixi, omni carens parentela, non quod affinitas non possit concurrere cũ consanguinitate, quia hoc esset falsum, pone enim, quòd consanguinei cõtrahant nuptias in gradu permisso, puta in sexto gradu, vel etiam in tertio, aut quarto cum dispensatione, sed quia parentela cõsanguinitatis non est qualitas essentialis affinitatis, vt declarat Aldobrand. hic in §. affinitatis, & Couar. lib. 4. Decret. secunda par. cap. 6. §. 7. in princ. vel & secundo, dictum est omni carens parentela, quia à communiter accidentibus affinitas cum consanguinitate concurrere non solet, satisque est, quòd diffinitio à communiter accidentibus verificetur l. suus quoq; §. puto. ff. de hæred. instit. Dec. in Rubr. de Iudic. col. 4.

Vnde dicatur Affinitas.

Vnde dicatur affinitas.

2 DIcitur affinitas quasi dunrũ ad vnũ finẽ vnitas, eo quod duę cognationes, quæ diuersę inter se sunt, per nuptias secundum leges, vel etiam per coitum secundum canones copulantur, & altera ad alterius cognationis finẽ accedit l. non facile §. affines. ff. de Gradib.

Quotuplex sit Affinitas.

Affinitas duplex, legitima, & illegitima

AFfinitas duplex est, legitima, & illegitima: legitima dicitur, quæ per nuptias legitimas contrahitur: illegitima, quæ per coniunctionem carnis illicitam inducitur, tot. tit. de eo, qui cogno. consang. vxor. suæ, &c. nec eam 35. q. 3.

Quot sint affinitatis ordines.

Tres sunt affinitatis ordines. Ascendentium. Descendentium. Collateralium.

3 TRes sunt affinitatis ordines, ascendentium, descendentium, & collateralium, sicuti & de consanguinitate dictum fuit: ascendentium affinium nomina sunt, veluti socer, socrus, idest, mariti, vel vxoris pater, & mater, vitricus, idest præsens maritus matris meæ, à quo ego tamen natus non sum, nouerca, idest, præsens patris mei vxor, quæ me non peperit, & sic in superioribus: descendentium nomina sunt, veluti Gener, idest, filiæ maritus, Nurus, idest, filij vxor, Priuignus, vel Priuigna, idest vxoris, vel mariti filius, vel filia ex alio marito, vel alia vxore suscepti, & vlteriores: collaterales affines sunt, qui vel marito, vel vxori consanguinei sunt ex transuersa linea iuncti, quorum specialia nomina sunt hæc, videlicet Leuir, qui est frater mariti, vel vxoris, sororius, qui est vir sororis, glos, quæ est soror mariti, fratrissa, quæ est vxor fratris, quæ, & ipsa glos rectius dicitur, ianitrices, seu inateres, quæ sunt duorum fratrum vxores, qui omnes vulgariter loquendo comprehenduntur sub generali nomine di Cugnà, alij specialia nomina non habent, sed illo consanguinitatis nomine appellari solent, quo nomine vel gradu ab eo nuncupantur, cuius causa affinitatem contraxerunt, veluti qui vxori meæ consobrinus, aut patruelis est, is, & mihi consobrinus, vel frater patruelis appellabitur.

Quot sint genera affinitatis.

Tria sunt genera affinitatis. Primum genus affinitatis.

4 TRia sunt genera affinitatis, quæ olim in vsu erant, & declarantur per glos. in c. non debet, extra de consanguinit. & affinit. Primum genus affinitatis est, quod per primam carnis copulam, siue mediante vna persona contrahitur, regula enim est, quòd persona addita personæ, per carnis copulam, non gradum, sed genus attinentiæ mutet, vnde versus.

Mutat nupta genus, sed generata gradus.

Exempli gratia, ego, & soror mea iungimur in primo gradu consanguinitatis, soror legitimè, vel illegitimè à Titio cognoscitur, & sic persona Titij additur per carnis copulam sorori meæ, hæc igitur carnis copula mutat genus attinentiæ, quia alio genere attinet mihi soror mea, scilicet, genere consanguinitatis, alio Titius, videlicet, genere affinitatis, sed non mutat gradum, quia eo gradu consanguinitatis, quo mihi iungitur soror, eodem affinitatis gradu mihi iungitur Titius, regula enim generalis est, quoto consanguinitatis gradu mihi iungitur consanguinea mea, eodem affinitatis gradu hic, qui per carnalem copulam huic accedit, mihi attinet, quia gradus inter affines numerantur respectu consanguinitatis tantũ, vt in cap. porro. 33. quæst. 5.

Secundum genus affinitatis.

Secundum genus affinitatis cõstituitur per personã primo generi additam, copula carnali interueniente, vtputa, pone ꝙ Titius maritus sororis meæ, qui est mihi in primo genere, & gradu affinitatis, mortua sorore mea contrahat cum Caia, hæc Caia quondam Titio sororio meo per carnis copulam iuncta mutat genus, quia cum Titius attineret mihi primo genere, hæc nunc mihi, & oĩb. cõsanguineis sororis meæ secũdo genere affinitatis attinet.

Tertiũ genus affinitatis.

Tertium genus affinitatis est, quòd per tertiam carnis copulam, siue trib. personis mediantibus contrahitur, exempli gratia, pone in iam dicto exemplo, Titium mortuum esse, & Caiam alij puta, Seio nubere, hic Seius erit mihi, & omnib. consanguineis meis in tertio genere affinitatis, quia persona personæ secundi generis per matrimonialem copulam adiecta, tertium genus affinitatis constituit, olim in his omnibus tribus generibus affinitatis, matrimonium intra certos gradus prohibitum fuit, vt patet ex caus. 35. q. 10. per to-
5 tam, at hodie secundum, & tertium genus affinitatis est sublatum, nec impedit matrimonium, sed tantum modo primum genus prohibitionem habet, per tex. in cap. non debet de consanguin. & affinit. quo loci prohibitio etiam de sobole suscepta ex secundis nuptijs tollitur, quæ olim non poterat contrahere cum cognatione prioris viri, ideo qualiter gradus computentur in primo genere affinitatis tantum sufficit videre.

Qualiter gradus in primo genere affinitatis computentur.

Gradus inter affines, quo cõputentur.

AFfinitas propriè gradus non habet, sed gradus inter affines numerantur respectu consanguinitatis, omnes enim consanguinei vxoris meæ, vel mulieris à me cognitæ, sunt mihi affines in eo gradu, in quo sunt consanguinei talis mulieris, & sic eodem gradu consanguinitatis, quo mulier est illis coniuncta, eodem ego affinitatis gradu eisdem coniunctus sum, similiter omnes consanguinei mei sunt illi mulieri affines in eo gradu, in quo sunt mihi consanguinei, vt ecce

Petrus	Bartholomæus
Ioannes	Franciscus
Antonius	Vxor Francisci.

Sicut ergo Franciscus ab Antonio secundo gradu consanguinitatis, ita vxor Francisci ab eodem Antonio secundo affinitatis gradu distat, regula enim est, vt supra diximus, quòd
6 persona addita personæ per carnis copulam nõ gradum, sed genus attinentiæ mutat, consanguinei autem mei, & meæ vxoris non sunt inuicem affines, nec inter eos matrimonium prohibetur, affinitas enim contrahitur tantùm inter maritum, & consanguineos vxoris, & è contra inter vxorem, & consanguineos mariti, ideo duo fratres contrahere possunt cum duabus sororibus, & pater, & filius, cùm matre, & filia cap. quod super his de consanguin. & affinit. & §. affinitatis, versic. mariti, hoc Tit. vbi hæc verba habentur, mariti tamen filius ex alia vxore, & vxoris filia ex alio marito, vel contra, matrimonium rectè contrahunt, licet habeant fratrem, sororemve ex matrimonio postea contracto natos, item vir, & vxor non sunt inuicem affines, sed principium affinitatis Glo. hic in §. Affinitatis.

Matrimonium inter affines vsque ad quem gradum sit prohibitum.

Inter ascẽdentes, & descendentes in infinitum.

SI sumus inter ascendentes, & descendentes sicut inter ipsos ratione consanguinitatis matrimonium in infinitum est prohibitum, ita etiam inter affines ascendentes, & de-
7 scendentes, cùm hi loco parentum, & liberorum habeantur, perpetuò prohibetur §. affinitatis, hoc tit. c. 1. de consang. & affinit. ibi, abstinendũ est à cõsanguineis vxoris, vt proprijs, similiter, sicut inter Collaterales consanguineos matrimonium intra quartum gradum est prohibitum, ita & inter affines d. §. affinitatis, & cap. non debet de consang. & affinit. limita
8 in impedimento ex illicita copula proueniente, quod impedimentum sacrosanctum Trident. Concil. de Reformat. Matrim. sess. 24. cap. 4. restrinxit ad primum, & secundum gradum tantùm, statuens in vlterioribus gradibus hodie matrimonium, post ipsam copulam contractum, non dirimi, & quia tex. non addit illud non impedire, sed tantùm non dirimere dubium oriri poterat, quòd licet matrimonium contractum per affines ex copula illicita tertij, & quarti gradus valeat, peccarent tamen contrahentes sine dispensatione, cum à lege veteri non discedamus, nisi quatenus per nouam exprimitur l. præcipimus. C. de appellat. Pius tamen Quintus sanctiss. memoriæ Pontifex, motu proprio super hoc addito declarauit, dictam affinitatem nec dirimere, nec impedire, vt refert Nauarus cap. 22. num. 41. intellige hæc omnia procedere, quando affinitas præcedit matrimonium, etiam si cõtingat contractis sponsalibus de futuro, sponsus enim cognoscens carnaliter cõsanguineã sponsæ primi, aut secundi gradus secundum Tridẽt. Concil. non potest cum sponsa matrimonium

contra-

contrahere c.2.de consang & affin. sed si superueniat affinitas matrimonio iam contracto, vt quia maritus carnaliter cognouit consanguineā vxoris suæ primi, aut secundi gradus non dirimetur matrimonium c.1.c.discretionem, & c.pen. extra de eo, qui cognou. consanguin. vxor. suæ, bene verum est, quòd ille per quem affinitas contracta est, debitum petere non potest sine peccato mortali, licet reddere teneat expressè, vel interpretatiuè petenti d.c.1. de eo, qui cognou. consangu. vxor. suæ, item quòd mortua vxore cum alia amplius contrahere non potest, propter crimen incestus commissum, de quo infra suo loco dicemus.

§. Si vxor.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Iustitia publicæ honestatis.*
2 *Hodie ex sponsalibus inualidis non inducitur publicæ honestatis impedimentum.*
3 *Hodie impedimentum publicæ honestatis primum gradum non excedit.*

Quid sit impedimētū publicę honestatis.

1 PRoponit Imperator in hoc §. aliud impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, quod dicitur publicæ honestatis Iustitia, quæ definitur, vt sit propinquitas ex sponsalibus proueniens, robur ex institutione Ecclesiæ trahens, propter eiusdem Ecclesiæ honestatem, & quia hoc impedimentum quondam simile affinitati erat, ideo etiam impediebat matrimoniū vsq; ad illos gradus ad quos affinitas ipsa se extendebat, etiā si sponsalia nulla fuissent, modò consensus præstitus fuisset c.ad audientiam de sponsalib. & c.1.eod. in
2 sexto, hodie tamen iure nouo Concil. Trid. sess. 24. c.3. de reform. matrim. sponsalia inualida
3 non producunt impedimentum, quacunque ratione inualida sint, neque valida vltra primū gradum, matrimonium autem per verba de præsenti contractum, quamuis inualidum hoc impedimentum producit, & etiam vt antiquitus vsque ad quartum gradum, & consequenter in hoc differre à sponsalibus per verba de futuro contractis, declarauit Pius V. in extrauagan. ad Romanum lata anno 1566. de qua Nauar. in suo Enchirid. c.22. nu.57. ad hoc autem, vt sponsalia valida dicantur, & per cōsequens inducant impedimentum in primo gradu, multa requiruntur secundum Doct. Primò, quòd sint contracta à maioribus septennio c.ex sponsalib. de sponsal. in sexto, vel si ante post septennium tamen consentiant, & perdurent in voluntate contrahendi, vt notatur in d.c.ex sponsalibus, & habetur in cap. vnico de desponsat. impub. lib.6. Secundò requiritur, quòd sponsalia non sint conditionalia; nam ante conditionis euentum nulla sunt d.cap. ex sponsalibus. Tertiò requiritur, vt sint certa, quia in incertam personam non infertur consensus, nec oritur iustitia publicæ honestatis Glo. in d.cap. ex sponsalibus. Quartò, quòd non defecerit consensus d.cap. ex sponsalibus, ideo consanguineus furiosi potest ducere eius sponsam, quam in amentia desponsauit cap. dilectus de sponsal. aduerte tamen, quòd secundum canones, si contrahentes sponsalia habent supradicta requisita, quamuis postea sponsalia sint nulla de iure, puta cum affine, cum religioso, maleficiato, & huiusmodi, nihilominus oritur publicæ honestatis Iustitia, vt in d. cap. ex sponsalibus, an autem Sacros. Concil. Triden. cum dicit sponsalia inualida non producere hoc impedimentum, voluerit intelligere etiam de sponsalibus nullis ex consanguinitate, maleficio, & similibus, vt & ipsa inualida sint, & non producant impedimentum, credo quod sic, cum dicat, quacunque ratione inualida sint, in hoc tamen sicut, & in alijs me remitto iudicio S.M.E.

§. Sunt & aliæ.

SVMMARIVM.

1 *Votum qualiter matrimonium impediat.*
2 *Sacris ordinibus initiatus matrimonium contrahere non potest.*
3 *Duo sunt Crimina, quæ impediunt, & dirimunt matrimonium.*
4 *Adulterium cum homicidio impedit matrimonium contrahendum, & contractum dirimit.*
5 *Sola occisio absque adulterio, vtroque adultero machinante facta sufficiens causa est ad contractum matrimonium dissoluendum.*
6 *Adulterium cum fide data de contrahendo, vel ipso facto viuente coniuge, impedimentum matrimonio præstat.*
7 *Impotentia coeundi matrimonio impedimentum præstat.*
8 *Quotuplex sit impotentia coeundi.*
9 *Quæ requirantur ad hoc, vt impedimentum impotentiæ locum habeat.*
10 *An mulier quæ seminare non potest, matrimonium contrahere possit.*

11 *An vir qui semen emittere non valet, matrimonium contrahere possit.*
12 *Quantũ tempus indulgendum sit his, qui impotentes sunt ad experientiam copulæ carnalis.*
13 *Distinguitur inter impotentiam accidentalem, naturalem, & ex maleficio prouenientem.*
14 *Quomodo alligationibus vis generandi impeditur.*

AFfirmat Imperator in hoc §. alias esse personas, quę propter diuersas rationes nuptias
contrahere non possunt, de quibus remittit se ad ea, quæ in Pandectarum, & Dige-
storum libris habentur, verum ergo non ex Pandectis, sed ex iure canonico, quod in hac
materia matrimoniali obseruatur, personas istas enumerabo, vt impedimenta omnia, quæ
à sacrorum canonum auctoribus referuntur habeamus.

De Voto.

Votum solemne Castitatis impedit, & dirimit matrimoniũ.

INter impedimenta, quæ matrimonium impediunt, & dirimunt enumeratur Votum
1 solemne castitatis, quod celebratur professione expressa, vel tacita religionis approba-
tæ, vel sacri ordinis susceptione cap. 1. de Voto lib. 6. tacita, vt per susceptionem habitus
professionis cap. cum virum de Regular. dixi, Votum solemne, quia si non sit solemne, sed
votum simplex, impedit quidem matrimonium contrahendum, tamen post contractum
tenet, vt in d. cap. 1. & per tot. 27. quæst. 1.

De impedimento sacri ordinis.

Sacer ordo impedit matrimonium.

2 QVi sponte sacris ordinibus, vel eorum aliquo insignitus est, matrimonium contrahere
non potest, & si contrahit, dirimitur matrimonium cap. 1. & 2. qui cler. vel vouen.
matrimon. contrah. poss. cap. si quis, & cap. erubescant 32. distin. ipsoque facto est excom-
municatus, Clem. vnica de consanguin. & affinit. dixi, sacris ordinibus, quia minoribus or-
dinibus tantum initiatus matrimonium contrahere non prohibetur cap. 1. de Cleric. Con-
iugat. cap. si quis vero, & cap. seriatim 32. distinct.

De Crimine.

Quæ crimina impediant matrimoniũ. Adulterium cum homicidio.

3 CRimina, quæ impediunt, & dirimunt matrimonium, duo sunt secundum aliquos, vel
tria secundum alios, sed ad duo magis communiter rediguntur, & sunt hæc. Primum
adulterium cum homicidio, secundum adulterium cum fide data de cõtrahendo, vel ipso
facto viuente coniuge contrahere. Primò adulterium cum homicidio impedit, & dirimit
4 matrimonium, vt si vir occidat virum eius, cum qua adulteratur, vel propriam vxorem, vt
adulteram habeat, vel è contra vxor occidat vxorem eius, cum quo adulteratur, vel propriũ
virum, vt adulterum habeat cap. super hoc de eo, qui duxit in matrim. quam prius polluit
per adult. idque habet locum etiam secundum Doct. ibi, quando homicidium fieri man-
dauit, vel consuluit, intellige tamen, dummodo occisio coniugis alicuius causa cõtrahendi
cum eius coniuge facta sit, nam si alio fine, vel ob aliam causam, puta in bello, vel casu, aut
odio facta sit, non sufficit secundum Doct. in cap. laudabilem de conuers. infidel. sicut nec
etiam ratihabitio occisionis suo nomine factæ, sufficit, iuxta Glosas communiter rexeptas
in cap. si quis viuente 31. q. 1. & in cap. 1. de conuers. infidel. quamuis aliás in maleficijs ra-
tihabitio retrotrahatur, & mandato æquiparetur, sed an solum homicidium sine adulterio
sufficiat, dubium est apud Doct. quidam vt Innoc. & Hostien. qui fuerunt duo lucidissima
Sidera inter Doct. volunt, huiusmodi impedimentum habere locum, etiam si adulteriũ non
præcedat per tex. in cap. laudabilem de conuers. infidel. qui nullam mentionem facit de a-
dulterina pollutione, alij vt Gofred. dicunt, necessariò requiri pollutionem S. verò Thomas
in 4. sent. dist. 31. & 35. q. 2. art. 1. aliquando innuit, quòd sic, aliquando quod non, Tu dic,
quòd si ambo adulteri machinati sunt in mortem, sufficit mors sine adulterio, vt colligitur
ex d. cap. laudabilem, & hoc etiam si alter infidelis esset, & ad eius conuersionem procu-

Sola occisio etiam vtroque adultero machinante facta.

5 randam patrata fuisset d. cap. laudabilem.
Sed si alter tantum machinatus sit in mortem, tunc non sufficit, nisi adulterium etiam
interueniat, secundum Io. Andr. & alios per tex. ibi in d. cap. super hoc de eo, qui duxit in
matrim. quam prius pollu. per adult. an autem solum adulterium sine homicidio sufficiat,
dic quod non per tex. in cap. significasti eod. tit. de eo, qui dux.

Adulteriũ cũ fide data de con-

Secundò adulterium cum fide data de contrahendo, vel ipso facto viuente coniuge, cõ-
trahere matrimonium impedit, & dirimit, ideo qui viuente coniuge contrahit cum ea, cum
6 qua adulteratur, vel dat fidem, aut præstat iuramentum contrahendi, mortua vxore, nec
contra-

contrahere potest nec contractum matrimonium valet,etiam si liberi procreati essent cap. cum haberet,& cap.significasti eod.titu.de eo qui dux.cap.relatum.31.quæst.1. dixi adulterium, quia si quis rem habeat cum aliqua , quæ vere ob aliquod impedimentum coniux non sit,licèt putetur talis,nihil impedit,cum verum non adsit adulterium ,quominus non obstante fidei datione,aut contractu de præsenti,possit eam in vxorem ducere, tex. est in cap.significauit de eo qui duxit in mat. quā prius poll. per adult.licet sufficiat si matrimonium sit ratum,quamuis non consummatum, & quamuis solutum, etiam quo ad thorum & cohabitationem d.cap.significauit,iuncto cap.ex litteris,eod.tit.dixi, adulterium cum fide de contrahendo , vel ipso facto contrahere quia solum adulterium sine contractu,vel datione fidei , non inducit hoc impedimentum, sicut nec datio fidei de contrahendo, nec contractus sine adulterio sufficit cap.significasti,& fin.eod.titu.& cap.1.31. quæst. prima , nec refert dicere,promitto,vel do fidem,secundum communem vsum loquendi,eo maximè,quod militat eadem ratio,ne detur materia machinandi in coniugis mortē, adde quòd deus non facit differentiam inter simplicem loquelam , & iuramentum cap. iuramenti 22. quæst.1.intellige tamen hoc locum habere,quando vterque scit impedimentum,idest quilibet eorum scit reliquum habere coniugem , nam si vter que probabiliter ignorat , simul atque mortuus est qui impediebat , matrimonium contrahere possunt , & si alter tantum ignorat,in eius arbitrio erit sublato impedimento denuo matrimonium contrahere, vel nō cap.1.eod.tit.dummodo ignorans non resciuerit ante mortem impedientis, aut post quā resciuit, non habuerit copulam, quia si mulier certiorata de vita primæ vxoris, permittat se cognosci, inter eos amplius matrimonium consistere non potest cap. fin. eod. tit. & est communis opinio.

trahendo vel ipso facto viuente coniuge cōtrahere.

De Impotentia coeundi.

INter impedimenta quæ impediunt,& dirimunt matrimonium,vltimo loco à canonistis nostris recensetur impedimentum impotentiæ coeundi,nam sicut in alijs contractibus
7 non est conueniens obligatio,si quis se obliget ad hoc,quod non potest dare vel facere,ita in contractu matrimonij,quo scilicet vnus obligatur alteri ad debitum carnale soluendum, non est conueniens contractus,si fiat ab aliquo, qui debitum carnale soluere non possit.

Impotētia coeūdi impedit matrimoniū.

Quid sit Impotentia coeundi.

IMpotentia coeundi est vitium , natura ipsa nouercante, vel ex accidenti contractum , quo quis alteri carnaliter cōmisceri impedit.c.ex litteris,extra de Frigid. & Maleficiat.

Quid sit impotentia coeundi.

Quotuplex sit Impotentia coeundi.

IMpotentia coeundi triplex est,naturalis accidentalis,& maleficialis,vel cōtingit ratione
8 ætatis,vt est in impubere, in quo adueniente ætate esse desinit,cum natiuæ qualitates; quæ immaturæ,& nimia humiditate oppressæ erant,calescere,& vigere incipiunt cap.vnico 30.q.2.cap.quod sedem,de frigid.& maleficiat,& de hoc dixi supra in 3.requisito, aut cōtingit in adulto,ratione deprauatæ natiuæ qualitatis, vt si vir propter nimiam frigiditatem sit naturaliter impotens,vel mulier ita arcta sit,vt virum pati non possit. Tot. Tit.de frigid. & maleficiat,mulier enim non sic dicitur inepta propter frigiditatē,sicut propter arctationem,quia in concubitu est patiens,& ad reddendum debitū viro sufficit secundrm archid. quod viri patiatur actionem in membro naturali,id quod frigiditas eius non impedit,Ideo mulier in quacunque complexione,& dispositione,modo pati possit ingressum viri ad claustra pudoris,matrimonium contrahere potest ; & propterea sola arctatio in muliere impotentiæ causam præbet,sicut frigiditas in viro, accidentalis impotentia dicitur , quæ ex accidenti infertur,vt si alio instrumento alicui sint virilia amputata,maleficialis, quæ ex maleficio à demonibus prouenit cap.si per sortiarias 33.quæst.prima.

Quotuplex sit impotētia coeūdi Triplex est impotentia coeundi. Naturalis.

Accidentalis.

Maleficialis.

Quæ requirantur ad hoc,vt Impedimentum impotentiæ locum habeat.

PLura requiruntur ad hoc,vt huiusmodi impedimentum impotentiæ locum habeat, & primò requiritur,vt impotentia matrimoniū præcedat,nam si sequitur,& cōsummato
9 matrimonio,vel etiam contracto tantum,contingit,non dirimit,licèt sit rationabils causa, quando post contractum , & nondum consummatum accidit dispensationis faciendæ per Papam,secundum Abb.& alios, qui eum sequuntur in cap.ex litteris num. 3. de frigid. & maleficiat.in dubio tamen semper præsumitur impedimentum præcessisse,ex quo nunquā potuit

Quæ requirantur ad hoc vt impedimētum impotētiæ locum habeat. Primū Requisitum.

potuit cognoſcere, vt notat Abb. in d. cap. fraternitatis, nec obſtat tex. in cap. licet ex quadam, in fine, extra de teſtibus, vbi in dubio pro matrimonio eſt præſumendum, quia hoc verum eſt, quando matrimonium poteſt habere ſuum effectum, ſcilicet, euitationem fornicationis, vel bonum prolis, quod hic non eſt, propter impotentiam coeundi ita Abb. in d. cap. fraternitatis nu. 16.

Secundum requiſitum.

Secundò requiritur, quod impotẽtia tanta ſit, vt nullo modo poſſit coire, hoc eſt talis, quæ actum perpetuo impediat nam ſi impediret effectum generationis tantum, & non actum, qui eſt emiſſio ſeminis in vaſe, nullum eſſet impedimentum, generandi enim impotentia, quæ etiam ſterilitatis dicitur, non eſt impedimento matrimonijs, modò adſit potentia ad copulam, nam impotentia ad actum generationis eſt, quæ impedit matrimonium contrahendum, & contractum dirimit, vt probat D. Thom. Ricard. & cæteri Theologi lib. 4. ſent. diſt. 34. & Nauar. in ſuo Emanuali, cap. 22. nu. 59. non autem impotentia ad generationis effectum, hæc nanque non impedit matrimonium contrahendum, quia ſolum requiritur potentia ad actum, quo fit vt ſenes rectè matrimonium contrahere poſſint, tametſi generare nequeant, modò poſſint actum coitus exercere, & ſimiliter ſteriles matrimonium contrahere poſſint, tametſi generare nequeant, modò poſſint actum coitus exercere, & ſimiliter ſteriles matrimonium contrahere poſſunt, licèt effectu generationis careant, quia aptæ ſunt ad actum, idem in viro ſterili ſtatuitur iuxta Gloſ. communiter receptam in cap. quod ſedem de Frigid. & Maleficiat, & ita reſoluunt Theologi ſupra citati,

Sterilitas non impedit matrimonium.

An mulier quæ ſeminare non poteſt, matrimoniũ cõtrahere poſſit.

ſed quid ſi mulier ſeminare non poſſit, & cum viro contrahat, qui ſemen emittere poteſt,
10 an valeat matrimonium, dicendum eſt, quòd ſic, nam ex communi medicorum ſententia ad generationem ſufficit ſemen viri, etiam ſi mulieris ſemen non concurrat, vt ex Ariſtotile, & alijs probat D. Thom. in 4. ſent. diſt. 32. Artic. 4. Maius dubium eſt apud Doct. quando ipſe vir ſemen emittere non poteſt (vt quia ambos teſticulos auulſos, vel contritos habet per quos ſemen tranſire ſolet) an teneat matrimonium, ſi coire, & erigere valet? & communiter canoniſtæ in cap. quod ſedem, de frigid. & maleficiat. tenent, matrimonium inualidum, & nullum eſſe, ita Abba. & Præpoſit. ibi. Socin. in l. 1. ff ſolu. matrim. nu. 28. Syluest. in ſua ſumma in verbo, matrimonium 8. num. 16. verſiculo, ſi autẽ erigitas, contrarium voluit
31 Gloſa. 1. in cap. 2. in fine. 32. q. 7. ea ratione, quia talis cum coire, & erigere valeat, ſatisfacit mulieri, ſicut mulier ſatisfacit viro, ſiue reſoluat ſperma, ſiue nõ, ſequitur magiſter palacio in 4. Sent. Diſt. 34. diſputat. 1. vbi alios citat. & moderniores Hiſpani canon. quæſtio. cap. 16. ego nunc de hac re dubius quid ſentiam, dicam in meis canonicis quæſtionibus.

An vir qui ſemẽ emittere nõ valet, matrimoniũ cõtrahere poſſit.

Tertium requiſitum.

Tertiò requiritur, quòd impedimentum ſit perpetuum, ita vt nullo medicamine, aut humano remedio remoueri poſſit, nam ſi humana arte, & abſque probabili periculo mortis remoueri poſſet, non dirimitur, vt in cap. ex litteris, & cap. fraternitatis, de frigid. & maleficiat, & per totam 33. quæſt. prima, itaque fœmina arcta tenebitur inciſionem pati, vt apta ad congreſſum redatur, quicunque enim ad aliquod obſequium obligatur, ſimul etiam ad omnem actionem, & expeditionem obligatur, quas naturaliter, ſine tamen mortis periculo, ad tale obſequium præſtandum deſideratur, etiã ſi ex inciſione aliqua infirmitas timeatur, ſed oppoſitum tenet Sotus in 4. ſen. quando timetur infirmitas, tamen tex. in cap. ex litteris, de frigid. & malefic. ſolum mortis periculum exceptum habet.

Quartũ requiſitum.

Quartò, & vltimo requiritur, quòd ille, qui contrahit, ſit ignorãs de tali impotentia, quia ſi habens exploratum impotẽtiæ vitium, impotenti matrimonio ſe iunxerit, non facilè reſciſſio permittitur, nam ſicut veri coniuges poſſunt promittere continentiam ſimul morando, vt in cap. quod Deo. 33. quæſt. 5. ita iſti ſimul in continentia viuere poſſunt, propterea eam in hoc caſu, ſi non vt vxorem, ſaltem vt ſororem habere debet, vt in conſimilibus caſibus Eccleſia Romana iudicare conſueuit, tex. eſt in cap. conſultationi, de frigid. & maleficiat. contracto igitur ſcienter matrimonio inter impotentes, vir illam habere debet non tanquam vxorem, ſed tanquã ſororem, vnde non poterunt laſciue ſe ſe amplexari, aut impudice tangere, aut carnaliter oſculari, non ſolũ propter periculũ, ſi in aliquo illorũ extiterit extraordinariæ pollutionis, q̃ certè eſſet peccatũ mortale, verùm etiam quia iſti actus, & oſcula, per ſe, vt verior habet opinio, ſunt mortalia, niſi inter veros coniuges interueniant, Sot. libro 4. Sent. Diſt. 34. queſt. vnica, articulo 2. col. 1. & 2. Innoc. Hoſt. Io. Andr. & alij, in d. cap. conſultationi Naua. cap. 22. nu. 59. aduertendum tamen eſt, quòd verba illa, vt maneant ſicut ſorores, procedunt ex cõſilio, non ex præcepto, nec, eſt matrimonium, vt conſtat ex eodem met tex. ibi, vt quas tanquam vxores habere non poſſunt, & tradit gloſa ibidem, & ſpeculum coniug. in 1. parte tit. 38. concluſ. 7. Ideo ſi timeretur de fornicatione potentis, poterit eccleſia ſibi ſubuenire, dando licentiam cum alia contrahendi, ex quo cum prima non eſt verum matrimonium, quãuis ſcienter contraxerit, durum enim eſſet potentem, qui etiam ſcienter cum impotenti contraxerit, cogi, vt in peccato cum ea maneat, vt Innoc. & Hoſt. ibi tradunt, quinimo dicunt idem Innoc. & Doct. quod ſi potens cum ſecunda contraxerit, tenet ſecundum ma-

trimo-

trimonium,non obstante quòd esset obligatus cum prima ad morandum,tanquam cum so-
rore,exemplo illius,qui cum minore contraxit,nam licet sit obligatus ad expectandum,
donec minor perueniat ad maiorem ætatem,tamen si cum alia contrahat, subsistit matri-
monium,vt est tex.& tradunt Doct.ibi in cap.de illis,de sponsalibus,sequitur Brunel.in suo
Tract.de sponsal.Conclus.28.num.19.& 20.

Quantum tempus indulgendum sit his, qui impotentes sunt ad experientiam copulæ nuptialis.

Quantum tempus indulgendum sit bis qui impotẽtes sunt.

Illud ante omnia hic à nobis est præmittendum, quòd qui contrahit matrimonium cũ
12 impotente,& comperta impotentia simul morari consentit,potest cum ea permanere,
quia licet in hoc casu non vt vxorem,saltem vt sororem,habere potest cap.laudabilem,de
frigid.& maleficiat.sed si simul permanere con consentiant, tunc certũ tempus statutum
est,quo transacto separatio fieri permittitur,ad cuius rei cognitionem tria capita sunt à no-
bis custodienda. Primum caput est,quando impotentia est accidentalis, quæ accidit viro
ex defectu,vel abscissione membri virilis,& tunc si per inspectionem expertorum virorum,
quibus hoc munus commissum fuerit,vel alio modo constet,statim matrimonium separa-
ri poterit,nam frustra expectaretur euentus,cuius nullus induceretur effectus,vt in cap.cũ
contingat,de officio deleg. Secundum caput est,quando impotentia est naturalis,vt puta,
quia vir est frigidus,vel mulier arcta,& tunc si certo,& veraciter de perpetuitate impoten-
tiæ constare potest, vel per aliqua euidentia signa, aut legitimis argumentis apparet, vt
quia vir habet membrum aridum,aut quid simile,statim nullo expectato tempore soluitur
matrimonium cap.1.& cap.laudabilem,& ibi Abb.num.2.de frigid. & maleficiat. frustra
enim exquireretur probatio eius,quod probatum non releuat,Corset.sing.suo 166. verũ si
impotentia veraciter probari non potest,tunc Ecclesia statuit tempus triẽnij ad hoc expe-
diendum,in quo ex vtraq; parte detur officaciter opera copulæ carnali,quo tempore elap-
so si matrimonium inueniatur non consumatum,& vterque confiteatur,& iuret cum sep-
13 tima manu propinquorum,vel vicinorum bonæ famæ (si propinqui defuerint) quòd nun-
quam vna caro effecti sunt,iudicio ecclesiæ soluitur matrimonium, & ille,qui non est frigi-
dæ naturæ,cum alia contrahere potest.d. cap. laudabilem, sed si vnus confiteatur, & alter
neget,non debet separari matrimonium,nisi is,qui stat contra matrimonium,probet impe-
dimentum per iustum iudicium,iustum iudicium intelligit Abb.in d.cap.laudabilem in fine,
quando facta triennali cohabitatione,mulier probat per aliqua signa,puta quod probat se
virginem. Sed quid dicendum,si soluto matrimonio ille,in quo erat impedimentum,in-
ueniatur carnalem copulam cum eadem,vel alia perfecisse, tempore quo etiam alter, in
quo non erat impedimentum,iam de licentia ecclesiæ matrimonium contraxerat.Dic,præ-
cedens matrimonium reintegrandum esse,& secundum dirimi, quamuis de ecclesiæ licen-
tia factum tex.est in cap.fraternitatis,de frigid.& maleficiat.& in hoc Doct. omnes conue-
niunt,discrepant tamen, an in hoc casu primo irreuocabiliter restitui debeat, Innoc. vult,
quod sic,melius Host.& Abb.volunt quòd debeat primo restitui,& si per triennium postea
non poterit cognosci,irreuocabiliter secundo restituatur, nam præsumendum est ex cursu
tanti temporis differentiam esse in corporibus istorum. Tertium caput est,quando impo-
tentia est maleficialis,& à dęmonibus prouenit,& tunc non aliter soluitur matrimonium,
quam triennali cohabitatione facta,iurauerit vterque vir,& vxor cum septima manu pro-
pinquorum,nunquam carnaliter commisceri potuisse cap.fin.de frigid.& malef.& adeo hæc
triennij cohabitatio,est necessaria in hac impotentia,vt aliter nullo modo matrimonium
separari possit.

Primũ caput in impotẽtia accidentali.

Secundum caput in impotẽtia naturali.

Tertiũ caput in impotẽtia ex maleficio.

Ratio est,secundum Glos.in d.cap.fin.quia nonnunquam tempore talis impotentia re-
moueri solet,maximè post actam pœnitentiam quo tempore transacto,poterit vterque tã
vir quàm fœmina cum alio, vel alia matrimonium contrahere, & hæc est differentia inter
frigiditatem,& maleficium,quia impotens ex frigiditate,sicut ad vnam,ita ad aliam impo-
tens est, ideo soluto matrimonio non datur ei licentia nubendi, sed ex maleficio potest
quis esse impotens ad vnam, & non ad aliam, ideo quando iudicio ecclesiæ matrimonium
dirimitur,vtrique datur licentia quærendi aliam copulam, intellige quando impedimentũ
ex maleficio proueniens,est particulare respectu vnius secundum D.Tho.& alios, quia si
est vniuersale, non dabitur licentia contrahendi illi, ex cuius parte est vniuersale, si de hoc
constet, & si ecclesia in hoc casu se deceptam inuenerit ex hoc, quòd impedimentum,
quod iudicauit perpetuum,appareat temporale, reintegrabit primum, vide si maleficium
erat vniuersale respectu cuiuslibet personæ,tunc si postea coniugatur cum secunda,redibit
ad primam,quia maleficium non fuit perpetuum,si vero particulare respectu vnius,non sic

restituetur

restituetur primæ, quamuis secundam cognoscat, quia matrimonium primum fuit nullum, & secundum validum, & ita communiter tenetur, & sequitur summa Angel. & Ros. planè hoc genus fascini, & ligationis vanum, futile, ac ridiculum videbitur, si eius conficiendi modos intueamur, quos Albert. Magn. de animal. lib. 22. Petrus Paludanus Hierosolimitanus Patriarcha in 4. sent. dist. 34. q. 2. Paul. Grilland. in tract. de sortileg. 10. Brunell. in tract. de sponsal. & matrim. & plerique alij tradiderunt, nec minus inepta sunt, & ridicula remedia, quibus creditur solui ligamen, & impotentia coeundi, quam impia fascinatio inuexit, quid enim efficere res per ipsos ennumeratę possunt, nisi genius pręstigiator adhibeatur, & agat? & ipse maleficus sit mancipium cacodæmoni, cui se totum expresse, aut tacitè dederit, vt tandem cum eo pœnas æterne damnationis dependat? non aliter certe generandi vis præpediri potest, quam si impiæ, & magicæ imprecationes adhibeantur, vel aliquid superstitio-

Quomodo alligati iJ-bus generandi vis impediatur.

Satan hominib. non officit sine permisu Dei.

14 sum, quod tacitam vel expressam satanæ inuocationem contineat, atque ideo tacitum vel expressum cum illo pactum, quod ex actis verbisque superstitiosis arguatur, tunc enim per spiritus malos, & præstigiatores si forte Deus permittat (aliter enim cacodæmones officere hominibus non possunt, vt liquet ex lib. reg. cap. 22. & Iob. cap. 1. & 2.) vis effetrix genituræ præpediri poterit.

Timor, & similes affectus animi præpediunt venerem.

Probatur, duo efficiunt homines ad venerem idoneos, calor, & spiritus, at Cacodæmon potest refrigerare calorem, & spiritus præcludere, igitur, & venerē impedire, porrò timor, dolor, mæstitia, alij quæ similes affectus animi, quibus sanguis immutatur, & spiritus cordis afficitur, omnem præpediunt rei venere facultatē, quemadmodum notius est inter medicos, quàm vt oporteat a nobis comprobari, sed cacodęmones illos affectus excitare possunt, cum animos turbare, & homines efficere etiam dementes possint, vt ex Saule sutense. 1. reg. cap. 16. constat, & quanquam in ipsam mentem non agant, eam tamen animi partem, quæ phantasmatum capax est, ita perturbant, vt amplius officio suo fungi non possit.

Quinq; modis genitalē cōgressum dæmones impediunt.

Fernelius de abditis rer. caus. lib. 2 cap. 16. igitur Cacodæmones coniugalem congressum impedire possunt, & hoc quinque modis, vt Paludanus Patriarcha scribit in 4. sent. dist. 34. primò locis secernendo coniuges, vel se se interponendo, ne eorum adglutinentur corpora, secundò refrigerando coniunctionis appetitum, tertiò mouendo phantasias, & mēti objiciendo speciem fœminæ deformis, vt eam vir inuisam habeat, quartò retinendo mēbra genitalia, sexto occludendo spiritus, qui coniunctionis inijehunt appetitum, væ tamen illis, qui per incantationes aut maleficia aliquid impium, & sceleratum in perniciem hominum moliuntur, dixit enim Dominus Exodi 22. cap. maleficos non patieris viuere super terrā Sap. 12. exhorruisti illos Deus, quia horribilia opera faciebant per medicamina, & Deuteron. 18. ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, aut obseruet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat, neque diuinos, nec quærat à mortuis veritatem, omnia hæc abominatur Dominus, arrigant nunc aures, qui non minus audacter, quàm impiè magos, præstigiatores, lamias, maleficas, atque ideo fascinationes præstigias, & maleficia, nihil aliud esse dictitant, quàm puerorū nugas, & vetularum deliriationes, magnum profecto summæ impietatis argumentum, nam qui præstigias, & fascinationes imaginationi, & credulitati adscribunt, neque Cacodæmones, neque angelos, neque rerum omnium effectorem Deum esse credunt, ideo hos impietatis, & infidelitatis arguit D. Thom. lib. 11. quolibet, artic. 10. & licet quædam de lamijs, & maleficis vulgus commemoret, quæ perspicuè falsa sunt, & inepta, attamen multa à maleficis per prauos dęmones effici, quæ medicorum, & philosophorum iudicia prætergrediantur, & mirando verbo Dei, & quotidianis experimentis addocemur, id quod etiam viri multarum rerum vsu, & doctrina præstantes nostra, patrum, atque maiorum memoria literis contestanti sunt D. August. tract. 7. Ioan. Thom. Aquin. & alij recentiores theologi in 4. sent. iuris canonici Doct. in tit. de frigid. & malef. his addendus est à nobis locus ex Tobiæ lib. quo perspicuum fiet, in quorum corpora mali spiritus potestatem habeant, cum enim Angelus Raphael Tobiæ filium ad coniugium filiæ Raguelis hortaretur, Tobiæ 6. Adolescens respōdit,

In quos dæmon potestatem habeat.

audio, ꝙ in matrimoniū tradita est septem viris, & mortui sunt, sed, & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos, timeo ergo, ne forte, & mihi hæc eueniat, & cum sim vnicus parētibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos, tunc rursus Angelus dixit ei, audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus præualere potest dæmonium, hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacant, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos, deinde Angelus Tobię filium hortatur, vt ingressus thalamum tres dies abstineat à congressu venereo, & interim pijs ad Deum præcationib. sedulò operam nauet, quod fœlix, & faustum adolescenti fuit, qui Angeli secutus est consilium, hinc constat malos dæmones habere

potesta-

potestatem in eos, qui seclusо à mente sua Deo, carnali impetu ad nuptias feruntur, atque ideo posse fascinationibus per maleficos ligari, & impotens effici, cui periculo obuiam iri recta conscientia, firma fide, & pijs ad Deum præcationibus potest, quemadmodum etiã contracta fascinatio christianè abigi, dissoluique posse docet Imarus Archiepiscopus Remensis in cap. si per sortiarias 33. quæst. 1. & sic habemus omnia impedimenta, quæ impediunt, & dirimunt matrimonium, quæ in his versibus continentur, & à nobis explicata fuerunt. *Periculo fascinationis quomodo occurratur.*

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Sub errore comprehendo etiam conditionem, quæ à Doct. separatim ponitur, & melius meo iudicio sic, cùm conditio de per se prohibitionem non inducat, nam nulli dubium est, quòd inter seruos hodie matrimonium consistere potest, & liber etiam ancillam ducere, si scit ipsam ancillam esse, secus si ignoret, & sic error conditionis est, qui impedit matrimonium, non conditio ipsa.

De Impedimentis, quæ impediunt, & non dirimunt matrimonium.

SVMMARIVM.

1 *Impedimenta quæ impediunt, & non dirimunt, sunt sex.*
2 *Interdictum qualiter impediat matrimonium.*
3 *Feriæ impediunt matrimonium contrahendum.*
4 *Sponsalia impediunt matrimonium.*
5 *Catechismus impedit matrimonium.*
6 *Votum qualiter impediat matrimonium.*
7 *Crimen qualiter impediat.*

SVnt, & alia impedimenta quæ impediunt, & non dirimunt matrimonium, & sunt sex.
1 Interdictum, Feriæ, Sponsalia, Catechismus, Votum simplex, & Crimen. *Impedimẽta quæ impediũt, & nõ dirimũt*

De Interdicto.

INterdictum est, cum Episcopus, iudex, alius ecclesiasticus, aut Parochus, interdicit alicui, ne contrahat matrimonium cum aliqua, ob aliquod impedimentum, donec constet, an vere subsit illud, nec ne tot. tit. de matr. contract. contra interdict. Ecclesi. valet tamen si contrahatur, quoties vere non aderat impedimentum, licet peccent contrahendo, cap. 1. & 2. de matr. contr. contra interdict. interimque donec de impedimento cognoscatur, separantur cap. vltimo. eod. tit. *Interdictũ*

2 (beside "men si contrahatur")

De Ferijs.

SEcundum impedimentum, est tempus Feriarum, quod tempus Feriarum olim erat ab
3 aduentu vsque ad Epiphaniam, à septuagesima vsque ad octauam Paschæ, & à primo die Rogationum vsque ad octauam Pentecostes, cap. capellanus, de Ferijs cap. cum oportet. 33. q. 4. hodie vero ex noua Concil. Trident. dispositione, est tantum ab Aduentu D. N. Iesu Christi, vsque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum vsque in octauam Paschatis inclusiue, circa, quod est aduertendum, quòd non prohibetur his temporibus omnino contractus matrimonij, sed benedictio nuptiarum, & ipsa solemnis desponsatio, & traductio, nam matrimonium sine alia solemnitate per verba de præsenti, & sponsalia etiam per verba de futuro omni tempore contrahi possunt, vt Panormitanus, Abbas, Glo. & alij in d. cap. Capellanus, de Ferijs, notant, & in d. c. cum oportet. 33. q. 4. nec interim peccant consummando matrimonium absque nuptiarum benedictione, secundum Nauar. cap. 22. de Sacram. matrimon. num. 71. licet Palud. summa Rosel. Ant. & alij prima vice peccare sine aliqua necessaria ratione teneant. *Feriæ.*

De sponsalibus.

4 TErtium impedimentum est sponsalia, nam qui sponsalia de futuro contraxit, nisi ipsa sponsalia aliquo licito modo soluantur, tenetur contrahere de præsenti cum eadem, si tamen de facto fracta fide contrahat matrimonium per verba de præsenti cum alia, tenet ipsum matrimonium cap. veniens, & cap. sicut, de sponsal. *Sponsalia.*

De

De Catechismo.

Catechismus. 5 QVartum impedimentum,est Catechismus, ex quo oritur spiritualis cognatio, vt alias suprà diximus,& habemus in cap.per Catechismum,de cognat.spirit.lib.6.quæ cognatio impedit quidem matrimonium contrahendum,sed non dirimit contractum d. cap. Catechismum,est autem Catechismus instructio baptizandi solemniter à Sacerdote in ianua ecclesiæ facta,antequam baptizetur puer,de articulis nostræ sanctæ fidei Catholicæ Romanæ credentis cap.ante baptismum de consecrat.dist.4.& dicitur Catechismus à catechizo,idest,instruo, vel doceo,quæ instructio in paruulis infantibus fit in spiritu, & per Patrinum promittitur,nec inconuenit,quia in his,ad quæ omnes tenentur, vnus alium obligare potest,sed an hæc cognatio censeatur restricta per Conc.Trid.sicut illa,que nascitur ex baptismo,& confirmatione,de qua diximus supra,dicendum est,quòd sic,argumento Glos. in cap.non debet de consanguinit.& affinit.tradit Nauar.cap.22.num.72.

De voto simplici.

Votum simplex. 6 QVintum impedimentum impediens, & non dirimens, est votum simplex castitatis, non solenizatum professione tacita vel expressa religionis approbatæ, nec sacri ordinis susceptione cap.quidam nubentes cap.si vir.& per totam 27.dist.cap.vnico,de voto, & voti redemptione,lib.6.& hoc etiam si vterque vouisset secundum communem opinionem,de qua Nauar.cap.22.num.73.peccat tamen habens tale votum simplex mortaliter, contrahendo,siue contrahat cum intentione consumandi, quo casu nulli dubium est, quia agit contra votum suum,siue animo non consumandi,sed intrandi religionem, quod ante consumationem facere potest, vt in cap. ex publico, de conuers. coniugat. nam licet hoc casu non agat contra votum explicite,agit tamen implicite,vt sentit D.Tho. & peccat non solum,quòd frangit votum, sed etiam ,quia sponsam decipit, & matrimonium eludit. D. Thom. Riccard.&Sot.in 4.sent.dist.30.q.2.artic.1.Armil.& Siluestr.verbo matrimonium.7. num.5.Nauat.cap.16.num.30.contra Calderinum,& summ.Ang. qui in contraria sunt sententia, & non solum peccat qui votum castitatis habet, matrimonium contrahendo, sed etiam qui contrahit cum eo vel ea,quem,aut,quam scit votum castitatis habere, quia participat cum eo in crimine Glos.in cap.non nouimus 17.quæst.2. Syluest. matrimonium 7.num.5.quantum autem ad exactionem debiti, an habentes tale votum castitatis possint exigere sine peccato,distinguendum est à nobis,nam aut continentiam vouit vnus tantùm, aut vterque. Primo casu, vna est opinio, quòd peccet solum exigendo prima vice Glos. in cap.si quis votum 27.quæst.2.ea ratione,quia votum extinguitur per subsequens matrimonium, sequitur Host. in cap. rursus, qui Cleric.vel vouent.communem,& veriorem appellat Cardin.in d.cap.rursus,alia est opinio,quòd semper,& toties quoties exigendo mortaliter peccet,Glos.in cap. Agathosa.27.quæst.2.quam Io.An.Vincent. & Theologi communiter sequi videntur,vt dicit Syluest.d.loco.Reddere verò debitum semper tenetur,quoties petitur,sufficitque quod petatur verbis,nutibus,aut operibus, proinde Augustinus de Ancona relatus à S.Antonio 3.part.tit.1.cap.20.§.6.ait,quòd tribus modis debitum coniugale petit vxor, scilicet, verbis, signis, & suo ingenio, siue conditione per quam maritus conijcit eam id desiderare, sed præ verecundia dissimulare, eo quod fœminæ naturaliter sunt in hac re verecundiores viris,licebit igitur viro nonnunquam insinuare se vxori,& offerre se ad illum vsum, nam genus illud petendi, quodammodo est reddere, vt aduertit Soto in 4.sent.dist.37.q.vnica,attic.2. vers. debet autem. Secundo casu, quando vterque vouit,tunc secundum Rosel.Syluest.eodem loco,& communiter Doct. vt de communi testatur Mozzius de matrim.col.7.num.57.neuter exigere,nec reddere potest debitum,& ratio differentiæ inter casum,& casum,est,quia quando vnus tantum vouit, ideo reddere tetur,& sine peccato potest,quia alter habet ius petendi,cui obligatus est,& preiudicium voto suo facere non potuit,sed si alter non habet ius petendi,quia, & ipse vouit, nulla etiam adest obligatio reddendi,& propterea si reddit,facit contra votum suum sine causa, quia reddit id,ad quod obligatus non est,cum alter petendi ius non habeat,sed quæro,an coniuges post consumatum matrimonium vouere possint, dic, quòd vterque de communi consensu vouere potest, iuxta not. per Doct.in cap.charissimis, de Conuers.coniug.& similiter alter tantum in suum præiudicium,& non alterius,ideo reddere tenebitur,sed sine mortali exigere non poterit,nisi se nimis onerosum exhiberet alteri non petendo, quia ei præiudicare non potuit,quid si alter consentiat voto? Dic,quòd nihilominus cōsentiens exigere poterit,quando quidem coniux faciens ad alteri facultatem vouendi, non videtur renunciare

ius

ius, quod habet petendi, secundum Innocen. in cap. 1. de conuers. coniug. communiter per Abb. & alios receptum, & ille, qui vouit, reddere tenetur, sed nullo modo potest exigere; etiam si non exigendo reliquo esset onerosus, quia concedendo licentiam, sibi in hoc praeiudicauit, imo peccat coniux, quae consensit voto, si reddat debitum ad petitionem eius, qui vouit, quia in eius peccatum consentit. Syluest. verbo Diuortium, num. 15. & Nauar. cap. 16. num. 31. Et quia in his casibus magnum est peccandi periculum, & difficultas maxima continendi, quae est similis ei, quam habet sitiens à potu aquae praesentis oblatae se abstinendi, ideo, qui sic vouit, dispensationem quaerere debet, quantum ad posse exigere; quam secundum communiter Doct. in cap. rursus, qui Cleric. vel vouent. Episcopus facere potest ex causa legitima, & causa legitima est periculum animę, aut ex mora, aut ex impossibilitate omnino adeundi Romam, alias requiritur auctoritas Apostolica, vt dicit S. Thom. in 3. quolib. quęst. 6. artic. 1. quod diximus de voto, habet locum etiam in iuramento, scilicet, vt si quis iurauerit tenere castitatem, contrahere non possit, licet teneat contractus Glos. in cap. si quis votum 27. quęst. 1. Syluest. d. loco.

De Crimine impediente, & non dirimente.

SExtum impedimentum impediens, & non dirimens matrimonium est Crimen, quod diuiditur in sex, & sunt haec, Incestus, vxoricidium, raptus alienae sponsae, susceptio proprij filij de fonte, interfectio presbyteri, & poenitentia solemnis. Primò igitur Crimen incestus, commissum cum affine, impedit matrimonium contrahendum, licet non dirimat contractum c. 1. c. ex litteris, & c. transmissę, de eo, qui cognou. consang. vxoris suę, cap. qui dormierit 32. q. 7. si quis igitur incestum cōmiserit cum affine vxoris, duplici pęna punitur. *Crimen.*

Primò, quia non potest petere debitum ab vxore, quam iam habet, sub mortali peccato, quae per incestum sibi affinis facta est.

Secundò, quia ipsa vxore mortua, cum alia contrahere non potest, & hoc ob iniuriam, quam fecit matrimonio per coitum cum cognata cōiugis, an autem idem sit in incestu cōmisso cum propria cōsanguinea, magna altercatio est apud Doct. D. Tho. in 4. sent. dist. 34. q. 1. art. fin. Sot. dist. 37. art 2. sub fin. S. Anton. 2. par. c. 19. §. 4. tit. 1. Sylu. Matrimonium un. 6. & Couar. in 4. Decret. c. 6. nu. 4. tenent quòd non, tum quia videtur eis nullo iure caueri, cū capitula adducta solū agant de incestu cū affine, tum, quia non videtur hoc inductū ob grauitatem criminis, sed ob iniuriam, quae fit matrimonio per coitum cum cognata coniugis, contrarium tenet Abb. & Praepos. in d. c. 1. & 2. de eo, qui cognou. consang. vxor. suae, Angel. verbo, Incestu. §. 5. & Nauar. c. 22. nu. 74. qui refert de hoc quandoque fuisse in sacro poenitent. Praetorio magnam disputationem, cum ei pręsideret Card. Alciatus magnus Poenitent. & quòd stylus curię ita seruat, dum dispensando, vt consanguinei, qui se incestu pollicerūt, contrahant inter se matrimonium, apponit clausulā, vt superstes sine spe coniugij maneat, facit cap. qui propinqua 35. q. 3. vbi Papa Fabianus ait, Qui propinquam sanguinis vxorem ducunt, & separantur, non licebit eis, quandiu viuunt, alias vxores sibi in coniugio sociare. Super hoc autem impedimento dispensare potest Episcopus, si timeatur incontinentia cap. antiqui, & cap. in adolescentia 33. q. 2. & cap. ex litteris de eo, qui cognou. consangu. vxor. suae. Palud. 4. dist. 34. q. 1. col. 3. & S. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 15. q. 4. imo de consuetudine non seruatur iste rigor petendi licentiam, secūdum Palud. vbi supra, quod approbat Nauar. qui
7 refert se nunquam vidisse, nec audiuisse, vllum incestuosum petere dispensationem à Papa, vel Episcopo, nisi ad contrahendum cum ea, cum qua incestum commisit, vel eius consanguinea, ob affinitatem inde ortam.

Secundum crimen impediens matrimonium, & non dirimens, est vxoricidium, cum vir occidit vxorem cap. admonere 33. q. 2. idem est de Mariricidio, secundum Palud. distin. 34. quem sequitur Nauar. cap. 22. nu. 74. licet Syluest. dicat nullo iure probari, quòd è conuerso mulier occidens maritum contrahere non possit, quamuis enim hoc iure cautum non sit, & poenae non debeant extendi vltra suum casum, cap. poenae de poenit. dist. 1. tamen in illis correlatiuis, in quibus eadem ratio idem suadet, idem ius statuti debet, vt tradit Abb. in procem. Decret. & alij per Felin. ibi citati, sed eadem ratio, imò maior, idem statuēdum esse in vxore, quod in marito suadet, ideo idem ius statui debet.

Tertium crimen est, raptus sponsae alterius cap. statutum 27. q. 2.

Quartum susceptio proprij filij de fonte sacro, insidiando matrimonio, & animo, ne vxor debitum à se exigere possit cap. de eo 30. q. 1. & tunc vxor non priuatur, sed vir potestate exigendi priuatur, & reddere nihilominus tenetur, secus tamen esset, si in extrema necessitate, & mortis articulo filium ipsum baptizauerit, vt cap. si vir. de cognat. spirit. & cap. ad limina 30. quaest. 1.

Quintum crimen est presbytericidium, hoc est, interfectio sacerdotis, cap. qui presbyterum de pœnit. & remiss. vbi Abb. in verbo conuinctus, dicit, hoc non habere locum, nisi prius interfector sit conuictus in foro contentioso.

Sextum est id, propter quod quis solemniter pœnitet, & sic peccatum, propter quod pœnitentia solemnis iniuncta, & facta fuit cap. de his, & cap. antiqui 33. quæst. 2. Vidimus hucusque, quæ requirantur, & necessaria sint ad hoc, vt matrimonium rite contrahi valeat. Restat nunc, vt videamus qualiter, & quot modis Matrimonium ipsum iam contractũ dissoluatur, & quia hæc dissolutio, & separatio dupliciter contingere potest, vel quoad vinculum, vel quoad thorum, & cohabitationẽ, quo casu proprie Diuortium dicitur, & aliter in matrimonio contracto, & non consumato, aliter in matrimonio cõsumato, ideo particulariter, & separatim, ne iuuenum ingenia confundamus, in vnoquoque casu videbimus.

De Diuortio, & Matrimonij separatione.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium soluitur per mortem.*
2 *Si quis ingrediatur religionem ante copulam, soluitur matrimonium etiam quoad vinculum, non sic, si sacros ordines suscipiat.*
3 *An ex Summi Pont. dispensatione possit dissolui matrimonium non consumatum.*
4 *Matrimonium consumatum non soluitur, nisi per mortem quoad vinculum.*
5 *Multæ sunt causæ, propter quas matrimonium quoad Torum dissolui potest.*

Qualiter dissoluatur Matrimonium non consumatum quoad vinculum.

Matrimonium non cõsumatũ soluitur. Morte.

1 PRimò soluitur Matrimonium non consumatum quoad vinculum per mortem, quæ omnia soluit §. deinceps. Authen. de Nupt. quod adeo verum est, vt etiam si maritus resurgeret, non recuperaret vxorem, nec è contra Bart. in l. nam ad ea. ff de legibus tex. in cap. licet 32. quæst. 7. iuncta ibi Glosa. Palud. in 4 senten. distinct. 28. Syluest. verbo Diuortium num. 5. & Theologi omnes consentiunt, dicentes, nouum consensum requiri, tum quia obligatio semel extincta non reuiuiscit, tum quia hoc Sacramentum characterem non imprimit, sic si Curatus, aut Episcopus resuscitaret, quamuis retineat consecrationem, tamen non retinet Ecclesiam, nisi sibi noua electione conferatur, quia mortuus est suæ sponsæ, scilicet, Ecclesiæ, ita Palud. d. 28. dist.

Ingressu religionis

2 Secundò soluitur per ingressum religionis cap. ex publico, vbi Doct. de conuers. coniug. quod esse de fide definiuit Conc. Trid. sess. 24. Can. 6. & ideo hoc est, quia matrimonium non consumatum continet Sacramentum indiuiduitatis, secundum primam tantum significationem, idest, vnionem animæ ad Deum, quæ vnio per ingressum religionis non dissoluitur, imò perfectior efficitur, vt Host. & alij tradunt, remanens igitur in sæculo poterit libere cum alia contrahere: antequam tamen contrahat, alterius professionem expectare debet, quia si ante professionem egrederetur, tenetur illum recipere, etiam si cum alio contraxisset, & consumasset, ante professionem enim vinculum non dissoluitur, vt in cap. verũ, & cap. ex parte el 2. de Conuers. Coniug. Sed an probationis tempus hoc casu debeat esse annus, nec ne, est opinio triplex, Quidam volunt, Episcopum probationis tempus minuere debere, propter periculum incontinentię alterius, & ad fraudem tollendam, quoniã posset quis in fine anni de monasterio ad monasterium fraudando alium, transire, alij distinguunt, vt si intrauit religionem de voluntate alterius, annus expectari, nec probationis tempus abbreuiari debeat, Si verò intrauit, eo ignorante, vel inuito, præfigendum sit tempus, intra quod profiteatur, Host. quem Syluest. sequitur, verbo, Diuortiũ nu. 5. dicit tempus anni à iure statutum non esse breuiandum, nisi appareat fraus ex transitu de vno monasterio in aliud, nam tempus hoc inductum est in fauorem non solum intrantis, sed etiam religionis, vt mores eius experiatur; Per Sacri autem ordinis susceptionem non sic soluitur matrimonium tex. est in extrauag. Ioann. 22. tit. de voto. Glosa communiter recepta in cap. vnico de voto, lib. 6. Imò nec per episcopalem dignitatem dissoluitur, vt in cap. ex parte 2. vbi Anton. ad hoc notat, de Conuers. Coniug. Io. Andr. in d. c. vnico. de voto, lib. 7. Aret. cons. 59. col. 2. Palud. in 4. sent. distinct. 27. quæst. 3. ad 3. Florent. in 3. parte summ. tit. 1. cap. 21. §. 3. Couar. in 4. Decret. 2. part. cap. 7. §. 4. nu. 9. contra Host. & Io. Lup. Segobiensem, contra quos etiam tenet Matieca in Rubri. tit. 1. de Matrimon. lib. 5. nouæ collect. reg. Glos. 1. num. 72.

Tertio soluitur ex dispensatione summi Pontificis, propter bonum publicum, vel publicum scandalum, & damnum, vt contingit plerumque in coniugio Regum, & Magnotum, circa quod, licet magna quæstio sit inter Theologos ex vna, & Iuris Vtriusque Doctor.

Doctor. ex alia, An Papa possit dispensare ex causa publici boni, vel scandali. Theologi enim omnes (excepto Caietano in opere 27. quæstionum, quæst. 25. Syluest. verbo, Diuortium. quæst. 4. Cathar. lib. 6. contra Caiet. capit. 3.) in 4. sent. dist. 33. & 27. communiter tenent, quòd non possit, sequitur Io. Lup. Segobient. in Tract. de matrim. num. 31. & Iacob.
3 Almain. de Potestat. eccles. cap. 15. eandem sequitur communem Theologorum, & veriorē affirmans. Couar. 4. Decret. 2. part. cap. 7. §. 4. nu. 14. & Sot. 4. sent. dist. 27. q. 1. Artic. 4. in 3. conclus. tamen communis opinio Canonistarum, quæ vsu recepta à I.V. Doct. & à summis Pontificibus practicata, est, quòd possit, vt habetur per Glos. in cap. ex publico, de conuers. coniug. communiter approbatam, vt ibi testatur Abb. sequitur præposit. in cap. an. de spons. duor. dec. cons. 112. Felyn. in cap. quæ in ecclesiarum nu. 20. de const. Caiet. Syluest. & Cathar. vbi supra, pluresque alij relati per Paris. cons. 51. nu. 14. vol. 4. & hanc esse opinionem probabilem, & in Curia Romana seruari solitam à summis Ponti. profitetur D. Anton. in 4. part. suæ summæ tit. 1. cap. 22. vbi refert Martinum V. Eugenium V. pluresq; alios Romanos Pontifices in tali matrimonio dispēsasse, & Paulum 4. & Iulium 3. hac eadem dispensatione vsum fuisse, refert Couar. vbi suprà, nec hoc casu esse inijciendum scrupulum docet erudite Nauar. cap. 22. nu. 21. & ratio est, quia matrimonium contractum, & non consummatum repræsentat vnionem, quæ est inter Deum, & Animam, quæ vnio diuiditur per peccatum mortale, quod priuat animam gratia §. criminis, & §. alius 25. dist. ideo mirum si potest diuidi.

Qualiter dissoluatur Matrimonium consumatum quò ad vinculum.

Matrimonium consumatum quò ad vinculum soluitur Primò per mortem alterius coniugum §. deinceps auth. de Nupt. Secundo secundum aliquos iuris ciuilis Doct.
4 propter aliquam magnam causam publici scandali, vel propter defectum successionis Regiæ, sed communis opinio Theologorum, & Canonistarum est in contrarium, vt scilicet, neque ipsemet Pont. qui est Vicarius Dei, possit dissoluere, vt de communi attestatur Sap. in Addit. ad Abb. in cap. ex publico, de conuers. coniug. & moderni hispani Canon. Quæst. q. 17. nu. 21. vnde loco illius causæ substitue aliam, quando scilicet matrimonium fuisset consumatum in infidelitate, puta inter duos paganos, aut Hæbreos, deinde vnus illorum ad fidem conuertatur, nam si alter non vult conuerti, neque habitare cum fideli sine iniuria nostræ fidei, vel continuo scandalo, potest couersus cum alia contrahere cap. gaudemus, & ibi Doct. de Diuort.

Qualiter dissoluatur Matrimonium quò ad Thorum.

Matrimonium quò ad Thorum, & cohabitationem licet secuta copula, soluitur. Primò propter adulterium alterius Matth. cap. dicitè 32. quæst. 7.

Secundò propter furorem, si ita vehemens, & ardens sit vt probabile mortis periculum inducat, aliter non Couar. 2. part. cap. 7. § fin. nu. 3. Nauar. cap. 22. nu. 21.

Tertio, si alter ex coniugibus hæreticus sit, vel in hæresim labatur, separari potest matrimonium quo ad Thorum cap. 2. de Diuort. cap. fin. de conuers. coniug. idem est dicendū de coniuge, qui à suo vel sua coniuge, inducitur ad aliud peccatum mortale, & non potest ab inducendo retrahi, pallud. in 4. dist. 39. quæst. 1. columm. fin. & Nauar. cap. 22. num. 21. qui ita respondit cuidam nuptæ, cuius maritus inducebat in domum amicos, & relictis aliquibus vel vno eorum, exibat domo, & illi modò directe, modò indirecte, verbis, & tactu, quærebant eam inducere ad peccatum.

Quartò separari potest matrimonium quoad Thorum, sæuitiæ causa, si acriter, & immoderatè verberetur vxor à marito, idem, & multò magis si alter alterum occidere voluerit, aut venenum præparauerit cap. 1. vt lit. non contest. cap. litteras, & ibi Abb. de Rest. spoliat. præpos. in cap. 1. de Diuort. Gerard. singu 65. Hippol. in l. vnica col. pen. C. de Rapt virg.

Quintò diuiditur matrimonium, quoad Thorum propter nefandum sodomiæ crimen cap. omnes causationes. 33. q. 7. Ant. Abb. & Anania in cap. maritis, de adul. Syluest. verbo, Diuortium q. 7. Couar. cap. 7. §. 5. nu. 5. an autem propter lepram, aut morbum Gallicum possit fieri separatio Thori. Dic, quod non cap. 1. & 2. de coniug. Lepros. cap. si vxorem, & cap. si horrendus. 32. quæst. 5. Nauar. cap. 22. nu. 22.

§. Si Aduersus.

SVMMARIVM.

1 *Variæ sunt pœnæ eorum qui incestas, & nefarias nuptias contrahunt.*
2 *Pœna imposita contrahentibus incestas, & nefarias nuptias, habent locum in his qui scienter, & dolosè contrahunt.*
3 *Quando ignoranter quis contraxiße præsumatur.*

Quibus pœnis subijciantur hi, qui incestas, & nefarias nuptias contrahunt.

Pœnæ impositę contrahentibus incestas nuptias.

VAriæ enumeratur pœnæ hic in §. si aduersus, & per Glosam, nam primò matrimoniũ non valet, neq; ista coniunctio matrimonij nomẽ meretur, vnde nec contrahentes vir aut vxor dici possunt §. si aduersus, hoc tit.

Secundò soluto matrimonio, neq; dotis promissio, aut donationis propter nuptias valet, nec exigi potest. d. §. si aduersus.

Tertiò filij nati ex huiusmodi coitu non sunt in patria potestate d. §. si aduersus.

1 Quartò contrahentes incestas nuptias sunt infames, imo approbantes, defendentes, & patrocinium præstantes cap. consanguineorum, iuncta Glosa 3. q. 4. cap. coniunctiones 35. quæst. 3. & ipso iure sunt excommunicati, Clem. 1. de Consangui. & Affinit. declaro has pœ-
2 nas locum habere in contrahentibus incestas nuptias scienter, & dolose, secus in ignorante, & errante in facto l. qui contra, iuncta Glosa C. de Incest. Nupt. ignorantia autem præ-
3 sumitur, quoties palam quis contrahit, secus si clam contrahat, nam tunc præsumitur dolus, nec excusatur secundum Bart. in l. si adulterium cum incestu ff. ad. Iul. de Adult. item si huiusmodi personæ extra matrimonium coierint, nullo modo excusãtur, ex quo dant operam rei illicitæ, & prohibitæ, vnde statim præsumuntur esse in dolo, & indistinctæ puniri debent l. vulgaris. §. si quis ff. de Furt. Glos. in cap. à nobis, de sent. excommunicat.

§. Fin.

SVMMARIVM.

1 *Legitimatio quid sit.*
2 *Quot modis quis legitimus efficiatur.*
3 *Filij quomodo legitimentur per oblationem curiæ.*
4 *Quomodo legitimentur per rescriptum Principis.*
5 *Quomodo per subsequens matrimonium.*

DIxit Imperator supra in tit. de Patr. potest. tres esse causas patriæ potestatis, iustas nuptias, legitimationem, & adoptionem, de iustis nuptijs hucusque dictum est, nunc de legitimatione sequitur.

Quid sit legitimatio.

Quid sit legitimatio.

1 LEgitimatio est quædam natalium restitutio, qua is, qui ex illicito coitu natus est, efficitur legitimus ad hoc, vt in potestate patris sui sit, vel eidem defuncto, tàm ex testamento, quàm ab intestato, cum alijs fratribus, vel sororibus succedat.

Quot modis quis legitimetur.

Quot modis quis legitimetur.

2 TRibus modis quis legitimus effici potest, scilicet, per oblationem curiæ, per rescriptũ Principis, & per subsequens matrimonium.

Quomodo per oblationem curiæ fiat legitimatio.

Per oblationem curiæ.

3 PEr oblationem curię fit legitimatio, cùm filius naturalis illegitimè natus, à patre adhuc viuente, vel animam agente, in testamento, vel inter viuos ordini curialium offertur §. fin. hoc tit. qui omnia onera sustinere cogebatur, & ab alijs exigere, & si quid deerat, cogebatur ipse supplere, vt declarat Aldobrandinus in d. §. fin. Idem est etiam cum filius, patre demortuo, se ipsum curiæ offert, vel filia naturalis curiali matrimonio collocatur, nihil enim

enim interest, vt aiunt Theodos.& Valen. Imperatores, vtrum per filios, an per generos cōmoditatibus Ciuitatum consulatur l.3.C.de natural.liber. effectus huius legitimationis est, quod fictione quadam iuris redditur quis legitimus, patriæ potestati subijcitur, patrique defuncto tam ex testamento, quàm ab intestato simul cum alijs legitimis succedit, non autem ascendentibus, vt auo, vel collateralibus, vt fratri, vel sorori, & est ratio, quia respectu patris tantùm dicitur legitimatus §.& quoniam, auth. quibus Mod. Natur. effic. sui ad similitudinē huius legitimationis dicunt Baldus, & Guiel.de Cuneo in l.1.C.de sacro sanct. Eccles. quòd sicut per oblationem curiæ principis efficitur quis legitimus, eodem modo, & multò magis per oblationem curiæ cælestis, idest, religionis effici debet, quæ opinio licet non placeat Couar.in 4. Decret.2.part.cap.8.§.7.num.4. tamen frequentiori Doctorū iudicio probatur, & eam Rodericus suarez maximè dubius, Allegat.25. religionis fauore tandem sequitur vltra Felin.in cap.cum deputati, de Iudic. Barbat.in cap.quia nos.de testā. & alios, quos adducit.

Effectus legitimationis per oblationem curiæ.

Quomòdo per rescriptum Principis filius naturalis legitimetur.

4 PEr rescriptum Principis filius naturalis fit legitimus, si ad præces huius rei gratia Principi datas, rescribatur, & legitimationis priuilegium liberis naturalibus concedatur, idque Papæ, vel Imperatori, non alijs inferioribus competit, nisi expresse eis concessum sit à Papa, vel Imperatore, sicut comitibus Palatinis concedi solet, vt notat Abb. post tex in cap. per venerabilem, extra qui filij sint legit. effectus huius legitimationis est, quòd legitimatus per rescriptum Principis, per omnia reputatur, ac si esset legitimè natus, excepto quòd ad feudi successionem non admittitur cap.1.§.naturales, si de feudo defuncti contentio sit inter Domin.& Agnatos vasalli, in vsibus feudorum.

Per rescriptum Principis.

Effectus legitimationis per rescriptū Principis.

Quomodo per subsequens matrimonium legitimatio inducatur.

PEr subsequens matrimonium filij antea ex coitu fornicatio nati, legitimi efficiuntur,
5 text.est in §.fin.hoc tit.nostro, & in cap.tanta, qui filij sint legit. intellige in filijs natis ex coitu, qui poterat esse coniugalis inter parentes, si cōsensus ab eis præstitus fuisset, quod probatur in d.cap.tanta in cap.2.parte, vbi Doctores id asserunt communiter, & pulchrè Theophilus in §.fin. hoc tit. sed an sufficiat quòd tempore natiuitatis coitus potuerit esse coniugalis, an præcise exigatur conceptionis tempore coniugium potuisse contrahi inter parentes, dubium est apud Doct. communis opinio est, quòd satis sit, vel tempore conceptionis, vel natiuitatis, matrimonium inter parentes contrahi potuisse, Host. Io. Andr. Ant. Car.& alij in d.cap.tanta. Gabriel commun.opin.lib.6.tit.de legitimat.conclus.1.nu.10. & & concl.4.num.11. Couar. qui de communi testatur in 4. Decret.part.2.cap.8.§.2. contrariam sententiam, & opinionem, scilicèt, tempus conceptionis præcise, non natiuitatis inspiciendum esse, tenet Cyn.& Castres.in l.ex libera C.de suis, & legit.hęred. Alber.in l.Paulus ff.de stat.homin. Ant. Rosel.de legitimat.conclu.8.& 9. nouissimè Franciscus Sarmientus hispanus vir genere, indicio, & eruditiones illustris select.interpret.lib.1.cap.5.nu.10. cuius rationibus motus, Couarruu. post 4. sui operis editionem fatetur se dubium esse, an vera sit communis opinio.& certe rationes, & argumenta per ipsum Sariment.adducta, multum vrgent, adeo quòd in iudicando caute quæstionem istam diffinirem, alia oritur dubitatio, an matrimonium intermedium inter natiuitatem filiorum naturalium, & contractum matrimonium, vitiet legitimationem. Dic, quòd non, ideo si quis habens filios ex concubina, contrahat cum alia muliere, deinde ea mortua eum concubina, ex qua antea filios habuit, filij ipsi antea nati legitimantur, non obstante matrimonio intermedio, Abb.in d.cap. tanta num.3. effectus huius legitimationis est, quòd filij per subsequens matrimonium legitimati, quo ad omnia legitimi censentur, non tantum quoad successiones, sed etiam quoad honores, ordines, & dignitates, quia matrimonium omnia præcedentia purgat, vt est Glosa post tex.in d.cap.tanta, in verbo, legitimi. ideo iuri patriæ potestatis subijciuntur, patri siue intestato, siue defuncto sui hæredes existunt l.cū quis C.de natur.liber.& hoc in bonis allodialibus sine difficultate procedit, sed an itidem in feudalibus succedat, controuertitur apud Doctor. vt notant Hostiens. in cap.1.& d. cap. tanta, vbi, & Ioan. Andr. Curt. Iun.consil.136.num.7. & Petr. à Duen. Reg. 350. qui omnes asserunt, legitimatos etiam per subsequens matrimonium excludendos esse à successione bonorum feudalium, sed cōtraria opinio verior est, quam in camera imperiali obseruatam fuisse testatur Mysing. obserua.42.Cent.2.iuxta Andr.de Iser. Iacob.de Bel. Mart. lauden. Afflict.& cōmuniter Doct. in cap.1.§.naturales, si de feudo defuncti fuer. controu. in vsibus feudorum, sic legitimato

Per subsequens matrimoniū.

An satis sit quòd tēpore conceptionis vel natiuitatis Matrimonium inter parētes cōtrahi potuerit, vt quis legitimus efficiatur.

An matrimoniū intermediū vitiet legitimationē.

Effectus legitimationis per subsequens matrimoniū.

per

per subsequens matrimonium nulla conscendendi dignitatis gradus intercluditur via, ideo, & in Episcopum eligi, & quauis dignitate pro virtutum meritis ornari potest. Glos. in cap. innotuit, in verbo, coniugata, Extra de elect. Vnum pro complemento huius materiæ restat videndum à nobis, scilicet, quales fuerint apud antiquos nuptiarum ritus.

Ritus Nuptiarum.

SVMMARIVM.

1 *Auspices in contrahendis nuptijs adhibebatur.*
2 *Manus dextras conferebant, qui matrimonio iungebantur.*
3 *Annulus siue gemma in digitum puellæ, qui minimo est proximus immittebatur.*
4 *Omnia fausta futuris coniugibus Romani præcabantur.*
5 *Diebus festis viduæ nubebant, non etiam virgines.*
6 *Nuptijs virginum celebrandis Kalendæ, Nonæ, & idus deuitandæ erant.*
7 *Maio mense olim non nubebant.*
8 *Tria omina nuptiarum.*
9 *Rapi consueuerant è sinu matris virgines.*
10 *Tres pueri, patrimi, aut matrimi nuptijs adhibebantur.*
11 *Genialis lectus sternebatur.*
12 *Noctu noua nuptæ deductio fieri consueuerat.*
13 *Fax nuptialis rapi solebat.*
14 *Claues dabantur nubentibus.*
15 *Talassium ominis causa in nuptijs nominabant.*
16 *Conuiuia maritus parabat, & Cognati nouam nuptam munerabantur.*

Quales olim apud Antiquos fuerint Nuptiarum Ritus.

Varij nuptiarum ritus.

VArij quondam, & multiplices tàm apud Romanos, quàm Hebræos fuerunt nuptiarū Ritus, quos Parthen. ad Catullum, & Ant. Gubert. in suo lib. de sponsal. accurate obseruarunt.

Auspices nuptiarum

1 Primò apud Romanos moris fuit, vt in nuptijs contrahendis Auspices adhiberentur, Cicero lib. 1. de Diuinat. seruius ad illud Vergilij lib. 1. Aeneid.

Cui pater intactam dederat, primisq. iugarat ominibus.

Manus cōferebāt in nuptijs.

Secundum Romanos, inquit, locutus est, qui nihil, nisi captatis faciebant augurijs, præcipuè nuptias. Secundò non solùm apud Hebræos, sed etiam apud Grecos manus dextras
2 conferebant, qui matrimonio iungebantur, vt perspicuum est ex cap. Tobiæ. 7. & ex Xenophonte lib. 4. rer. Græcar.

Anulus siue gēma in digitū puellæ immittitur.

3 Tertiò anulus siue gemma in digitum puellæ, qui minimo est proximus, immittebatur,
4 ex eo quod in eo vena quædam, vt fertur, sanguinis ad cor vsq; perueniat. c. fœminæ 30. q. 5.

Faustę præcationes.

Quartò omnia bona, fastafelicia, & fortunata futuris coniugibus, Romani precabantur, quod ab Hebræis profectum est, nam Geneseos cap. 24. quum cognati mitterent Rebeccā ad eius sponsum Isaac, sic benedixerunt ei, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum, & Gabelus Tobiæ cap. 9. felicem, inquit, te reddat Deus, quia filius es viri optimi, iusti, timentis Deum, & in pauperes benefici, felix dicatur vxor tua, vt filios è vobis, & filios filiorum vestrorum videatis in tertiam vsque, & quartā generationē.

Ferijs vidua nubebat, non etiam virgines.

Sextò apud Romanos veteri more diebus festis viduæ nubebant, non etiam virgines,
5 vt ait in Problemat. Plutar. nam ob raptas die festo Sabinorum bellum exortum est. Quin diebus festis omnia iucunda esse debent, ac plena hilaritatis, & lætitiæ, sed quum virgines in matrimonium dantur, dolent: sicut è diuerso viduæ lætantur.

Quibus diebus nuptiæ deuitandæ essent.

6 Sextò Nuptijs virginum celebrandis Kalendæ, Nonæ, & Idus religiosæ erant, idest, deuitandæ, vt ait Macrob. lib. 1. capitul. 15. quod Idus, & Kalendæ dies feriati essent, & postriduani dies Kalendarum, Nonarum, Iduum ex æquo atri: quibus idcirco noua nupta neque libertatem auspicari vxoriam, neque rem diuinam facere potuisset, vt postridie nuptiarum tum fieri oportebat. Sext. Pom. in verbo, Nonarum.

Maio mēse olim nō nubebant.

Septimò Mense Maio non nubebant. Ouid. lib. 5. Fast.

Mense

Mense malum Maio nubere vulgus ait.

7 Variæ rationes à Plutarcho, & alijs afferuntur. Primò, quoniam hic mensis medius est inter Aprilem, & Iunium, quibus conuenientius est nubere, quod hic Iunoni, ille veneri sacer est, Deabus scilicet, quæ nuptis præsunt. *Maius cur nuptijs infaustus.*

Secundò, propter funesta piacula, quibus eo mense Romani vtebantur, effigies hominum de ponte in Tyberim deijcientes.

Tertio, quòd Maius à maioribus natu dictus sit, & grandior ætas minus apta sit veneri, & nuptijs.

Quartò, quia is mensis parum faustus, & felix illis esse credebatur, qui nuptias contrahebant, quòd eo Remus interfectus fuisset. Ouid. lib. 5. Fast. Sed christianis illos ritus aut dies obseruare fas non est, nimirum ne vanam illam, & prorsus ridiculam paganorum superstitionem æmulari videantur. cap. non liceat. cap. si quis, & cap. non obseruetis 26. q. 7. Et quia vesanus ille error multorum animis ita inhæsit, vt plerique etiamnum dictitent, prout etiam ego audiui, infaustas, & infelices nuptias esse, quæ mense Maio celebrantur, libitum antea fuit futiles rationes commemorare, quæ in eum errorem veteres Ethnicos adduxerant, vt nemo amplius illam superstitionem insequatur, vel obseruet, quam tam vanam futilem, ac ridiculam fuisse ostendimus, Olim apud Christianos nuptijs contrahendis multi dies religiosi erant vt in cap. vlt. de Ferijs, & in cap. non oportet. 33. q. 4. At Triden. Synod. sess. 24. cap. 10. de Reformat. Matrim. solum ab Aduentu Domini vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum vsque in octauam paschatis, antiquas solenium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari præcipit, alijsq. temporibus nuptias celebrari permittit. *Quibus die bus apud Christianos nuptiæ celebrari nō possunt Tria oia nuptiarū.*

8 Octauò Apud veteres Ethnicos tria erant omina præcipua nuptiarum, Fulmen, Terra, & Cireon. Prim. & secundi ominis sic meminit Virg. lib. 4. Aeneidos.

Prima, & tellus, & pronuba Iuno.

Dant signum, fulsere ignes, & conscius æther.
Connubij, summoque vlularunt vertice Nymphæ.

De tertio omine Plin. lib. 10. cap. 8. Accipitrum, inquit, genera 16. inuenimus, Ex his Cir conclaudum altero pede prosperrimi nuptialibus negotijs, & pecuariæ rei.

9 Nonò Rapi consueuerant sinu matris virgines, vt inquit sext. Pomp. quippe, quòd raptus Sabinarum fœliciter Romulo cessisset, Catullus. *Nubentes rapi simulabantur.*

Qui natam possis complexu vellere matris.

10 Decimò tres pueri patrimi, aut matrimi, vt ait Fest. idest, patrem aut matrem habentes, nuptijs adhibebantur, Duo qui nubentem tenderēt, alter qui spineam facem preferret. Plin. lin. 16. cap. 18. Nonulli tamen pinem facem fuisse contendunt, cum Pinus incensa diu claras flammas edat, & spina minus apta sit huic rei, Sed verius est, veteres Romanos in nuptijs nonnunquam prætulisse facem ex pinu, interdum ex spina alba, vt Fest. ait, & aliquando ex carpino vel corylo, quas facibus familiarissimas fuisse saltem suo tempore Plin. lib. 16. testatur. Erant, & aliæ faces nuptiales, de quibus Plutarcus in Problemat. *Pueri patrimi, aut matrimi.*

11 Vndecimò Genialis lectus sternebatur in honorem genj Virg. lib. 6. Aeneid. *Genialis lectus.*

Lucent genialibus altis.
Aurea fulcra toris.

12 Duodecimò Noctu aut vespertino crepusculo nouæ nuptæ deductio fieri consueuerat, & sponsa non nisi noctu marito coniungebatur, vel propter verecundiam, vt inquit in Problemat. Plutarchus, vel si quid deforme in noua nupta esset, vt nocturnis tenebris occultaretur, Scitum est quod in connubialibus præceptis Plutarcus refert, quandam mulierem Philippo dixisse, cum inuita ab eo traheretur, Dimitte me, nam sublata lucerna, nullum est in tenebris mulierum discrimen. *Cur noctu puella marito coniūgeretur.*

13 Decimotertiò Rapi solebat fax auctore Festo, qua prælucente noua nupta deducta erat ab vtriusque amicis, ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte poneret, aut vir in sepulchro comburendam curaret, quo mors propinqua captari putabatur. *Fax nuptialis rapi solita.*

Decimo-

Claues nuptæ dabantur.

Decimoquartò claues dabantur nubentibus, ob significandam partus facilitatẽ, vt Fest.
14 ait, vel vt alijs placet, ob significandam dominationem, & rerum domesticarum illis commissam curam, argumento l. cum pater §. pater pluribus ff. de legat. 2. & l. clauibus ff. de legat 2. & l. clauibus ff. de contrah. empt.

Talassio.

Hymeneus

Decimoquintò, sicut Græci Hymeneum, ita latini Talassium, seu Talassionem ominis
15 causa in nuptijs nominabant, quoniam in raptus Sabinarum fæliciter cuidam virgini cessisset, quòd eam Talassio ferri diceretur, Hymenæus à non nullis Deus veteris idolatriæ fuisse creditur, quidam vt Catullus Vraniæ genus, quæ vna de musis fuit alij illius vocis originem accerrunt à quibusdam strenuis hominibus, qui raptas per virgines liberarunt, de quibus Seruius ad 1. Aeneid.

Conuiuia nuptialia.

16 Decimosexto, & vltimo Nuptijs confectis varia conuiuia maritus parabat, & cognati alijque, ad nuptias accersiti, nouam nuptam munerabantur, apuleius Apolog. 2. Catullus in in carmine de nuptijs Pelei, & Thetidos.

Dona ferunt præ se, declarant gaudia vultu.

ALios nuptiarum ritus vide apud Parthenium, & Constan. in supra memoratis locis, qui plures alios referunt, & ex his sit impositus finis huic materiæ de nup. ad laudem Dei, & gloriosissimæ eius Matris Beatę Mariæ virginis, ac omnium sanctorum, in qua quicquid dictum est, omnia sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ cẽsuræ, & iudicio subiecta esse volo, nec ab ea me, vel minimum voluisse discedere quisquam cogitet, quòd si aliquid huiusmodi deprehendatur, id non ex animo dictum, sed elapsum, iam nunc pro recantato haberi libens volo.

F I N I S.

INDEX
RERVM, ET SENTENTIARVM
MEMORABILIVM, ET NOTATV
DIGNARVM,
Quæ in hoc Commentario Institutionum Iustiniani continentur.

Alphabetica ſerie non concinnè minus, quam methodicè digeſtus.

A

a Actio

Quædam

Armis,

C

Cæcut

Contra-

E

Electrum

F

Falsa

Hæredi-

K

L

Libellus

M

Et

N

Obligare

O

P

Para-

Pega-

Præconis

Q

R

Religiosus

Seruitus

Teſta-

Tutor

V

FINIS.

V. D. Ludouicus Modronus in Metropol. Bonon. Pœnitentiarius pro Eminentiss. ac Reuerendiss. D. D. Cardinali Archiepisc. &c.

Imprimatur

Fr. Hieronymus Onuphrius pro Reuerendiss. P. Inquisit. Bonon.

BONONIÆ.

Typis Nicolai Tebaldini. M DCXXXX.

Superiorum permissu.